





13
3
h-29

~~12.h.c.2~~

N. 16. 7.

IHS

STATVTA FIRMANORVM.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



FIRMI Apud Sertorium de Montibus impressa Anno Domini
1 5 8 9.



TABVLA RVBRICARVM TOTIVS OPERIS.



RVBRICAE PRIMI LIBRI.

RVBRICAE SECVNDI LIBRI.

RVBRICAE TERTII LIBRI.

RVBRICAE QVARTI LIBRI.

RVBRICAE QVINTI LIBRI, de Appellationibus.

De damnis datis.

De Extraordinarijs.

RVBRICAE SEXTI LIBRI.

De co-

TABVLAE FINIS.

IOANNIS BAPTISTAE EVANGELISTAE FIRMANI,

In eodem Firmano Gymnasio humanarum litterarum professoris.

IVRE diu hoc Firmana stetit, stabitq; perennis
Res, & libertas, gloria, nomen, honos.
Iura Solon doctis quondam descripsit Athenis,
Cum patria illa tamen sustulit vrbe dies.
Spartanis leges est fama tulisse Lycurgum:
Barbarico tamen est vrbs ea pressa iugo.
Sola perantiqui sunt iura æterna Quirini:
Sola & Firmani sunt rata iura soli.
Nempe quòd hæ tantum leges, & iura, bonumq;
Et complexa æquum, fasquè, piumq; tenent.
Legibus his vsum Firmum super astra feretur:
Hoc genus inuictum sydera iure petat.



AQVILANTIS SIMONETTI

Firmani humanarum literarum professoris ad Mag. Communitatem Firmanam

EPIGRAMMA.



QVOD saxo fundata manes tam firma vetusto;
Quòd tua firma fides nomina digna tenes,
Palladis vrbs, Martisq. decus, Cererisq benigna:
Nanq; dedere hilares munera quisque sua.
Consilium, ingenuas ac Pallas tradidit artes,
Et quæ victrici Mars monet arma manu.
Alma Ceres fruges, æstas cui copia cornu
Munifico fundens omnia læta suo.
Hinc ducibus, quondàm insignis patribusq. togatis,
Et modò clara magis tu foris, atque domi.
Lumine cuncta suo vincit ceu sydera Phœbus:
Picenas vrbes sic super vna nites.
Ius quoniam, quò fasquè, pium, rectumq. colatur,
Litibus, & Scribis ne strepat inde forum.
Quod scriptum tabulis bis sex habuere Quirites,
Tu breuibus promis Ciuibus, ac socijs.
Prona igitur felix in publica commoda viuas,
Et feriat nomen sydera celsa tuum.



VGENIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Decens reputamus, & debitum, vt ijs, quæ de nostra voluntate per nostros legitimos in nostrorum, & dictæ Ecclesiæ subditorum vtilitatem, & commoda facta, & concessa comperimus, vt firma, & illibata permaneant, adijcimus Apostolici muniminis firmitatem. Sanè nuper inter dilectum filium Ludouicum Tituli S. Laurentij in Damaso Presbyterum Cardinalem Camerarium nostrum Apostolicæ Sedis Legatum, nostro, & ipsius Ecclesiæ nomine, ac dilectos filios Communitatem, & homines Ciuitatis nostræ Firmanæ quædam conuentiones, pacta, & capitula, quorum copiam fecimus præsentibus inscribi, pro eorum commodo, vtilitate, & bono regimine inita, conclusa, & concessa fuerunt. Quare pro parte ipsorum Communitatis, & hominum nobis fuit humiliter supplicatum, vt eis pro ipsorũ subsistentia firmiori robur apostolicæ confirmationis adijcere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, conuentiones, pacta, & capitula ex certa scientia auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Tenor verò præfatorum capitulorum, & eorum ad singula concessionum sequitur, & est talis.

PRO parte Communis, & hominum nostræ Ciuitatis Firmanæ, & sui comitatus humiliter supplicatur, & petitur, vt infrascriptas petitiones, & capitula eidem Communi liberaliter Reuerendissima D. V. concedere dignaretur.

In primis, quòd Communitas Ciuitatis prædictæ gaudeat, & gaudere debeat omnibus, & singulis priuilegijs statutis, reformationibus, consuetudinibus, capitulis, commoditatibus, & iurisdictionibus hactenus in dicta Ciuitate vigentibus & quomodocunque, & qualitercunque eidem per Summos Pontifices, Legatos, Rectores, & Vicarios Ecclesiæ Romanæ hactenus concessis, & approbatis: quæ iurisdictiones, priuilegia, statuta, reformationes, consuetudines, & capitula sint, & esse intelligantur approbata, & confirmata, & approbentur, & confirmentur, & pro confirmatis per quoscunque inuiolabiliter obseruentur.

Plt. Dummodo non sint contra libertatem Ecclesiasticam.

Item quòd omnes & singuli introitus, & prouentus dictæ Ciuitatis, eiusq. Comitatus, & districtus, tam ordinarij, quàm extraordinarij quomodocunque, & qualitercunque obuenientes, tam introitus gabellarum, & affectus comitatus, quàm etiam maleficiorum, & aliorum prouentuum dictæ Ciuitatis, & comitatus sint, & esse debeant Communis Firmi, & hominum eiusdem, & quòd Communitas prædicta, & Comitatus, & homines eiusdem non teneantur cameræ Romanæ, & Sanctissimo D. N. Papæ præsenti, & futuris, nec alijs Rectoribus, & officialibus quibuscunque Prou. Mar. nisi solum, & duntaxat ad solutionem tallearum, census, & affictus. Plt.

Item quòd Communitas prædicta Firmana, & Officiales, & Rectores dictæ Ciuitatis habeant, & habere debeant merum, & mistum imperium, & liberam potestatem cognoscendi, & puniendi de quibuscunque excessibus, & delictis commissis & committen. in dica Ciuitate, comitatu, fortia, & districtu, cuiuscunque generis excessus, & delicta existant. Plt.

Item quòd primæ, & secundæ causæ tam ciuiles, quàm criminales cognoscantur, & cognosci debeant per Potestatem, & Capitaneum, & alios officiales dictæ Ciuitatis secundum formam statutorum, & consuetudinem dictæ Ciuitatis. Plt.

Item quòd dicta Communitas Ciuitatis Firmi habeat plenam, & liberam potestatem, & auctoritatem, & arbitrium eligendi Potestatem, Capitaneum, Cancellarium, & quoscunque alios Officiales, & Rectores, tam in dicta Ciuitate, quàm in comitatu sua propria auctoritate de quibuscunque; dummodo non suspectis S. R. E. & Summo Pontifici, & electio dictorum officialium non fiat per alios, nisi per Communem, & homines dictæ Ciuitatis. Plt.

Item quòd dicta Ciuitas Firmana, nec aliquod Castrum comitatus, & districtus eiusdem non possint, nec debeant modo aliquo submitti, vel dari alicui personæ, sed semper sit sub dominio S. R. E. & Castra comitatus sub pleno dominio dictæ Ciuitatis. Plt.

Item quòd omnia Castra, loca, & Terræ, quæ hactenus fuerunt sub dominio dictæ Ciuitatis

tis de comitatu, & districtu eiusdem, sint, & esse debeant in futurum sub pleno dominio dictæ Ciuitatis, & non possint, nec valeant aliquo titulo, vel causa submitti alicui personæ ecclesiasticæ, vel seculari, alicui Communitati, vel Collegio, nec quoquo modo liberari à dominio dictæ Ciuitatis, & quòd omnia, & singula priuilegia, pacta, & capitula facta, vel concessa per Summum Pontificem, & alios quoscunque Legatos, vel Rectores eiusdem aliquibus Castris, & locis, vel Terris hactenus tentis, & possessis per dictam Ciuitatem, et sub eius dominio sint cassa, irrita, & annullata, & pro irritis, cassis, & annullatis habeantur; quæ pacta, & capitula hic pro expressis singulariter habeantur, & omnes submissiones in contrarium factæ reuocentur, & dicta loca, & Castra, quæ de præsenti possiderentur, & retinerentur per alios, vt est Castrum Aquauiuæ cum suis pertinentijs, et Castrum Montis Viridis restituantur dictæ Communitati sine aliqua solutione per ipsam fienda. Pl̃t. In omnibus, præterquàm in ijs, in quibus priuilegia Apostolica aliter disponant.

Item quòd dicta Ciuitas Firmana, & homines eiusdem possint, & valeant francare, & franchitias facere, & concedere omnibus, & singulis hominibus, & personis de quibuscunque locis ad dictam Ciuitatem ad habitandum venire volentibus, vel ipsorum res, et mercantias conducentibus, et conducere volentibus in dictam Ciuitatem Firmanam, & sui Comitatum, & quòd per aliquos officiales, vel Rectores Ecclesiæ non possint contrauenire.

Pl̃t. De pertinentibus ad dictam Ciuitatem.

Item quòd omnes, & singuli contractus facti, & celebrati, & iudicia agitata, & sententiæ latæ tempore Comitis Francisci, tam in Curia officialium Ciuitatis Firmanæ, & sui comitatus, quam etiam in Curia generali Marchiæ sint rati, validi, & Firmi, & modo aliquo non valeant reuocari, & irritari, quibuscunq; in contrarium facientibus non obstantibus. Pl̃t.

Item quòd si aliquæ submissiones, vel priuilegia, vel concessiones sunt factæ, vel concessæ aliquibus personis, vel Communitatibus de aliquibus bonis mobilibus, vel stabilibus, iuribus, & actionibus pertinentibus, & spectantibus dictæ Ciuitati Firmanæ, vel aliquibus Ciuibus, & comitatiuis, vel habitatoribus eiusdem. & contra eorum iura tempore occupationis Comitis Francisci de Prouincia Marchiæ, sint nullæ, cassæ, & irritæ, & dicta Ciuitas, homines, & personæ prædicti sint restituti in dictis eorum bonis, & iuribus, quibus gaudebant ante occupationem prædictam, in quibuscunque locis, & Terris Prouinciæ Marchiæ dicta bona, & iura persistant. Fiet iustitia.

Data, signata, & subscripta fuerunt prædictæ petitiones sub impressione sui soliti sigilli per me Petrum Lunen. Secretarium infrascriptum de mandato Reuerend. in Christo Patris, & Domini D. Ludouici Tituli S. Laurentij in Damaso Presbyteri S. R. E. Cardinalis Aquilegen. Domini Papæ Camerarij Apostolicæ Sedis Legati, &c. in Terra Monticuli die vndecimo Decembris Millesimo quadringentesimo quadragesimoquinto indictione octaua, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. Domini Eugenij Diuina prouidentia Papæ IIII. Anno quintodecimo. Petrus Luneñ. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ cõfirmationis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimosexto, octauo Kalen. Aprilis. Pontificatus Nostri Anno Sextodecimo.*

Poggius.

Emanatæ de mandato D. N. Papæ.

A. de Corneto.

Registrata in Camera Apostolica.

P.

Dilectis filijs Prioribus, ac Communitati, & hominibus Ciuitatis nostræ Firmanæ,

PAVLVS PAPA IIII.



ILECTI filij salutem, & apostolicam benedictionem. Dilectos filios Matthæum Corradum, & Andream Francolinum laycos, & Ciues Firmanos, Oratores vestros, quos nuper ad nos cum litteris vestris ad supplicandum, vt statuta, priuilegia, indulta, reformationes, consuetudines, iurisdictiones, libertates, facultates, immunitates, conuentiones, pacta, & capitula ipsius Ciuitatis nostræ Firmi confirmare dignaremur misistis, libenter vidimus, atque audiuimus. Proinde vestris huiusmodi supplicationibus inclinati, harum serie auctoritate Apostolica omnia, & singula statuta, priuilegia, indulta, reformationes, consuetudines, iurisdictiones, libertates, facultates, immunitates, conuentiones, pacta, & capitula prædicta, & alia, & specialiter per fe. re. Eugeniũ IIII. Iulium II. Leonem X. Adrianum VI. Clementem VII. Paulum III. Iulium III. & alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, tam per litteras in forma Breuis, quàm sub plumbo concessa, et concessas, data, & datas, confirmata, et confirmatas, ac innouata, & innouatas illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quatenus sint in vsu, & contra Ecclesiasticam libertatem non tendant, ex certa nostra scientia approbamus, et confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio Communimus: Mandantes omnibus, & singulis Prouinciæ nostræ Marchiæ Anconitanæ Legatis, Vicelegatis, Commissarijs, ac eiusdem Ciuitatis Gubernatori, officialibus, & executoribus quibuscunque, nunc, & pro tempore existen. & alijs ad quos spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub nostræ indignationis pœna, quatenus præmissa omnia absque moræ dispendio ad vnguem obseruent, & obseruari sub prædictis, seu alijs sententijs, censuris, ac etiam pecuniariis eorum arbitrio infligendis, & applicandis pœnis omnino faciant, vobisq; opportunis fauoribus assistant. Ac decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid secus super his à quoquã quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstan. quibusuis apostolicis, necnon prouincialibus, & synodalibus conciliis editis generalibus, & spiritualibus constitutionibus, & ordinationibus, cæterisq; contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub anulo Piscatoris, die viij. Iunij. M. D. L V. Pontificatus Nostri Anno Primo.

S. Io. Larinen.

Dilectis filijs Communitati,& hominibus Ciuitatis nostræ Firmanæ,

SIXTVS PAPA V.



ILECTI filij salutem,& apostolicam benedictionem. Fidei constantia,ac deuotionis synceritas,quibus nos,& Romanam colitis Ecclesiam, nos inducunt, vt honestis petitionibus vestris libenter annuamus. Vestris itaque supplicationibus inclinati,omnia & singula statuta vestra, ordinationes, & reformationes, necnon priuilegia,concessiones,immunitates,gratias,& indulta vobis,& Communitati vestræ hactenus per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, eorumq. Legatos pro tempore concessas,& concessa quatenus sint in vsu,& contra libertatem Ecclesiasticam, & Cameræ Apostolicæ præiudicium non tendant,necnon taxas mercedum Iudicibus,& Notarijs criminalibus huius nostræ Ciuitatis Firmanæ per vos assignatas, & per dilectum filiũ Nobilem virum Iacobum Boncompagnum dictæ Ciuitatis tunc Gubernatorem aliàs comprobatas, atque rescriptum ab eodem Iacobo Gubernatore super nonnullis causis per Curiã Capitanei dictæ Ciuitatis,et Vicarios Castrorum eius comitatus duntaxat respectiuè cognoscendis editum, & per eius Locumtenentem sub die ij. Aprilis 1578. admissum, & die iiij. eiusdem mensis Cancellario Criminali,& Capitaneo intimatum, citra tamen præiudicium exactionum, & aliorum iurium Cameralium, auctoritate Apostolica tenore præsentium ex certa nostra scientia approbamus,& confirmamus,illisq. perpetuæ,& inuiolabilis firmitatis robur adijcimus,ac ab omnibus,ad quos spectat,exactè obseruari præcipimus, & mandamus, irritum,& inane decernentes quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus fel: rec: Pij Papæ IIII. prædecessoris nostri de registrandis,et insinuandis in Camera Apostolica gratijs interesse eiusdem Cameræ concernentibus infra certum tempus,ac quibusuis alijs constitutionibus,& ordinationibus Apostolicis, ac Ciuitatis Firmanæ iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis,& consuetudinibus, priuilegijs quoque,indultis, & litteris apostolicis quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes ad effectum præmissorum duntaxat, specialiter,& expressè derogamus, cæterisq. contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrũ, sub anulo Piscatoris,die x. Februarij. M. D. LXXXVI.

Pontificatus Nostri Anno Primo.

Io: Baptista Canobius.



STATVTORVM COMMVNIS FIRMI LIBER PRIMVS FELICITER INCIPIT.





VMANI generis creaturæ, ſumma ab Opt. Max. Deo prouidentia formatæ, ille ipſe ſupernus artifex, ac rerũ omnium conditor, & opifex maximus, vt indulgentiſſimus parens liberum conceſſit arbitrium, & cuncta in hoc inferiori orbe creata eius dominio ſubeſſe voluit; cui tantam fœlicitatem inuidens callidiſſimus inueterator, prothoparentes noſtros aſtu aggreſſus à recto rationis tramite, rectæq. mentis ſtatu tranſuerſos, ac præcipites egit. Inde, vt à vitiato ſemine, procreata mortalitas in dies magis atque magis deterior facta ad omnem tandem flagitioſum facinus, & impietatem progreſſa, innocentiæ, & probitati vix locum vllum tutum vſpiam fecerat, ac iam reliquerat. Sed ille, qui lapſa reparat, reparata corroborat, & confirmat, pia diſpoſitione conſuluit, ſanctiſſimas leges præbendo, earumq. ſumma integritate miniſtros præditos concedendo, ad cohercendam improborum audaciam, innocentiamq. tutandam. Hinc eſt, quòd probi, & ſapientes viri Iulianus Ser Franciſci Contratæ Caſtelli, Antonius Egidiutij Contratæ Pilæ, D. Cola D. Vannis Contratæ Sancti Martini, Ser Clericus Brunichi Contratæ Florentiæ, Anſouinus D. Philippi Contratæ Sancti Bartholomei, Magiſter Philippus Magiſtri Dominici Contratę Campiletij Statutarij Ciuitatis Firmanæ, eiusq. comitatus, fortiæ, & diſtrictus, per Generale Cõcilium dictæ Ciuitatis ad hoc legitimè, & ſolenniter deputati, vt patet manu Ser Cicchi Magiſtri Nicolutij de Firmo Notarij, & Cancellarij Communis, & Populi dictæ Ciuitatis, vigore, auctoritate, & arbitrio eis conceſſo per dictum Concilium fecerunt, & ordinauerunt, decreuerunt, & ſtatuerunt decreta, ordinamenta, ſtatuta, & capitula dicta, ad laudem, & reuerentiam omnipotentis Dei, & eius matris Beatæ Marię virginis glorioſæ, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & glorioſorum Sanctorum Ioannis Euangeliſtæ, & Bartholomei Apoſtolorum, atque Beati Sabini Martyris protectorum, & defenſorum Populi Ciuitatis Firmanę, ac totius cœleſtis Curiæ: & ad honorem, & reuerentiam Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & domini, D. N. Papæ, & totius cœtus Cardinalium: & ad honorem, & triumphũ, & exaltationem Communis, & Populi Ciuitatis Firmanæ, eiusq. comitatus, fortiæ, & diſtrictus: & ad honorem, & magnificentiam DD. Priorum Populi, & Vexilliferi iuſtitiæ Ciuitatis Firmanæ, eiusq. comitatus, fortiæ, & diſtrictus: & ad augmentationem, vnionem, & perpetuam exaltationem præſentis liberi, pacifici, & popularis ſtatus dictæ Ciuitatis Firmanæ: & finalem deſtructionem, & perpetuã extirpationem cuiuſcunque contra prędicta, vel aliquod prædictorum quomodolibet attentantis, vel attentare volentis.

De veneratione festi Sanctæ Mariæ de mense Augusti. *Rubr. Prima.*


Ignum,ac debitum esse censemus,pręcipuè cunctis Firmanis,omnimodam reuerentiã exhibere gloriosissimæ,ac beatissimæ Virgini Mariæ, potissimè in festo Assumptionis de medio mense Augusti: & etiam in dicto festo venerari, quæ præ cæteris alijs sua pietate consueuit Ciuitatem Firmanam,& eius Ciues ab omni periculo defensare. Idcirco solitam, & antiquissimam consuetudinem affirmantes, statuimus,& ordinamus,quòd DD. Priores populi,& Vexillifer iustitiæ,Potestas,& Capitaneus,qui pro tempore fuerint,& quilibet eorũ teneantur, & debeant vinculo eorum iuramenti, & pœna centum lib. deñ. pro quolibet ipsorum operam dare, & facere, & curare cum effectu, & operis complemento,quòd annuatim in festo Assumptionis dictę beatissimæ,ac gloriosissimę virginis Marię,quod est de medio mense Augusti,dictum festum quantum potest honorificè,fieri faciant, & celebretur in dicta Ciuitate,vt antiquitus extitit consuetum: & quòd continuè in Kal. mensis Augusti faciant banniri publicè per dictam Ciuitatem cũ omnibus tubis,& instrumentis dicti Communis, quòd omnes Scindici Castrorum Ciuitatis, comitatus dictæ Ciuitatis, ac omnes de Portu S. Georgij cum barcha,& Becharij, Molendinarij, Calzolarij,Tabernarij, & omnes, & singuli Ciues habitatores Ciuitatis prædictę cum omnibus eorum cereis,& luminarijs,ac etiam omnes, & singuli Mularerij,& victurales cum eorum lapidibus debeant præparare se,& fulcire,ita quòd in vigilia dicti festi cum eorum lapidibus honorificè,& ordinatè,vt extitit ordinamentum,& consuetum, vadant ad Ecclesiam cathedralem dictæ Virginis Mariæ in dicta Ciuitate ad offerendum, & honorandum dictum festum, ad pœnam in statutis Ciuitatis contentam; & si statuta non esset pœna, ad pœnam arbitrio Potestatis,vel Capitanei auferendam.

De cereis, & alijs luminarijs, & lapidibus offerendis in dicto festo Beatæ Mariæ. *Rubr. 2.*

I Tem statuimus,& ordinamus,quòd D. Potestas,Capitaneus, & quilibet ipsorum,& quilibet alius officialis forensis Ciuitatis Firmi principaliter in dicta Ciuitate officium gerẽtes, tempore dicti festi teneatur, & debeat in vigilia dicti festi Beatæ Mariæ de mense Augusti facere fieri eorum expensis,secundum quòd eis placuerit, vnum cereum pro quolibet, & cum ipsis cereis ire ad dictam Ecclesiam,& offerre dictos cereos Torchio dictæ Ecclesiæ, & relinquere cum effectu: & Priores populi,& Confalonerius iustitiæ,& quilibet ipsorum,& quilibet alius Conciliarius dictæ Ciuitatis teneatur præcisè portare in dicto festo vnum cereum,videlicet vnum per domum, & fumantẽ: & si contrafecerint,puniantur dicti Priores,& Vexillifer,& quilibet ipsorum in xx. sol. deñ. tempore eorum scindicatus,& quilibet Conciliarius in x. sol. deñ. Et quilibet alius focularis, siue fumans in Ciuitate habitans,exceptis miserabilibus personis,teneantur mittere, vel ire cum luminarijs ceræ in festo prędicto,& ad dictam Ecclesiam cum illis de contrata sua, pro honore dicti festi,sub pęna v. sol. deñ. pro quolibet ipsorum contrafaciente. Item quòd fumantes,& homines de Portu Sancti Georgij,& habitantes in dicto Portu teneantur, & debeant per se venire ad dictum festum cum eorum luminaribus,& barcha,more solito,& offerre dicta luminaria,& barcham eorum ad dictum Torchium; ita tamen,quòd in magnitudine dictorum cereorum,& luminarium portandorum modus aliquis non ponatur,nec forma; sed remaneat in voluntate, & arbitrio cuiuslibet portantis: & qui contrafecerit, puniatur vice qualibet in x. sol. deñ. pro quolibet contrafaciente. Item quòd quælibet Societas Bechariorum,Molendinariorum,Calzolariorum,Tabernariorum, & Hospitatorum teneatur, & debeat in vigilia dicti festi præparasse,& præparatum habuisse,videlicet Becharij, Calzolarij, & Molendinarij vnum cereum magnum pro qualibet dictarum Societatum,laboratum, & ornatũ more solito, pretij,& valoris hactenus consueti; & dicti Tabernarij,& hospitatores Tabernam vnam laboratã, & ornatam more solito: & cum prædictis cereis,taberna,& luminarijs omnes dictæ Societates ire debeãt ad dictum festum in dicta vigilia,& offerre in dicta Ecclesia dictos cereos,dictam tabernam,& dicta luminaria,& dimittere dicto Torchio cum effectu: & hoc ad pœnam quinquaginta lib. deñ. pro qualibet Societate in prædictis contrafaciente. Item quòd omnes,& singuli fumantes Castrorum, & Villarum dictæ Ciuitatis, exceptis Castris, cum quibus haberet pacta Commune in contrarium, & non consueuerint hactenus soluere pro cereis dicti festi,teneantur,& debeant annuatim soluere de mense Augusti ante dictum festum Beatæ Mariæ Virg. duodecim deñ. pro quolibet foculare dictorum Castrorum,& Villarum Scindicis: qui Scindici de tota dicta pecunia teneantur ferre vnum Cereum pro

quo-

quolibet Castro, pretio illius summæ, ad quam ascendit solutio cuiuslibet Castri: & omnes dictos cereos accensos teneantur dicti Scindici simul & semel congregati ab Ecclesia Sanctæ Luciæ de Firmo portare ad dictum festum, & ad dictam Ecclesiam Sanctæ Mariæ in dicta vigilia offerre in dicto Torchio, & officialibus deputatis ad dictum Torchium, & super laborerio dictæ Ecclesiæ; & hoc ea hora, qua requisiti fuerint per Scindicum dicti Communis, vel officialem D. Potestatis, sub pœna cuilibet Communi Castrorum, & Villarum quadrupli eius, quod pro dictis cereis soluere teneretur, dicto Torchio applicanda, & xxxx. sol. pro quolibet Scindico non offerente, seu portante. Item quilibet agrorum colonus ciuis comitatus, vel externus, siue forēsis arans in agro Firmano soluat, & soluere teneatur annuatim pro cereo offerendo in dicto festo bon. quatuor, & quisque bucarus bon. duos ad instantiam exactoris. Item Sclaui habitantes in Ciuitate teneantur etiam offerre Cereum in dicto festo non minorem ponderis ceræ octuaginta librarum: sed illis per singulos annos restituatur post annum dimidium pedalis, eius quod superest. Item quòd omnes Mulaterij, & Someriarij habentes mulos, asinos, vel alias bestias ad vecturam, & Fornachiarij dictæ Ciuitatis teneantur, & debeant in dicta vigilia dicti festi portare, seu portari facere ad supradictam Ecclesiam, & offerre, & dimittere cum effectu officialibus laborerij dictæ Ecclesiæ vnam Salmam laterum, seu cantonū pro quolibet, sub pęna viginti sol. pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice: quas pœnas omnes, & singulas dictus Dominus Potestas, & Capitaneus, & eorum officiales possint, & debeant de facto, & sine processu aliquo soluі facere, & exigere statim cùm de inobedientia prædictorum, vel alicuius ipsorum constiterit, & applicare Torchio, & laborerio dictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ. Et quòd Miles dicti Domini Potestatis, vel Capitanei, vel ambo simul teneantur, & debeant armati, & equestres cum domicellis, & familia dictorum Domini Potestatis, & Capitanei, vel vtriusque eorum ire, & associari cum tubatoribus dicti Cōmunis omnes, & singulas, Societates prædictas hominum Portus, Scindicorum Castrorum, & Villarū, Bechariorum, Molendinariorum, Mulateriorum, & Vecturariorum, & cauere pro posse, ne rixa fiat, & insurgat in dicto festo, sub pœna centum lib. deñ. tempore eorum scindicatus de eorum proprio salario retinenda.

De officialibus eligendis ad custodiam, manutenendum introitum, & res laborerij dictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ. Rubr. 3.

AD honorem, & reuerentiam Beatæ Mariæ virginis eligantur, & eligi debeant quolibet anno per DD. Priores populi, & vexilliferum iustitiæ dictæ Ciuitatis circa exitum mensis Iulij vnus Sacerdos Ciuis bonus, & honestæ vitæ, & duo alij ciues boni, & idonei, legales, & sufficientes, & vnus Notarius expertus, & legalis, qui Scindici vocentur, & officiales ad custodiendū Torchium, & res omnes, & introitus laborerij dictæ Ecclesiæ: qui etiam recipiant relicta, & legata facta, & facienda pro opere, & laborerio dictæ Ecclesiæ: & ipsa expendant, & conuertant in laborerio dictæ Ecclesiæ. Ad quorum Scindicorum, & officialium, vel alterius ipsorum requisitionem Potestas, & Capitaneus, & quilibet ipsorum, & quilibet alter officialis dictæ Ciuitatis teneantur, & debeant omnes aliquid soluere debentes, dare, & tradere dicto laborerio, restituere, & relaxare, cogere realiter, & personaliter, tanquàm si essent debitores Communis: quorum Scindicorum, & officialium, ac Notarij officium duret vno anno completo, incipiendo in Kal. Augusti, & vt sequitur finiendo. Item teneantur dicti Scindici, & officiales conseruare claues Torchij, siue Torchiorum, & Capsarum Episcopatus Firmi: quorū officialiū quilibet habeat vnam clauē: & in dictis Torchijs, & capsis omnia, & singula priuilegia, pacta, & instrumenta, iurisdictiones, & alia iura omnia expectantia ad dictum Episcopatum, & Commune Firmi, vbicunque reperientur, & penès quoscunque debeant reponi, & custodiri, & non possint aliqua vendi, vel alienari, seu aliàs cuicunque dari, vel concedi modo aliquo. Et teneantur dicti Scindici, & officiales facere inuenrarium de supradictis palijs, priuilegijs, & iuribus nunc existentibus, & alijs occurrentibus de nouo. Et idem intelligatur fieri debere de Ciuitate argenti, et tabula argentea: quę omnia debeant custodiri per dictos Scindicos, & officiales per modum superius ordinatū. Et quòd dicta priuilegia, iura, & iurisdictiones, pacta, & palia quę nunc sunt, & in futurum erunt de introitibus dictæ Ecclesiæ, & maximè palia quę debent offerri in dicto festo per Scindicos terrarum Montis Sancti, Montis Sāctæ Marię in Georgio, Montis Rubiani, & Ripętransonum, & Montis Causarij, quæ tenentur, & debent dare dicta palia Communi Firmi annuatim in dicto festo, secundū quòd continuè retroactis temporibus dederunt, reponantur per dictos officiales in capsa magna dicti labo-

rerij ad hoc deputata, et sedente in Sacristia dictæ Ecclesiæ,vel in alio loco decenti, et tuto,reponantur prout placuerit dictis DD. Prioribus,et Confalonerio,et dictis officialibus, et vt ipsi viderint cautius reponenda,et ordinatè conseruanda. Item teneantur dicti Scindici, et officiales recipere omnes oblationes,et introitus quarumcunque rerum debitarum,et debendarum dicto laborerio,et ea solum expendere in dicto laborerio,et alijs necessarijs, et euidentibus,ac expedientibus causis dicti laborerij,et dictæ Ecclesiæ,et facere,et habere vnum librum,in quo per eorum Notarium ponantur omnes introitus,et expensæ,qui,et quæ fierent, et occurrerent eorum tempore. Et finito anno eorum officij,teneantur dictum librum,et dictas res,iura,priuilegia,pacta,palia dictæ Ecclesiæ,et dicti laborerij, et omnes denarios,qui,et quæ ad eorum manus essent,infra octo dies reddere,et consignare successoribus eorum. Et dicti eorum successores teneantur recepto eorum libro prædicto infra alios octo dies videre calculare,et examinare diligenter eorum rationem prædictam: & quicquid inuenerint eis superesse, & nondum restitutum esse, exigere teneantur. Notarius verò per dictos DD. Priores, & Confalonerium deputatus ad dictum officium,dictis officialibus, siue Scindicis teneatur,& debeat inuentarium prædictum scribere, & in dicto libro introitus, & exitus prædictos ponere, & omnia scribere, quæ ad negotia dictæ Ecclesiæ, & dicti laborerij pertinebunt, ad voluntatem, & mandatum dictorum Scindicorum, & officialium, aut alterius ipsorum. Et quicunque ex prædictis Scindicis, & officialibus,ac Notario contrafecerit in prædictis,vel aliquo prædictorum, pœnam xxv. libr. den. ipso facto incurrat. Volumus insuper, quòd Notarius prædictus deputatus ad dictum officium cum dictis officialibus, & Scindicis laborerij sit, & esse intelligatur auctoritate præsentis statuti Scindicus Communis Firmi ad recipiendum palia,& alias oblationes,quę fierēt in vigilia,& festo prædicto Sanctæ Marię de mēse Augusti ab illis personis,et Communitatibus,quę tenentur palia,et alias oblationes facere Communi Firmi, et Ecclesiæ prędictæ, et ad quietandum ea, quæ recipit: nec alius Scindicus pro Commune Firmi sit,et esse possit ad prædicta.Et habeat,et habere debeat dictus Notarius pro prędictis illud salarium, quod consueuerunt habere alij Scindici Cummunis retroactis temporibus in dicto casu,quando palia,& alia recipiunt pro Commune. Et venditiones,et alienationes,et concessiones factæ,& fiendę in posterum per prædictos officiales,et operarios,et quemlibet ipsorum valeant,et teneant auctoritate huius statuti,nec possint quomodolibet retractari: sed solum de pretio ex alienationibus prędictis facto, et recepto teneantur successoribus eorum ad redendam rationem.

De expensis fiendis Scindicis Communantiarum, & alijs quibusdam forensibus venientibus ad dictum festum. Rubr. 4.

PRo honore nostri Communis statuimus,& ordinamus,quòd DD.Priores populi,& Confalonerius iustitiæ dictæ Ciuitatis, ac Regulatores Communis prædicti secundum quòd per eos deliberatum fuerit,faciant, & fieri faciant expensas de pecunia, & hauere dicti Communis Scindicis,& Ambasciatoribus terrarum Montis Sancti,Montis Causanj,Montis Robiani, Montis Sāctæ Marię in Georgio,& Ripętransonum venientibus ad dictum festum Beatę Marię cum palijs,& eorum socijs. Et quòd dicti DD. Priores, & Confalonerius iustitiæ vnà cum dictis Regulatoribus teneantur,& debeant prouidere,& deliberare de famulis armatis pro custodia dicti festi,& dictos famulos armatos imponere Castris comitatus: Et quòd Castra teneantur famulos prædictos mittere ad voluntatem,& mandatum dictorum Dominorum bene fulcitos, & armatos pro custodia dicti festi, & pro conseruatione præsentis status popularis in numero quantitatis, & modo secundum quòd dictis DD. Prioribus,& Confalonerio videbitur expedire: Et quòd dicti famuli teneantur,& debeant stare in dicta Ciuitate, & ire cum officialibus D. Potestatis, vel Capitanei per dictam Ciuitatem pro custodia prædicta ad mandatum dictorum officialium: Et quòd dictis famulis dari possint, & debeant expensæ de pęcunia dicti Communis,si dictis DD. Prioribus,& Regulatoribus videretur conuenire.

De veneratione Sanctæ Spinæ. Rubr. 5.

STatuimus,& ordinamus,quòd in festiuitatibus Sanctæ Crucis de mense Maij, & mense Septembris,& in die Veneris sancti DD. Priores, & Confalonerius iustitiæ cum officialibus Ciuitatis Firmi teneantur publicè venerari Spinam sanctam, & ire ad Ecclesiam Sancti Augustini qualibet dictarum dierum,in quibus diebus ostendatur publicè dicta sanctissima Spina per totā diem de mane vsque ad vesperas,& offerre debeant dicti DD. Priores vice qualibet duos cereos ceræ valoris vnius floreni auri de pecunia,& hauere dicti Communis Firmi.

De festo Beati Bartholomei Apostoli singulariter honorando. *Rubr. 6.*

CVm populus Ciuitatis Firmanæ fuerit in die Beati Bartholomei Apostoli à Tyrannica rabie liberatus; & vt dona, quæ capiuntur à Deo intercedentibus meritis Sanctorum eiusdem, non tradantur obliuioni: Statuimus, & ordinamus, quòd singulis annis in perpetuum in conseruationem memoriæ prælibatæ in die festi, & in vigilia Sancti Bartholomei Apostoli de mense Augusti fiat, & fieri debeat aliquod festum singulare, ad honorem, & reuerentiam Beati Bartholomei prædicti, secundum deliberationem, & voluntatem DD. Priorum populi, & Confalonerij iustitiæ, qui pro tempore erunt, vnà cum Regulatoribus dictæ Ciuitatis: & quòd circa festum, & solennitatem fiendam in dicto festo possint dicti Domini expendere de pecunia, & hauere dicti Communis vsque ad vigintiquinque libras denariorum absque aliqua alia deliberatione Cernitæ, vel Concilij specialis, vel generalis.

De Scindicis, & procuratoribus eligendis in qualibet Ecclesia Ciuitatis. *Rubr. 7.*

VOlumus, & ordinamus, quòd in qualibet Ecclesia Ciuitatis Firmi eligantur per omnes Parrochianos, vel maiorem partem ipsorum duo Scindici, & Procuratores, fideles homines, & idonei qui faciant inuentarium infra decem dies post eorum electionem de bonis stabilibus illius Ecclesiæ in qua electi erunt, & de libris, campanis, & paramentis, & alijs ornamentis, & rebus dictæ Ecclesiæ, & de omnibus alijs rebus, & bonis, & iuribus dictæ Ecclesię, ne alienatio fiat in posterum, nec aliqua iniusta, & damnosa negligentia amplius easdem afficiat: qui etiã bona ecclesiastica recuperare ab iniustè possidentibus, relicta, & alia debita petere, & alia iura ecclesiastica prosequi teneantur, saluo tamẽ iure Episcopi: & in prædictis relictis petendis, & exigendis, singuli Notarij Ciuitatis prædictæ prædictis Scindicis, & Procuratoribus singula testamẽta, & relicta, & legata ad dictas Ecclesias spectantia, & pertinentia notificare, & pandere teneãtur. Et si prouentus Ecclesiarum non sufficerent Capellanis ipsarum Ecclesiarum, dicti Scindici, & Procuratores eisdem recuperata exhibeant, reddant, & tradant pro substentatione ipsorum, cum voluntate maioris partis Parrochianorum, & inquisita ratione de redditibus dictarum Ecclesiarum, superflua in vtilitatem, et commodum dictarum Ecclesiarum conuertant. Qui Procuratores teneantur infra xv. dies proximos finito eorum officio alijs subsequentibus Procuratoribus administrationis prædictorum reddere plenariam rationẽ, sub pœna quinquaginta libr. deñ. de facto exigenda à quolibet contrafaciente per Potestatem, vel Capitaneum: nec de hoc salarium aliquod consequatur: et id statuimus obseruari in districtu Firmi. Et si qua Ecclesia, vel Monasterium reperiretur Parrochianos non habere, ordinentur in eisdem ad voluntatem DD. Priorum, et Confalonerij iustitiæ: qui Procuratores, et Scindici si reperti fuerint culpabiles in aliquo prædictorum, de facto, et sine processu puniantur arbitrio Rectoris vsque ad quantitatem xxv. libr. deñ. nomine pœnæ; et reliqua restituant. Et de prædictis Potestas, et Capitaneus, et quilibet ipsorũ inuicem potestatem habeant inquirendi, et puniendi, et per inquisitionem procedendi: et quilibet Parrochianus pro sua Ecclesia habeatur, et sit legitimus accusator, et denunciator.

De Palijs dandis infrascriptis Ecclesiis. *Rubr. 8.*

ITem statuimus, et ordinamus, quòd singulis annis detur vnum palium valoris centum solidorum de pecunia Communis Firmi singulis Ecclesijs constitutis in Ciuitate Firmi, in quibus diuina officia continuè celebrantur, in die festi dictarum Ecclesiarum: et etiam detur in festo Sancti Adæ in Ecclesia Sãcti Sauini: Et hoc, si DD. Prioribus, et Confalonerio iustitiæ vnà cũ Regulatoribus videretur fore danda dicta palia dictis Ecclesijs, vel aliquibus ipsarũ, vel alicui ipsarũ.

De statuto Ecclesiæ Sancti Saluatoris. *Rubr. 9.*

EXpressè teneatur Potestas Ciuitatis Firmi Ecclesiam Sancti Emidij positam vltra Tennam immediatè pertinẽtem ad Ecclesiam Sancti Saluatoris de Firmo recuperare modis omnibus opportunis, et dare Priori dictæ Ecclesię auxilium, consilium, et fauorem ad recuperandum eandem Ecclesiam, et iura, et pertinentias ipsius in seruitium dictę Ecclesię Sancti Saluatoris. Et idẽ facere teneatur alijs Ecclesij s dictę Ciuitatis pro earum iuribus recuperandis.

De Captiuis offerendis. *Rubr. 10.*

Volumus, (ne carcerati macerentur in carceribus) quòd DD. Priores populi, & Confalonerius iustitiæ Ciuitatis Firmi offerre possint in festo Sanctæ Mariæ de mense Augusti, cùm diuina officia celebrantur, quando ipsi Domini ibunt ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ, duos, vel tres de captiuis, & incarceratis pro delictis, & condemnationibus de eis factis, & non pro debito ciuili alicuius priuatæ personæ, qui fuerunt, & steterunt in carceribus Communis per vnum mensem ad minus: si dicti captiui offerēdi pacem, & remissionem habuerint iniuriæ à parte offensa, occasione cuius condemnati fuissent. Et idem possint facere dicti DD. Priores, & Confalonerius in festo Natiuitatis D. N. Iesu Christi, & in festo Paschatis Resurrectionis: alijs verò temporibus, & festiuitatibus dicti Domini nullatenus offerant, vel relaxent absque expressa licentia Concilij generalis. Et si in dictis festiuitatibus, in quibus carcerati, & captiui prædicti possunt per dictos Dominos offerri in dictis carceribus, essent plures carcerati, qui stetissent in dictis carceribus saltem per dictum tempus vnius mensis, & haberent pacem à parte offensa, vt superius dictum est; tunc relaxentur, & offerantur duo, vel tres ex eis, secundum quòd dictis Dominis visum fuerit, & secundum quòd ipsi Domini deliberabūt, & statuent. Et si inter eos esset discordia in eligendo dictos captiuos, tunc proponant, & proponi faciant in Cernita ordinata infra in secundo libro huius voluminis sub rubrica de modo congregandi Concilia: & illud quod deliberatum fuerit in dicta Cernita, illud faciant, & offerant illos, quos dicta Cernita reformabit: & si aliter fiat oblatio dictorum carceratorum, & captiuorum, non valeat ipso iure. Et DD. Priores, & Confalonerius, qui contra prędicta fecerint non seruata dicta forma, cadant in pœnam centum florenorum auri pro quolibet, & vice qualibet; & ad damna, & interesse Communis teneantur: & si facta fuerit dicta oblatio de dictis carceratis dicta forma seruata, tunc condemnationes, pro quibus in dictis carceribus stabant, cancellentur, & amplius dicta occasione à Commune, vel specialibus personis non possint dicti captiui sic oblati vlterius quomodolibet vexari, vel inquietari. Item volumus, quòd si aliquis fuerit oblatus, vt supra præfertur, & deinde deliquerit, & fuerit propter delictum condemnatus, non possit de cætero offerri aliquo tempore, sed semper in carceribus teneatur, si haberi poterit, donec condemnationem integraliter soluerit, vel pœnam debitam secundum condemnationem de se factam subierit. Et quia in his casibus plerunque inopes grauantur, prę senti lege cautum sit, vt quicunque de cętero itidem Ecclesiæ largietur ex forma statutorum, nihil neque pro carcere, nec pro bullectino Cancellarię, nec pro re vlla modo aliquo cuiquam officiali, aut Cancellario soluat, non etiam Communitati Firmi, et cuiusquam Cancellarię emolumenta erunt: quod perpetuò seruari ab omnibus debeat.

Declarantes, quòd prędicta omnia, et singula intelligantur, et habeant locum in condemnatis personaliter.

PRIMI LIBRI FINIS.






STATVTORVM COMMVNIS FIRMI LIBER SECVNDVS

FELICITER INCIPIT.

De cursu Palij. *Rubr. Prima.*



TATVIMVS, & ordinamus, quòd ad cursum Velluti, vel Scarlati, siue alrerius Palij, qui fiet in die Beatæ Mariæ virginis de mense Augusti, nullus audeat, vel præsumat currentibus ad dictum Palium aliquod cõtrarium, vel impedimentum præstare, seu alicui ipsorum auxilium, consilium, vel fauorẽ dare in cursu prædicto, tam equis currentibus ad dictum Palium, quàm equi tatoribus, vel alteri ipsorum in cursu dicti itineris vsque ad acceptionem dicti Palij: & qui contrafecerit puniatur in xxv. lib. deñ. & plus & minus, ad volũtatem D. Potestatis, seu Capitanei. Et quòd Vellutum, Scarlatum, seu Palium, quod ponetur per cursum equorum, primò videatur per Priores populi, & Confalonerium iustitiæ; & illud quod videbitur eis, ponatur, & non aliud, nec possit postea cambiari; & illud quod vincitur, illud habeat victor, & non aliud. Et quòd primò vincatur Palium prædictum per primum currentem, & primum venientem ad ipsum: secundò vincatur per secundum venientẽ Astore: & tertiò, & vltimò Sparuere per tertium currentem, & venienrẽ per viam maris vsque ad Palatium Cõmunis, vt moris est, de mane ante prandiũ, & postea fiat ludus anuli, & tauri, sicut consuetum est: ad quem ludum anuli currere tantũ debeant astiludentes in festo prædicto cũ sonalijs.

De bursiatis, & modo, & forma aperiendi capsettas, & extrahendi eos, & conseruatione capsettarum, & remittendi alterum pro altero. *Rubr. 2.*



Tatuimus, & ordinamus, quòd capsa, in qua sunt bursæ DD. Priorum populi, & Vexilliferi iustitiæ, & alia, in qua sunt alij officiales, permaneant in Sacristia S. Mariæ Episcopatus in alia capsa magna, prout repositæ sunt; & claues capsæ Dominorum sint, videlicet apud Confalonerium iustitiæ vna, & alia apud D. Capitaneum populi, & alia apud Priorem S. Dominici. Capsæ verò aliorum officialium vna clauis sit apud dictum Confalonerium, & alia apud dictum Capitaneum, vel Potestatem, vacante officio Capitanei. Capsæ verò magnæ, quæ est in dicta Sacristia, vna clauis sit apud dictum Capitaneum populi, vel Potestatem, & alia apud Guardianum S. Francisci, & alia apud Priorem S. Augustini: & quando erunt extrahendi DD. Priores, & alij officiales, seruetur hic ordo, videlicet ꝙ adhibitis prædictis habentibus dictas claues, & bannito die præcedenti Concilio generali, & speciali Ciuitatis Firmi, portetur ipsa capsa vbi sunt bursæ, per officiales D. Capitanei, vel Potestatis, & familiares DD. Priorum cum tubis solenniter in Concilio prædicto: & facta extractione, in simili forma reportentur: & extractio sic fiat, videlicet ꝙ aperta capsa per habentes claues, & accepta per Cancellarium coaceruatione bursarum eorum, qui extrahendi erunt, & aperta bursa Dominorum, vel aliorum officialium illius contratæ, quam tangit secundum ordinem Contratarum in ordine consueto, altè tenendo eam apertam; tunc D. Capita

neus populi, vel Poteſtas extrahat manu propria vnam palluctam fato de illa burſa, & palàm ponat eam in manu Cancellarij, qui tenendo eam altè, aperiat, & publicet ſcriptos intus: & qui reperientur in cartuccia, quæ eſt in ipſa palluċta, ſint Priores, vel alij officiales pro tempore ordinato, incipiendo feliciter in Kal. menſis Iulij proximè futuri anni M C C C L X X X. et vt ſequitur proſequendo, et palàm reclaudatur, et reponatur burſa, et clauſa capſa reportetur, vt dictum eſt. Et extracti de dictis burſis habeât poteſtatem, auctoritatem, iuriſdictionem, et baliam eis attributam, vel attribuendã per formam ſtatutorum, et ordinamentorum dictæ Ciuitatis. Qui verò fuerint de dictis burſis extracti, teneantur, & debeant officia, ad quę extracti fuerint, acceptare, & ea exercere, niſi legitimam excuſationem, vel impedimentum habuerint, quod diſcretioni, & iudicio DD. Priorum populi, & Confalonerij iuſtitiæ, Capitanei populi, vel Poteſtatis relinquatur. Quæ capſa aliter quàm in dicta forma publicè ſine fraude aliqua alibi q̃ in Concilio generali, & ſpeciali aperiri, vel extractio aliqua fieri non poſſit, pęna D. Poteſtati, & Capitaneo populi, & cuilibet ex DD. Prioribus, & Confalonerijs iuſtitiæ perſonali, & ęris, Cõmuni Firmi applicañ. de quo ſpecialiter debeant ſcindicari tempore ſcindicatus eorum. Et Cancellarius Cõmunis prędicti eidem pęnę ſubiaceat ipſo facto, niſi impedierit, & ſi permiſerit eam aliter aperiri, & maximè niſi per ipſum Cancellariũ in ipſis Concilijs cõnumerando intereſſe viderit à Dominis vltra xxxx. Ciues. Si verò contigerit aliquẽ ex DD. Prioribus populi, & Vexillifero iuſtitiæ ſcriptis in cartuccia extractum, eſſe mortuũ, vel abſentem, vel infirmum, vel aliter legitimè impeditum, quod diſcretioni, & iudicio Capitanei populi, vel Poteſtatis, ſi Capitaneus non eſſet pro tempore, relinquimus: tunc recurratur ad aliam burſam adiunctorũ, ſeu ſpiciulatorum illius eiuſdem contratæ, & alius dicta forma fato extrahatur loco talis deficientis: & ſi talis deficiens eſſet mortuus, tunc eius nomen caſſetur: ſi verò eſſet abſens, vel aliter impeditus, tunc eius nomen incidatur de cartuccia extracta, & reponatur inter ſpiciulatos ſuæ contratæ. Deficiente verò aliqua burſa ſpiciulatorum, tunc per DD. Priores populi, & Confalonerium iuſtitiæ, & Capitaneum populi, vel Poteſtatem, vnà cum Concilio ſpeciali prouideatur de alijs ſpiciulatis illius contratæ, imburſandis prout eis melius videbitur prouidendũ. Deficientibus verò aliquibus alijs imburſatis vltra Priores, & Confalonerium iuſtitiæ, cùm non ſint ordinati loco eorum aliqui ſpiciulati, prouideatur de alio de eadem contrata loco talis deficientis per dictos Dominos cum dicto Concilio, prout eis videbitur prouidendum. Si verò contigerit aliquem extractum ad aliquod officium eſſe abſentem, vel aliter impeditum, ſperaretur tamen infra octo dies poſt officium extractum accedere poſſe ad dictum officium exercendum, expectetur per dictum tempus: & eo non accedente infra dictum tempus, poſtea ſequenti die de alio prouideatur, vt ſupra, & alius ſpiciulatus extrahatur loco eius, & eius nomen inter ſpiciulatos reponatur ſecundum ordinem ſupradictum. Si verò appareret tempore extractionis ipſum eſſe taliter abſentem, vel impeditum, ꝙ infra dictos octo dies ad dictum exercitium accedere non poſſet, tunc nõ debeat expectari, ſed eodem die extractionis fiat extractio ſpiciulati, vel de alio prouideatur, vt ſupra dictum eſt. Deficientibus verò palluctis Dominorum imburſatis, tunc extrahãtur dicti ſpiciulati hoc ordine, videlicet extrahendo Confalonerium cõtratę quem tangeret, de burſa ſpiciulatorũ Confalonerij illius cõtratæ, et de qualibet alia burſa ſpiciulatorum cuiuſlibet cõtratæ extrahatur vnus Prior, et in hac forma procedatur de ipſis ſpiciulatis extrahendis, donec durabunt, dummodo DD. Priores, et Confalonerius, qui reperientur in vltima palluċta, teneãtur, et debeant habere concilia opportuna, et prouidere, et prouideri facere de alia reformatione Ciuitatis fienda pro ſequẽti tempore, prout in ipſis concilijs ſalubrius videbitur fore prouidendum: dum tamen omnes, et ſinguli ſpiciulati, et imburſati in dictis burſis extrahantur vt dictum eſt; et nulla iniuria inferri eis valeat quo quo modo. Si verò (quod abſit) contigerit aliquem ex DD. Prioribus populi, et Vexilliferis iuſtitiæ, poſtquàm inceperit officium, decedere infra octo dies, vel infirmari, vel aliter taliter impediri, ꝙ officium exercere non poſſet, tunc alij ſocij eius intelligantur habere, et habeant plenam auctoritatem, et poteſtatẽ ſine eo, et ſit, ac ſi officium non eſſet in alio numero, q̃ in remanenti: et hoc, ſi vnus tantum decederet, vel aliter impediretur. Si verò eſſent plures, tunc ab vno vltra pro alijs procedatur ad extractionem ſpiciulatorũ, et adiunctorũ loco talium, prout ſupra in prima extractione extitit ordinatũ. De alijs verò officijs, de quibus burſæ factę non ſunt, deputentur officiales ſecundum formam ſtatutorum, et ordinem conſuetum, dummodo non derogetur in aliquo alicui ex pręſentibus capitulis, quę potius debeant omnibus derogare, durante pręſenti ſtatuto. Et qui ſunt in dictis burſis, intelligantur, et ſint legitimi, et habiles ad ipſa officia, ad quę imburſati ſunt, dummodo ſit oriundus de Ciuitate, vel comitatu Firmi; et aliter non teneat ipſius electio, non obſtante aliqua exceptione, vel impedimento, quod

oppo-

opponeretur:et non obstante aliquo statuto facto,vel fiendo,quod dictę imbursationi,et ordini in aliquo contradiceret,quibus derogetur,et non obsint durante statuto pręsenti. Et seruetur forma data, videlicet ꝙ prout tangit de vna cõtrata,sit Vexillifer iustitię,de qua nullus Prior sit,et de alijs quinq; contratis sint Priores, et sic cum Vexillifero sint sex: qui Vexillifer non debeat inter eos habere nisi vnam vocem tantùm,et vnam palluctam,et nõ vltra, pro qualitate,et vnione seruanda. Adijcientes, quòd non possit quisquam remitti pro altero ad regimen,nisi is, pro quo remittitur aliquis,cedat, et renunciet prius in totum regimen in manibus Communis,non obstantibus quibuscunque.

De auctoritate Dominorum Priorum, & eorum officio. *Rubr. 3.*

DOminorum Priorũ populi,& Confalonerij iustitiæ officium tale est,& sit, ꝙ ipsi DD. Priores, & Confalonerius continuè duobus mensibus eorum officij sint,stent, & habitent, & morentur in vno Palatio pro eorũ habitatione deputato: & de dicto Palatio toto dicto tempore eorum officij nullo modo aliquis recedat, nec aliquis extra dictum Palatium vadat aliqua ratione, vel causa, nisi causa infirmitatis,vel causa faciendi Concilia generalia, & specialia,vel causa visitandi aliquem magnum Dominum temporalem,vel spiritualem venientem in Ciuitatem Firmi: & causa associandi vexillum Confalonerij iustitiæ populi,quando portatur,& datur ipsi Confalonerio secundum formam statuti loquentis de suo officio: & nisi causa eundi ad Ecclesiam ad officium diuini cultus, & eundi ad videndum,& aptare faciendum, vel reficiendum muros Communis:& nisi esset aliqua necessaria causa,& euidens pro vtilitate Cõmunis ; ꝙ tunc valeant,& possint exire,& nisi ex reformatione cõcederetur eis,vel alicui ipsorũ licentia. Item possint duo ex eis etiã ire ad honorandum eorũ sociũ, si mori contigerit durante officio. Et die,noctuq; vigilent,& studeant,& agant vtiliora,& commodiora,& necessaria Communis populi Firmi: & cum eis moretur continuè eorum Notarius pro suo officio exercendo secundum formam statutorum loquentium de officio Notarij DD. Priorum populi. Et tantam vocem habeat dictus Cõfalonerius in singulis peragendis,quantam habet vnusquisque DD. Priorum populi. Qui DD. Priores,& Confalonerius vestiantur, & vestiri debeant longis palijs, siue vestibus ad talos vsque ex pannis tenuissimè textis,coloris duntaxat rubri,vel rosacei, vel pagonatij, vel nigri,aut ex serico,vel broccato,& non breuioribus,nec ex alijs pannis, & coloribus, etiam si voto alijs pannis,& coloribus essent astricti,& indui tenerentur. Et ad ipsorum custodiam, & seruitium habeãt vnum Cocum,& vnum Bactarum,& sex domicellos indutos de veste partita ad diuisam Communis Firmi:& eiusdem vestis omnes, & singuli debeant semel in anno indui expensis Communis vestibus prædictis,videlicet in festo Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ de mense Augusti, videlicet de septem brachijs panni pro quolibet,extimationis vnius floreni pro quolibet brachio. Et non portantes dictas vestes departitas incidant in pœnam decem bonoñ. pro quolibet, & qualibet die, cum salario vnius floreni pro quolibet, & quolibet mense,& etiam in minori salario, si inter dictos DD. Priores,& Confalonerinm,& familiares,seu domicellos extitit conuentum: quo casu conuentio prædicta seruetur,soluenda dicta conuentio salarij, & pretium vestimentorum de pecunia, & hauere Communis Firmi per Bancherium dicti Communis. Et hoc locum habere volumus incipiendo in Kal. mensis Iunij M. CCC. LXXXIII. & finiendo vt sequitur. Et victum habeant in Palatio prædicto expẽsis Priorum. Et pro expensis ipsorum DD. Priorum,& Confalonerij, Notarij prædictorum Priorum, sex domicellorum, & Coci,habeant in duobus mensibus eorum officij de omni hauere, & pecunia Cõmunis prædicti centum duos ducatos auri. Qui tamen domicelli pro honore Palatij non possint esse Sclaui,nec Albanenses vllo modo. Et D. Potestas,& D. Capitaneus,& ipsorum officiales,& quicũque alius officialis Communis Firmi cum ipsis DD. Prioribus, & Confalonerio interesse debeant ad ipsorum requisitionem ,& simul tractare,ordinare,& deliberare omnia,& singula,quæ pro Communi vtilia,& necessaria,seu opportuna viderint expedire super negotiis Cõmunis, & singularũ personarũ eiusdẽ,& ipsa deliberata omnibus modis executioni mandare effectualiter. Et nullus, qui eligeretur in Priorem,seu Confaloneriũ,tempore sui officij Prioratus possit,& debeat suam artem exercere: sed ad ipsum officium continuè astringi ad dictum officium exercendum,& operandum vtilia, & necessaria,& opportuna pro Communi,vt supra dicitur,& esse,stare,& morari,intendere, cogitare, & prouidere,& semper curam,solicitudinem,& prouidentiam habere,& animaduertere circa facta dicti Communis,& inde,& super negotijs dicti Communis,& pro,& de omni meliori, & vtiliori dicti populi, & Communis Firmi. Et quòd prædicti DD. Priores,& Confalonerius,vel aliquis ipsorũ occasione dicti sui officij nihil à Communi,vel aliqua speciali persona per modum salarij, premij, vel muneris recipiant,vel

cipiant,vel recipere faciant directè,vel per obliquũ,sub dictus pœnis in præcedẽti capitulo cõtentis,ni si à dicto Communi salarium pro expensis prædictis. Et hanc normam retineant specialem,quòd quilibet dictorũ DD. Priorum decem diebus sit Prior Priorum,& non plus:quibus decem diebus durantibus,Priores,& Confalonerius illi qui Prior Priorum fuerit,parere, & obedire teneantur in his, quæ dictus Prior Ptiorum imponere voluerit. Et inter eos dictus Prior Priorum proponere, & propositam inter eos reformare debeat,quæ viderit omnibus conuenire cõuocatis,vel saltem quinque ex alijs ipso Priore Priorum computato inter coadunatos. Et nullus ex ipsis Prioribus possit aliquid proponere,reformare,vel respondere,nisi de licentia dicti Prioris Priorum. Item si contigerit per aliquam Cõmunitatem,vniuersitatem,vel dominum temporalem,vel spiritualem scribi, vel ambasciatorem mitti ad DD. Priores,seu ad Commune Firmi,vel aliàs ipsi Communi, vel Prioribus cõmitteretur electio, seu quæuis alia dispositio mittendi,seu prouidendi,sic mittentibus vel committentibus de aliquo officiali, quocunque nomine censeatur, non possint dicti Priores, & Confalonerius, seu eorum Notarius,qui pro tempore esset,seu aliquis eorum durante eorum officio,vel per duos menses post,acceptare tale officium, de quo supra scribitur, per se, vel alium, nec etiam aliquis eorum consanguineus, seu coniunctus, vel affinis vsque ad tertium gradum inclusiuè de iure Canonico computandum, per se,vel alium durante dicto officio,vel per duos menses post,non possint tale officium acceptare,pœna mille lib. deñ. cuilibet contrafacienti pro quolibet, & qualibet vice, imponenda de facto, & officijs, & beneficijs Ciuitatis Firmi perpetuò sit eo ipso quòd contrafecerit,priuatus. Teneantur etiam dicti DD. Ptiores,& Confalonerius iustitiæ,sub pœna præstiti iuramenti,& centum flor. auri pro quolibet de facto ab ipsis exigenda tempore eorum scindicatus, quolibet mense saltem semel in Concilio generali proponere, & proponi facere de conseruatione præsentis popularis status pacifici, & propositam generalem facere de prædictis,& contra tyrannicam prauitatem. Et in dicto Concilio deliberari,obtineri,& reformari possint omnia,quæ dictis Dominis & Consiliarijs eiusdem videbuntur opportuna, non obstante aliqua omissa solennitate, quæ per formam alicuius statuti requireretur, tantummodo pro conseruatione, & salute liberi, pacifici, & popularis status Ciuitatis prædictæ: & de hoc debeant specialiter scindicari. Et habeant dicti Priores,& habere debeant curam, & solicitudinem circa officia gerenda per Rectores, & officiales Communis Firmi, ne fraus, vel negligentia committatur: & etiam circa pecuniam,& hauere Communis, ne malo modo, & vltra debitum modum, vel ordinem dilapidetur, seu expendatur; & circa omnia alia necessaria, et vtilia Communis, quæ ipsis viderentur expedire. Et si in aliquo viderint male procedi, & debitum modum, vel ordinem non seruari, faciant corrigi, et ad congruum, et vtile pro Commune, et iustitiam modis omnibus reduci, & facere obseruari. Et si quid ordinatum, et reformatum fuerit in aliquo Concilio generali,vel speciali, quod aliqualiter pertineret ad aliquem Rectorem, vel officialem, vel quemcunque alium; ille, de cuius facto tractaretur, vel ad quem aliqualiter pertineret, non possit adesse, nec stare valeat in dicto Concilio, nec aliquis alius de familia eius stare, vel adesse in dicto Concilio possit, nec fratres carnales, et consobrini, et nepotes carnales,& consobrini, et cognati carnales, et generi, et soceri eiusdem, de cuius commodo, vel incommodo tractaretur in dicto Concilio: et si secus fecerint, quod factum fuerit non valeat ipso iure. Et si fuerint præsentes dicti Domini Priores, et Confalonerius, ipsos faciant absentare,& possint ipsi Priores, et Confalonerius conuocatis illis sapientibus per contratam, qui fuerint, et esse videntur pro Communi meliores,& cum vtroque, vel altero dictorum Rectorum, vel sine aliquo eorum,si eis Prioribus,et Confalonerio melius videbitur,prouidere,et deliberare in omnibus,& singulis,quæ tractanda, prouidenda,et deliberanda videntur fore necessaria,& vtilia pro Communi: et ipsi Rectores ad eorum instantiam omnia, et singula per Concilia, et Cernitam deliberata executioni mandare penitus teneantur, et possint dicti Domini Priores, et Confalonerius; et iurisdictionem habeant, et baliam congregandi dicta Concilia ad ipsorum voluntatem in Palatio ipsorum,quando,et quotiens, et quomodo voluerint,ac etiam in alijs Palatijs, si eis videretur, in præsentia dictorum Rectorum, vel alicuius ipsorum, aut etiam in absentia ipsorum: et in his Concilijs proponere, deliberare, et reformare ea, quæ sunt ad bonum, pacificum, et populare statum Ciuitatis Firmi. Et quod prouisum,et deliberatũ fuerit in ipsis Concilijs,vel aliorũ aliquo præsente Rectore Ciuitatis,vel absente,dicti Rectores teneantur executioni mandare: et valeat,et teneat,ac si cũ eorum præsentia,vel consensu factũ fuerit: et non possit aliqua littera mittẽda pro parte Cõmunis sigillari, nisi de consensu cõmuni oĩum Priorũ,vel maioris partis ipsorũ, dũmodo quinque ex eis sint in concordia, misso, et obtento primò partito inter eos super hoc ad fabas nigras, et albas:

& tempore quo littera aliqua sigilletur,omnes in vnum debeant conuenire, & interesse sigillationi, si aliqua dissensio esset in prædictis. Si quis verò in prædictis,vel aliquo prædictorum contrafecerit, puniatur de facto in centum florenis auri,& etiam maiori pęna,& acriori,realiter, & personaliter Rectoris arbitrio,prout delicti qualitas poposcerit. Item non possit aliquis Prior, vel Confalonerius, qui pro tempore fuerit,durante eius officio ire in aliquam imbasciatam pro Commune Firmi extra Ciuitatem,& comitatum,pœna mille lib. pro quolibet,& qualibet vice, auferenda de facto per Rectores, vel eorum scindicatorem:& possint dicti Priores,& Confalonerius in dictis Concilijs pęnas, & banna imponere,quæ banna Potestas,vel Capitaneus,& alter ipsorum exigere teneatur, & executioni mandare: quibus Prioribus, & Confalonerio Bannitores, Præcones, & Balij Communis debeant parere, & obedire in omnibus, & singulis opportunis pro dicto Communi,& Concilium, & Concilia bannire: & vt eorum officium melius exequatur, habeant duos balios, quorũ quilibet habeat tres lib. mẽse quolibet à Commune,& vnam tunicam singulis annis in festo Assumptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ de mense Augusti de hauere,& pecunia Communis Firmi, & ꝙ ipsi DD. Priores, & Confalonerius teneantur,& debeant singulis diebus veneris eorum officij dare publicam,& generalem audiẽtiam cuicunque personæ aliquid dicere volenti. Et si contigerit per aliquem peti aliquid quod fiat per ipsos Priores,& Confalonerium iustitiæ,illum aliter non audiant,nisi petitionem dederit in scriptis; quam petitionem Prior Priorum legi faciat inter ipsos Priores,& Confaloneriũ absente dicto petitore,& super ea simul deliberare an sit iustum quod petitur,vel iniustum: & si aliter fieret per ipsos, ipsa deliberatio,& prouisio sit nulla ipso iure.Et si aliqua(quod absit) discordia oriretur, vel cõtentio fuerit inter D. Potestatem,& Capitaneum,qui erunt pro tempore,dicti DD. Priores, & Confalonerius teneantur in Palatio ipsorum ita agere, & taliter facere, et effectualem operam dare die,noctuq; eorum toto posse,vt concordia fiat inter ipsos: et si fuerint in prædictis negligentes, in quinquaginta lib. den. pro quolibet dictorũ Priorum,& Confalonerij puniantur. Item possint dicti DD. Priores, et Confalonerius,quotiens opus fuerit,ambasciatores,siue oratores,vnum, vel plures eligere,prout melius v[illegible]erint pro Communi,& ipsum,vel ipsos ambasciatores, seu oratores semper cum punctis ambasciatæ in scriptis transmittere in Prouincia Marchiæ tantum: extra verò Prouinciam sine decreto solennis Cernitæ transmittere non possint, nec eligere,vel deputare nulla Concilij approbatione requisita,punctorum ambasciatæ copia reseruata in Communi,& registrata in libro Cõmunis per Cancellarium,vel Notarium ad hoc deputatũ. Item ꝙ omnes litteræ,quæ venerint Communi Firmi ex quacunque occasione,& quacunque vniuersitate,loco,domino, vel quacunque alia persona, assignentur DD. Prioribus populi, & Confalonerio iustitiæ, & ipsas recipiat Prior Priorum, & aperiat, & tradat Cancellario legendas, & vulgarizandas in eorum Dominorum, & Confalonerij præsentia. Item nec Potestas,nec Capitaneus,nec aliquis alius possit,vel debeat aliquid proponere in Concilio, vel reformare sine dictorũ Priorũ,& Confalonerij præsentia,& consensu,pœna quingentarũ lib. den.& quod secus fieret,non valeat ipso iure. Item ꝙ dicti Priores, & Confalonerius iustitiæ se non intromittant in cognoscendo,committendo,& terminando,vel aliter gerendo,seu faciendo de aliquibus causis criminalibus,vel ciuilibus,vel mixtis,quæ agitarentur in Curia Potestatis, vel Capitanei,vel cuiuscunque alterius officialis Ciuitatis Firmi,vel in futurum agitari cõtigerit,nec rogent Potestatem,vel Capitaneum,vel aliquem alium officialem Cõmunis Firmi de aliqua re,vel causa,nec de aliquo condemnando,vel absoluendo: et si contrafecerint, in centum lib. den. pro quolibet,et qualibet uice puniantur. Possint tamen, & debeant dicti Priores, & Confalonerius causam ad ipsos deuolutam per viam secundæ appellationis committere in termino octo dierum à die quo fuerint requisiti per partes, vel alteram partium,audiendam,cognoscendam,et terminandam Collegio tantum, vel collegiatis Ciuitatis,sub pęna,& ad pęnam xxv.lib.den. de facto soluendarum,si contrafecerint: et de hoc specialiter scindicentur: et appellantes debeant infra quinque dies immediatè post interpositam appellationem petere coram præfatis DD, Prioribus causam committi: & etiam teneantur facere citari appellatos in dicto termino quinque dierum,vt compareant corã præfatis DD. Prioribus ad dandum suspectos, & confidatos: et si infra dictos quinque dies appellantes non petierint causas prædictas committi per præfatos DD, Priores,nec appellatos citari fecerint ad dandum suspectos,et confidatos, vt supra; tũc causa appellationis sit deserta,et ipso iure sit nulla. Statuentes etiam, ꝙ secundæ causę appellationũ, quæ committuntur per præfatos DD. Priores,ex primis duntaxat actis iustificentur: exceptis instrumentis publicis de nouo repertis,quę in dictis causis possint,& admitti debeãt, de quibus iuratum fuerit nouam habuisse notitiam. Maleficiorum verò omnes causas appellationum committere teneãtur,

& debeant

et debeant infra terminum x. dierum à die interpositionis tunc proximè futurorũ, sub pœna xxv. duc. pro quolibet Priore, si in dicto termino ipsas non commiserint. Item & Cancellarius incidat in pęnā xxv. duc. si non recordatus fuerit, & protestatus. Et etiam Scindicus Communis ad causas deputatus, si non solicitauerit, & procurauerit, vt dictę causę appellationum maleficiorum in termino prędicto cõ mittantur, incurrat dictam pęnam xxv. ducat. de facto exigendorũ ab omnibus supradictis, si in prædictis contrafecerint, vel negligentes fuerint. Et quòd toto tempore officij ipsorũ nõ possint ipsi Priores, & Confalonerius, et Notarius ipsorum, vel aliquis eorum aliquem realiter, & personaliter conuenire, nec ab alijs conueniri, nec in concilio aliquo proponi facere de aliqua eorum propria quęstione, seu proprio facto alicuius ipsorũ: & si contrafactum fuerit per aliquos, seu aliquem ipsorum, sit nullũ ipso iure; et nihilominus puniatur in dicta pęna centũ lib. Et quòd toto tempore officij ipsorum Priorum, et Vexilliferi iustitiæ, atque Notarij in eorum causis, et quęstionibus terminus non currat alicui partium à die ipsorum iuramenti, sed sint in eo statu, in quo erant die iuramenti eorũ officij: & si in dicto officio aliquis ipsorũ deliquerit, vel fraudem, vel dolũ cõmiserit, centũ libris deñ. vice qualibet, et pro quolibet puniatur per iudicem iustitiæ, vel scindicatores eorũ sine aliqua solennitate iudiciali, et ad dictum officiũ nullatenus amplius assumatur, sed ab eo potius priuetur, et reuocetur: et iudex iustitiæ teneatur, et debeat prędicta omnia, et singula obseruare, et facere obseruari, sub pœna centũ libr. deñ. Item ꝙ dicti Priores, et Confalonerius non possint proponere, prouidere, seu deliberare in aliquo Concilio, nec inter ipsos, vel aliter, ꝙ Potestas, vel aliquis ex suis officialibus, seu Capitaneus populi, vel aliquis ex suis officialibus, seu aliquis alius officialis Cõmunis Firmi non scindicetur, seu ratiocinetur; vel ꝙ ante tempus sui officij scindicetur, nisi finito tempore sui officij, sub pęna quingentarum lib. deñ. pro quolibet, et qualibet vice ipsorum Priorum, & Confalonerij; ad quā ipso facto habeatur pro condemnato auctoritate præsentis statuti, et extrahatur de collegio, et societate populi Firmi; et ꝙ ad aliquē legitimum actum nullatenus admitti possit. Itē non possint prouidere, seu deliberare de aliqua pecunia Cõmunis expendenda pro aliqua causa, nisi vsque ad quantitatē x. lib. deñ. tantũ, et pro causa necessaria, et vtili pro Cõmuni: et ab inde supra possint expendere de hauere, et pecunia Cõmunis vsque ad quantitatem quingentarũ lib. deñ. facta deliberatione, et prouisione de expendendo prius inter eos vnà cũ Regulatoribus Cõmunis, et Capitaneis artiũ sex contratarũ, vel maiori parte ipsorũ: ab inde verò supra non possint expēdere, nisi prius facta simili deliberatione, et prouisione dicti expendij per eos, vnà cum dictis Regulatoribus, et Capitaneis artium: et ipsa prouisione, et deliberatione prius reducta per ipsos Priores, et Confalonerium ad Conciliũ speciale de populo ad fabas nigras, et albas secundũ formam statutorum loquentiũ de prædictis: et si aliter fieret, non valeat quod factũ fuerit, et ad exitus Cõmunis per Bancherium nullatenus mitti possit aliquo quæsito colore: et si repertũ fuerit esse missum ad exitus Cõmunis, de suo Bancherius soluat, etiā si de officio, et administratione bancheriatus fuerit aliàs absolutus; et semper Cõmuni remaneat obligatus, donec effectualiter Communi de ipsa pecunia satisfecerit integraliter. Itē ꝙ dicti DD. Priores, et Confalonerius tempore quo esset rumor in Ciuitate, vel districtu, seu seditio aliquo tempore guerræ, mittant custodes ad Castra, et fortilitias Cõmunis Firmi, & speculatores, seu spigas quocunque, et quandocunque eis videbitur vtile esse pro Cõmuni, expensis Cõmunis, dũmodo mittant custodes idoneos, Ciuitatis Firmi continuos habitatores. Item ꝙ contra Priores, et Confalonerium iustitiæ, et eorum Notariũ, vel ipsorũ aliquem procedi non possit per inquisitionē toto tempore eorũ officij, & post finitum dictum officium vsque ad annum pro aliquo maleficio, vel quasi, nisi de homicidio, vel percussione publicè facta, falsitate testium, vel instrumentorum, de robaria stratarũ, blasphemia Dei, & Sanctorum, prodimento, violatione virginum, vel sanctarum Monialiũ, & nisi in eo quod inueniretur in eorũ officio Prioratus fecisse, indebitè aliquam pecuniam per baratariam accepisse, vel fraudem cõmisisse: & hoc intelligatur, & locum habeat, nisi esset accusatus, vel denunciatus ab illo, qui iniuriam passus fuerit, quo casu contra ipsos, vel alterum ipsorũ procedi possit. Item ꝙ dicti Priores, & Confalonerius iustitiæ non possint aliquam propositam facere in Concilio generali, vel speciali, nisi prius deliberata fuerit per dictos DD. Priores, & Confalonerium iustitiæ vnà cum Capitaneis artiũ, Regulatoribus, & hominibus vocatis ad Cernitam, vel per maiorem partem ipsorum: & si secus factum fuerit, non valeat ipso iure: & Cãcellarius propositam factam scribere non possit, vel debeat, sub pœna centum lib. deñ. ab ipso de facto exigenda per quemcunque officialē dictæ Ciuitatis pro qualibet vice, qua contrafactum fuerit. Item ꝙ non possint cõcedere per Ciuitatem, vel comitatum aliqua officia, vel castellanias, nisi sint imbursata dicta officia: & imbuxulatis, & extractis de buxulis pœna centum lib. deñ. pro quolibet, & qualibet

vice,

vice, qua fuerit contrafactum: & nihilominus id, quod factum fuerit præter dictam formam, non valeat ipso iure. Item nō possint, nec debeant scribere in fauorem alicuius condemnati pro meleficijs in Castris comitatus sine licentia, & deliberatione solennis Cernitę, sub pœna xxv. lib. deñ. pro quolibet Priore, & qualibet vice, qua contrafecerint: & quinquaginta lib. Cancellario Communis qualibet vice, qua scripserit. Item non possint alicubi scribere litteras pro officijs, beneficijs, aut armigerorum conductionibus, pro aliquo talia requirente, nec si controuersię, & lites inter Ciues, aut comitatinos verterentur, sine Cernitę prædictæ deliberatione, pęna prædicta. Item quòd non possint dicti Priores, & Confalonerius aliquos stipendiarios equestres, seu pedites conducere, seu refirmare, vel cassare sine consensu, præsentia, & deliberatione Regulatorum, & Cernitæ quatuor bonorum virorum per contratam ad minus. Item quòd non possint dicti Priores inire, vel prouocare aliquod bellū, siue guerram, vel impresam, seu nouitatem facere, propter quod bellum, vel aliquod scandalum dicto Cōmuni posset venire, vel sequi, nec aliquid arduū facere sine expresso consensu, & deliberatione Cōcilij generalis, vel specialis, sub pęna mille lib. deñ. & maiori in hauere, & persona, Rectoris arbitrio: & de hoc contra ipsos, & quemlibet ipsorum etiam durante eorum officio procedi valeat, & inquiri, & ipsis imponi pęna prædicta: & ille, qui dicta occasione fuerit condemnatus in minori pœna, quàm mortis, perpetuò sit infamis, & priuatus beneficijs, & honoribus Communis. Item quòd DD. Priores non vadāt ad aliquas nuptias, vel luctum, vel mortem alicuius, nisi pro patre, filio, filia, fratre carnali, vxore, sorore, nepote, vel nepte, aut consobrino, vel alio coniūcto, vel affine vsque in secundum gradum inclusiuè de iure canonico computandum: & tunc in eo casu possit talis attinens, vel affinis cum vno ex suis socijs Prioribus ad dictas nuptias, vel luctum ire, pœna xxv. lib. deñ. pro quolibet, & qualibet vice. Itē nō possint mittere aliquos executores per comitatū, nisi cū consensu Regulatorum, sub pęna prędicta pro quolibet, & qualibet vice. Item possint dicti Priores, & Vexillifer, & Notarius finito eorum officio per quinquēnium proximum quæcunque arma offensibilia, & defensibilia portare per Ciuitatem impunè; dum tamen in Palatio Priorum, vel in Concilio generali, vel speciali ipsi non deferant. Item non possint concedere aliquem saluumconductum, vel securitatem alicui indiffinitè, seu sine temporis præfinitione: quod tempus præfinire valeant vsque ad decē dies, & non vltra, sine deliberatione Cernitæ quatuor bonorum hominum per contratam. Et hoc habeat locum etiam ad pręterita. Qui saluiconductus concessi, & concedendi per dictos DD. Priores, vel per solennē Cernitam debeant illęsè, & reuerenter obseruari per officiales Ciuitatis, & comitatus Firmi, sub pęna centum ducatorum de facto soluendorum Bancherio Communis cuilibet officiali infringenti, & non seruanti dictos saluosconductus, & de suo officio priuetur, & priuatus intelligatur auctoritate pręsentis legis: qui saluiconductus nullo modo præiudicent causis ciuilibus agitandis coram quibuscunque officialibus, seu Commissarijs, arbitris, & arbitratoribus in dicta Ciuitate, & in suo comitatu ius reddentibus. Sed dictis saluisconductibus non obstantibus, dictæ causæ ciuiles possint agitari, cognosci, terminari, & decidi per dictos officiales, commissarios, arbitros, & arbitratores, etiam si alicui partium, vel vtrique habenti inter se ipsam causam, seu causas, iudicium, seu iudicia, saluiconductus prædicti concessi fuissent, vel concederentur.

De speciali prohibitione DD. Priorum, & Confalonerij iustitiæ, & Regulatorum, ac etiam Bancherij Communis. *Rubr. 4.*

Quia Reipublicę gerentes officia, & qui curam ipsius habent, à proprijs commodis abstinere debent, & tenentur; & priuata vtilitas plerunque pręfertur publicę, quod esse non debet: Idcirco statuimus, & ordinamus, quòd nullus, cuiuscunque conditionis existat, qui Prioratus, aut confaloneriatus, aut regulariæ, vel bancheriatus fungeretur officio, occasione cuiuscunque crediti terrum, vel pecunię, quod ipsi haberent in Communi Firmi, nec etiam pro aliquo credito alicuius sui consanguinei, vel affinis primi, aut secundi gradus de iure Canonico computandi, audeat, vel præsumat tractare, ordinare, deliberare, vel operam dare, quòd sibi, vel eius consanguineo, vel affini debitum prędictum per dictum Commune de pecunia, vel rebus dicti Communis soluatur, detur, vel assignetur; nisi forte generaliter pro omnibus alijs, qui recipere teneretur, in simili casu, & de simili causa, vel materia prouideretur, tractaretur, vel opera daretur: & qui contrafecerit in prædictis, vel aliquo prædictorum, perdat id, quod à Communi recipere teneretur, aut id, quod sibi, vel suis consanguineis, vt dictū est, solui, aut dari fecisse appareret: quod deuenire volumus in Communi, & Commune ipso facto sit liberatum, & vltra id in duplum debeat irremissibiliter condemnari: & de hoc debeat specialiter scin-

dicari. Officium verò Prioratus, vel Regulatorum prædicta deliberantium, aut permittentium pœna centum librarum denariorum pro quolibet Priore, & Confalonerio, & Regulatore, ipso facto vice qualibet puniatur.

De officio Confalonerij Communis Firmi. *Rub.* 5.

CONfalonerij generalis iustitiæ,& populi officiũ tale sit,videlicet ꝙ facta electione de eo secundum formam capituli loquentis de ipsius electione, Potestas, & Capitaneus populi, Priores, & Concilium speciale populi vltimo die dominico secundi mensis officij præcessoris sui teneantur, & debeant cum vexillo generali populi, & iustitiæ accedere post ipsum vexillum ad Palatium Communis; & tunc ibi ad dictum Palatium cum Concilio generali ille qui electus fuerit in Cõfalonerium teneatur, & debeat dictum officium acceptare, & dare bonos, & idoneos fideiussores de operando, & exercendo dictum officium toto tempore sui officij bona fide, & sine fraude, & secundum formam capitulorum, & ordinamentorum loquentium de ipsius officio, & secundum formam capituli loquentis de officio Priorum: quod statutum locum habeat in Confalonerio. Quibus sic peractis, Potestas, Capitaneus, & Priores, & omnes alij de Concilio vnà cum dicto Confalonerio, & cum dicto vexillo, & post ipsum vexillum accedere debeant, & intrare Ecclesiam, in qua placuerit DD. Prioribus, & Potestas, & Capitaneus, vel vnus ex eis vexillum tradere debeat in manibus dicti Confalonerij,& ipse Cofalonerius ipsum vexillũ accipere teneatur. Et post hęc Potestas, & Capitaneus cum dicto vexillo,& omnes de dicto Concilio post eum redire ad Palatium DD.Priorum debeant: & ibi dictum vexillum reponatur in camera ipsius Confalonerij in ipso Palatio, & ibi continuè debeat retineri, & seruari, & bene custodiri: nec possit, vel debeat dictum vexillum per dictum D. Confalonerium, vel aliquem alium extrahi, vel portari in aliquo exercitu, vel caualcata, nec ad aliquem rumorem, qui esset, vel occurreret (quod absit) in Ciuitate, vel districtu Firmi, vel ad aliquem locum aliqua quacunque de causa portari, vel mutari sine præsentia, licentia, & consensu Concilij generalis, vel specialis, ac etiam voluntate DD. Priorum populi, & Confalonerij iustitiæ, vel maioris partis ipsorum; nisi quando fieret renouatio Confalonerij: Et quòd portari possit more solito ad Palatium Communis, & ad Ecclesiam absque aliqua solennitate seruata alia, nisi quòd solicitè, & cautè, & bono studio eundo, & redeundo, ne aliquid possit euenire in eo. Et ad hoc, vt dictum vexillum possit honorificè sociari, teneatur Potestas, vel Capitaneus die præcedenti mandare, vel mandari facere Capitaneis Societatum, quòd sequenti die adesse debeant ad associandum dictum vexillum vnà cum omnibus Societatibus ipsorum: quibus Capitaneis Societatum ipsi potestas,& Capitaneus possint pœnas imponere quinque sol. pro quolibet, si non veniret. Quæ dictus Potestas, & Capitaneus teneantur, & debeant obseruare, vel obseruari facere, sub pœna quingentarum lib. defi. de suo salario: in quibus per ratiocinatores Communis, vel Scindicos eorum, si contrafecerint, debeant condemnari. Et quòd omnes, & singuli de Societatibus populi teneantur,& debeant continuè, quando assignatur vexillum Confalonerio, ire ad Concilium.. Et Capitaneus teneatur eos facere legi,& requiri in dicto Concilio omnes de dictis Societatibus singulariter, & non euntes, siue non venientes ad dictum Concilium condemnare in quinque sol. pro quolibet, & ab eis exigere cum effectu pro dicto Communi, saluo quòd si aliquis habuerit iustam excusationem, propterea nullatenus condemnetur. Et quòd omnes, & singuli, qui erunt in dicto Concilio tunc temporis, teneantur, & debeant dictum Confalonerium associare vsque ad domum, & etiam nouos Priores cùm redierint à dicto Concilio, sub pœna prædicta. Et teneatur, & debeat dictus Confalonerius armatus armis, vel sine, secundum opportunitatem, cum dicto vexillo ire ad voluntatem ipsorum Priorum, vel maioris partis ad confirmationem liberi, boni, & pacifici status Communis Firmi, & populi. Et cùm contigerit aliquo casu aliquos iuratos de populo, vel aliquam partem ipsorum vocari, vel requiri per Potestatem, vel Capitaneum pro eorum officio fauorabiliter exercendo, & pro bono, libero, & pacifico statu Communis, & populi manutenendo, & defendendo, ipse Confalonerius vnà cum prædictis Prioribus, & illis de Collegio teneantur, & debeant in certo loco deputato per Dominos Priores, seu maiorem partem ipsorum conuenire, ad hoc, vt prædicti de populo prædictum vexillum, & alia insignia populi, & Societatis de populo honorabilius sequi possint: & hoc, cùm ad prædicta per dictos DD. Priores, vel per maiorem partem ipsorum fuerint requisiti. Et teneatur dictus Confalonerius,

& omnino debeat vnà cum illis de populo, cùm contigerit committi aliquod maleficium (quòd Deus auertat) in persona alicuius Ciuis, vel comitatiui per aliquem de nobilibus Ciuitatis, vel comitatus, & cùm post latam sententiam Potestatis, vel Capitanei de ipso maleficio infra quindecim dies ipsam condemnationem, & sententiam, quæ fieret occasione dicti maleficij, dictus Potestas, vel Capitaneus non valuerit exequi in persona, vel rebus delinquentis, prout de iure fieri deberet, ire cum ducentis iuratis de populo, vel maioris partis, & etiam cum alijs bonis Ciuibus, si crediderit expedire, ad Potestatem, vel Capitaneum cum armis, vel sine, secundum quòd necessarium fuerit, & fauere Potestati, vel Capitaneo totis viribus, & accedere cum familia Rectoris ad domum talis condemnati, vel alibi; ita quòd executio sententiæ fiat, & sententia executioni mandetur: & de maleficio commisso per tales vindicta resultet, ne prętextu potentię alicuius dictum maleficium remaneat impunitum. Et quòd nullus audeat, vel præsumat prædictum Confalonerium, vel aliquem alium de populo ipsum tunc sequentem, vel sequi volentem, dicto, vel facto aliqualiter offendere, iniuriari, vel impedire, quominus dicta executio impediatur, vel retardetur. Et qui contrafecerit, Potestatis, vel Capitanei arbitrio puniatur. Et si prædicti Confalonerius, vel aliqui de ducentis, vel aliqui alij de populo requisiti ad prædicta facienda fuerint negligentes, dictus Confalonerius in quingentis, & quilibet alius in quinquaginta lib. den. condemnetur. Et quòd infra prædictos dies, quibus dicta executio fieri debet per dictos DD. Potestatem, vel Capitaneum, vel Confalonerium, & prædictos alios de populo, nullus de Ciuitate Firmi audeat stationem aliquam tenere apertam; donec punitio facta fuerit de maleficio supradicto, & executio facta in persona, vel rebus, vt superius dictum est, pœna decem lib. den. pro quolibet, & qualibet vice. Et quicunque aliqualiter dictum Confalonerium, vel aliquem alium de populo, vel aliquem de sequentibus impediret, qui venire non posset, Potestatis, vel Capitanei arbitrio puniatur, inspecta qualitate delicti, & conditione personæ, & temporis, atque loci. Item teneatur (facta tamen primò conscientia de prædictis Potestati, seu Rectori Ciuitatis prædictæ deputato per Commune Firmi) D. Confalonerius vnà cum dictis Prioribus, vel sine, in certa parte domus, vel Palatij DD. Priorum omnes sex Capiteneos cotratarum, societatum populi, & etiam Capitaneos artium dictarũ societatum populi congregare, & cum eis tractare, prouidere, & ordinare omnia, & singula, quę viderint fore vtilia, & necessaria pro societate, & collegio dicti populi, & conseruatione, & reformatione eiusdem: facta tamen dicta examinatione inter eos. Et omnes insimul venire coram Prioribus faciat, & eos requirere, & monere per ea, quę examinata sunt, & prouisa, & terminata per eos pro vtilitate, & commodo dicti populi. Et D. Potestas, & Capitaneus, & Priores executioni mandent, prout ipsis Potestati, & Capitaneo, & Prioribus melius videbitur expedire. Et dicti sex Capitanei, & alij contratatum, & societatum artium de populo teneantur, & debeant dicto Confalonerio obedire & in his, & alijs ad eius officium spectantibus, ad eius requisitionem, & mandatum, sub pœna quinque sol. den. pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafecerint, & pluri, Rectoris arbitrio exigenda, delicti qualitate inspecta.

De electione Potestatis, & Capitanei. Rub. 6.

STatuimus, & ordinamus, & hac lege firmamus, q̃ Potestas, & Capitaneus Ciuitatis Firmi eligi debeat modo dicto, videlicet quòd DD. Priores populi, & Confalonerius iustitiæ, pœna centum lib. den. pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafecerint, primo mense regiminis Potestatis, vel Capitanei in Concilio generali, vel speciali extrahi faciant de capsettis, siue bursis, vbi sunt officiales, electores noui Potestatis, vel Capitanei. Qui quidem electores infra mensem à die extractionis numerandum eligi per se, vel alios faciant nouum Potestatem, vel Capitaneum, pœna centum librarum denariorum pro quolibet, & vice qualibet, qua contrafacerent. Tempore verò electionis fiendæ de dicto Potestate sibi dicatur, vel exprimatur quantitas salarij, & numerus officialium, & familiarium: & etiam similiter fiat Capitaneo, quando eligeretur per Scindicos, vel electores prædictos, vel per litteras Communis, cum modis, pactis, & conditionibus dictis, videlicet Potestas secum ducere, seu habere, ac retinere debeat duos bonos, & idoneos iudices maiores triginta annis, quorum vnus sit legum doctor, de cuius doctoratu Prioribus, & Confalonerio, qui erunt pro tempore, docere debeat infra quinque dies post iuramentum Potestatis, pęna centum florenorum auri: & alter in iure peritus: qui legum doctor debeat ciuilium officium exercere: & alter iudex debebit ad criminalia deputari: duos bonos, & idoneos socios litteratos ętatis prædictę: quinq; bonos,

& idoneos, ac expertos notarios annorum vigintiquinque maiores, quorum vnus debeat ad maleficia, & vnus ad extraordinaria deputari: alij verò tres notarij ad regimen Castrorum nostrorum, videlicet Portus, Turris Palmarum, & Marani. Tenere debeat quatuor Domicellos, viginti famulos, siue berrouarios bonos, & aptos ad arma ferenda, quatuor equos armigeros, & vnum Cocum. Non ducat secum aliquem officialem, qui sit de aliqua terra, vel loco prope Ciuitatem nostram Firmanam per quadraginta miliaria, nec aliquem officialem ducere, vel retinere possint, qui propter suam officij malam administrationem in Ciuitate nostra fuerit condemnatus, nec aliquem alium, qui fuerit ad seruitia secundi Neronis Raynaldi de Monte viridi olim tyranni dictæ Ciuitatis. Persona Potestatis, & suorum officialium, & familiarium post finitum officium refirmari non possit, nec esse ad aliquod officium, vel ministerium nostri Communis vsque ad tempus per nostra statuta, & ordines limitatum. Debeatq; in dicto officio continuè personaliter residere, & non pernoctare durante dicto suo officio extra Ciuitatem, nisi de expressa licentia Concilij, & tunc pro vtilitate Communis dictæ Ciuitatis, sed pro sua propria vtilitate, & commodo nullo modo, pœna vigintiquinque florenorum auri vice qualibet, & die quolibet. Pro carceratione alicuius, vel custodia nihil habere debeat. Nec debeat in Palatio aliquem detinere pro debito ciuili vltra vnam diem, sed ipsum mittere debeat ad carceres nostri Communis, in quibus debet stare coactus: & nec pro criminali causa in carceribus sui palatij, & palatio ipso aliquem detinere vltra vnam diem, nisi in casu quo veniret principaliter damnandus in persona, vel sub conditione. Vnum ex suis officialibus vnà cum vno ex Regulatoribus nostri Communis, quotiens requisitus fuerit, mittere teneatur ad faciendum monstram Castellanis Rocharum nostri comitatus de persona sua, eiusq; officialibus, & equis. Regulatoribus nostri Communis bis in mense monstram ad ipsorum petitionem facere teneatur. Et vt in monstris omnis fraus tollatur, cùm præsertim soleant pro famulis describi aliqui, qui in Ciuitate aut artem aliquam faciũt, aut sunt Lenones, præsenti lege cautum sit, vt nulli famuli Potestatis, aut Capitanei, vel cuiuscunque officialis forensis, si fecerint aliquam artem, vel sint Lenones, & non habitent in palatio, debeant acceptari, nec pro famulis recipi: & si secus factum fuerit, non admittantur in monstra, & omnino puniantur. Insuper vltra dictum salarium, & dicta emolumenta, & alia ex forma statutorum nostri Cõmunis permissa, & concessa, nihil debeat percipere, vel habere, nisi quòd habere debeat pro quolibet capto in platea Sancti Martini pro debito ciuili solidos quatuor: extra verò plateam infra Ciuitatem, pro quolibet capto solidos octo denariorum. In comitatu autem dicta occasione, pro quolibet famulo, & quolibet die solidos octo. Pro debito verò fiscali nihil habere debeat: nullumq; seruitium, nec munus, vel xenium suo durante officio recipere debeat, sed suo tantùm salario, & emolumentis sibi ex forma nostrorum statutorum, & ordinamentorum concessis contentus esse debeat: chartam, ceram, & atramentum pro suo officio opportunum mittere, & habere debeat suis sumptibus, & expensis. Venire nanque debeat ipse, & sui officiales, & familiares ad Ciuitatem nostram prædictam, & in Ciuitate ipsa personaliter esse per quatuor dies ante semestre prædictum: & sui, ac suorum officialiũ, & familiarium aduentus, mora, seu mansio, ac reditus erit, & esse debebit omni suo risico, periculo, & fortuna, sumptibus, & expensis. Et si (quod absit) suo durante officio personam dicti Potestatis mors raperet, sibi pro rata tantùm temporis de infrascripto salario satisfiet; manere siquidem teneatur cum omnibus, & singulis supradictis ad continuum dicti regiminis officij exercitium personaliter, & non per vicarium, vel substitutum per totum tempus prædictum: & eo finito, continuis octo diebus ad scindicatum, seu reddendam rationem cum dictis suis officialibus, & familia hic similiter permanere, atque interim quartam partem infrascripti salarij penès Bancherium nostri Communis esse per modum depositi, donec dictus scindicatus per absolutionem, vel condemnationem (quod absit) sententialiter fuerit diffinitus. Insuper non debeat, neque possit durante tempore sui officij scindicari: & si scindicaretur infra dictum tempus, scindicatus talis nullius sit valoris, & soluere debeat, & relinquere nostro Communi tertiam partem infrascripti sui salarij, si scindicatus suus fieret infra tempus prædictum. Demum de suo proprio quatuor balistas bonas, & sufficientes cum crochis, seu baldoneriis bonis, & octo de suis pauesibus relinquere debeat in Communi prædicto. Salarium verò, quod à nostro Commune recipere debeat pro se, & suis officialibus, familia, & equis prædictis, erit duarum milium septingentarum viginti librarum denariorum nostræ vsualis monetæ in hac Ciuitate nunc currentis: his enim conditionibus in hoc statuto adiectis, quòd ipse Potestas non procurabit, nec assentiet, quòd infra dictum tempus sui officii suum salarium prædictum augeatur. Et quòd si ipse Potestas, vel aliquis ex suis officialibus, vel familiaribus

liaribus contigerit condemnari tempore eorum scindicatus,aut ante,vel post aliqua ratione,vel causa,nunquã postea postulabit,vel accipiet ipse Potestas,vel aliquis ex officialibus prædictis à Commune eorum,vel alio quocunque Commune, domino, seu Rectore aliquas repręsalias, nec eis,si concederentur,vtentur contra Commune,vel singulares personas huius Ciuitatis,vel sui districtus,vel alicuius Terræ,quæ pro ipsa Ciuitate tenetur, vel ipsi recommendata esset. Quibus repræsalijs expressè renunciet nomine suo, & cuiuslibet præmissorum, cum remissione plenaria, pro quibus de rato solenniter promittat. Et quòd sic obseruabitur, & firmum esse debeat: & post suam acceptationem id legitimè reformari faciet in opportunis Concilijs Terræ suæ: quam reformationem secum in formam publicam portabit,& Cancellario nostri Communis dabit, & assignabit in principio sui officij. Præterea non debeat dictus Potestas secum ducere, vel tenere aliquem iudicem, vel officialem, qui deuetum haberet in Ciuitate nostra secundum formam nostrorum statutorum: quod tempus deueti iudicibus,& alijs officialibus in electione mittenda specificè exprimatur. Quando verò fieret electio Capitanei populi,vel iudicis iustitiæ,omnia supradicta dicantur,& repetantur in eorum,& cuiusque ipsorum electione: saluo, & reseruato, quòd salarium, numerus officialium,familiarium, & equorum,ac etiam consignatio balistarum, & pauesium remaneat, & remanere debeat in potestate, & voluntate DD. Priorum populi,& Confalonerij iustitiæ,& Regulatorũ,Confaloneriorum contratarum, Capitaneorum artium,& Cernitæ quatuor bonorum hominum per contratam vltra prædictos. Et quod factum, dictum, & reformatum fuerit per prædictos, vel per maiorem partem prædictorum, de, & super salario,& numero prædicto officialium,& consignatione fienda Communi nostro, vt dictum est, plenam habeat roboris firmitatem, aliquo alio statuto in contrarium loquente non obstante.

De iuramento Potestatis,& Capitanei,& eorum auctoritate,& officio. *Rubr. 7.*

ORdinamus,quòd Potestas Ciuitatis Firmi sit, & esse intelligatur Iudex ordinarius Ciuitatis, comitatus,& districtus Firmi, & habeat, & habere debeat, & intelligatur, & ei sit attributa, data,& concessa potestas,& omnis iurisdictio,tam meri, & misti imperij, quàm etiam cuiuscunque iurisdictionis,cum gladij potestate,& sine, tam in ciuilibus, quàm etiam in criminalibus causis, & mistis, auctoritate præsentis statuti, & sine alicuius iurisdictionis reseruatione. Et habeat, & habere debeat eius iudex maleficiorum per ipsum ad maleficia deputatus auctoritatem, & potestatem inquirendi, & procedendi, nisi per formam statutorum aliud caueretur, per omnem viam, & iurisdictionem in omnibus, & singulis criminalibus causis, & mistis, & ad omnes, & singulos actus, in omnibusque, & singulis actibus in iudicio, & extra occurrentibus, seu venientibus circa criminalia, seu mistas causas vsque ad sententiam exclusiuè: quæ sententiæ per Potestatem tantùm proferri debeant, & non per aliquem eorum iudicem, vel vicarium,nisi in casu absentiæ, vel alterius legitimi, vel iusti impedimenti: quo casu per vicarium eius in criminalibus, seu mistis sententiæ proferantur. Capitaneo verò Ciuitatis Firmi sit, & intelligatur attributa potestas, ac iurisdictio omnimoda concessa in appellationibus, & super appellationibus interpositis, & interponendis tam in causis ciuilibus, quàm criminalibus, quàm etiam mistis. In ciuilibus verò causis,& mistis primis dicto Capitaneo omnimodo intelligatur, & sit denegata potestas, & iurisdictio, nisi per modum appellationis, vel nullitatis principaliter, vel incidenter intentatis, vel petitionis reductionis ad arbitrium boni viri,vel restitutionis in integrum, vel nisi specialiter per formam alicuius statuti, vel reformationis dicto Capitaneo attributa esset, vel attribueretur in futurum iurisdictio. In criminalibus verò causis dicto Capitaneo intelligatur,& sit iurisdictio, & potestas concessa inquirendi,procedendi,condemnandi, & exequendi de maleficijs, & delictis, & de excessibus quibuscunque, quemadmodum & Potestati: inter quos Rectores supra prædictis maleficijs cognoscendis habeat locum præuentio per solam missionem copiæ ad cameram,quocunque alio statuto in contrarium non obstante. Saluo semper, quòd denunciæ maleficiorum faciendæ per Scindicos comitatus solum referri debeant Potestati, & eius Curiæ. Ac etiam sit, & esse intelligatur attributa omnimoda, & concessa potestas, & iurisdictio Capitaneo super grascia, & contra extrahentes grasciam de Ciuitate, vel comitatu: & exequendi omnes, & singulas sententias criminales latas per quoscunque Rectores dictæ Ciuitatis: & realiter, & personaliter executionem facere, prout in eis continetur, de facto, sine processu aliquo, & etiam in alijs casibus, in quibus per formam nostrorum statutorum eidem concederetur, seu concessa esset iurisdictio. Et iuret ipse D. Potestas, & Capitaneus ad sancta Dei Euangelia, manu corporaliter tacto libro, gubernare, conseruare, regere, & manutenere pro posse Ci-

uitatem Firmanam,eiusq. comitatum,& districtum,iurisdictiones,priuilegia,res, & bona mobilia, & immobilia,societatem,& collegiũ populi Ciuitatis prædictę,ad exaltationem,magnificentiam, & honorem sacrosanctę Romanę Ecclesiæ ,ac sanctissimi D. N. Papæ: & si qua bona Cõmunis dictæ Ciuitatis essent perdita, recuperare,& dare ad recuperandum opem,& operam toto posse: credentias dicti Communis, & secreta tenere, & ipsas alicui aliqualiter non reuelare : & dare semper melius consiliũ pro Commune: Statuta omnia huius voluminis,& reformationes,& omnia facta, & facienda ordinaméta,sine aliqua diminutione,vel exceptione seruare,& seruari facere,& suis officialibus seruari facere: Ecclesias,& ecclesiasticas personas,viduas,pupillos,orphanos,& alias miserabiles personas,& omnes alias in eorum iuribus conseruare: Priores populi,& Confalonerios iustitiæ, & alios Confalonerios cõtratarum,& artes,& ipsum collegiũ dicti populi,& ipsum populum totum,eiusq. libertatem,& pacem manutenere,& regere, & gubernare, & fauere pro posse: permanere continuè personaliter per ipsum,& per suos officiales in dicto suo officio toto tempore eorum,& cuiusque ipsorum officij,& toto tempore scindicatus: & ab eo non discedere aliqua ratione,vel causa de Ciuitate Firmi,& eius districtu,vsque ad finem dicti sui officij pernoctando ; nisi in seruitium Communis Firmi: quo casu cum licentia,& mandato Communis valeat pernoctare, & se absentare . Ad suam verò patriam, vel ad aliũ locum pro sua vtilitate,vel commodo ad aliquod officium,vel rectoriam extra Ciuitatem, & comitatum non possit accedere sine expressa licentia Concilij generalis , pœna xxv. flor. auri pro quolibet die,& vice qualibet. Et de dicto suo officio reddere rationem secundum formam suæ electionis,& litterarum sibi pręsentatarum de ipso officio cum officialibus omnibus,famulis,& equis,pro quibus omnibus se principaliter obliget,& teneatur in omnem casum. Arbitrium nõ petet,nec peti faciet in Cõcilio,nec aliquid aliud contra formam statutorum Cõmunis. Nec aliquid proponet, nec proponi faciet de sua refirma: nec quòd de nouo eligatur in Potestatem,vel Capitaneum : nec operam dabit ad prædicta durante tempore prohibitionis secundũ formam nostrorum statutorum . Contentus erit salario suo sine aliquo alio emolumento,& plus non petet,vel recipiet directè,vel per obliquum,aliquo colore quæsito, per se, vel suos officiales,vel familiares, vel aliam submissam personam. Officium D. Capitanei, & ipsum D. Capitaneũ huius Ciuitatis manutenebit, fauebit, & conseruabit: & ei,& suo officio deferet secundũ formam statutorum loquentium de suo officio,& è conuerso de Capitaneo ad Potestatem . Et si contigerit, quòd aliquis de suis officialibus, vel familia occasione alicuius sui officij per ratiocinatores Communis, vel per suum Scindicum condemnati essent,non petet aliquas repræsalias,nec accipiet,nec vsus erit ab aliquo domino,vel Communi contra Commune,vel speciale personam aliã huius Ciuitatis,vel sui districtus,vel alicuius Terræ, quæ pro Commune Firmi teneretur, vel tenetur occasione condemnationis,quę fieret de ipso,vel aliquo de familia sua.Seruitiũ,vel xeniũ nõ recipiet aliquod ab aliquo Ciue, vel comitatẽse huius Ciuitatis: cũ aliquo Ciue, vel comitatense, vel aliquo alio habitatore Ciuitatis,vel comitatus non comedet,nec bibet,nisi cum DD.Prioribus,& Confalonerio iustitiæ; & nisi contigerit ipsum pro aliquibus factis Communis accedere extra Ciuitatem per comitatum dictę Ciuitatis. Item teneantur Potestas,& Capitaneus,& quilibet alius Rector facere monstras de se,suisq. officialibus,familia,& equis,secundũ formã pręcedentis capituli. Itẽ teneatur mittere officialẽ cũ Regulatoribus secundũ ꝙ dictũ est in proximo pręcedenti capitulo.Ac etiã legere criminales sententias in generali Concilio præsente Bancherio,& suo Notario,& non aliter,pęna centum lib. deñ. qualibet vice : & eidem notario assignare in chartis membranis copiam dictarum sententiarum criminalium personaliter manu notarij maleficiorum, qui eas scripsit , seu legit,statim lectis ipsis sententijs, pœna Rectori contrafacienti ducentarum lib. deñ. pro qualibet vice, & notario maleficiorum. xxv. libr. deñ. pro qualibet vice . Et finito eorum officio per quatuor dies ante teneatur,& debeat restituere,& consignare Regulatoribus dicti Communis omnes eorum libros, processus, & scripturas,& infilzas per inuentarium,ligatos,& bullatos bulla dictorum Regulatorum,dummodo dicti libri sint cooperti chartis pecudinis : & in dictis copertis sint depicta arma cuiuslibet dictorum Rectorum,sub dicta pœna. Et non possit Rector per se,vel alium aliquam rem, seu pecunię quantitatem recipere, vel habere ab aliqua persona occasione carcerum, seu custodię, sub pœna centum libr. deñ. pro quolibet, & qualibet vice, de facto sibi auferenda . Item non possit dictus Rector in eius Palatio, seu carceribus, vel alio loco, nisi in carceribus Communis positis in Girifalco , aliquem detinere, seu carcerare per vnam diem,vel carcerari,seu detineri facere alibi aliquẽ pro debito pecuniario captum, nisi in dictis carceribus Girifalchi vltra vnam diem,pęna centum lib. deñ. Pro crimine verò, vel delicto,pro quo veniret imponenda pęna personalis principaliter,vel sub conditione,possit quemlibet cõ

demnandum

demnandum in dicta personali pœna detinere, & detineri facere dictus Rector in Palatio, & carceribus sui Palatij ponere, poni, & custodiri facere pro suo libito voluntatis: à quo etiam nullã pecuniam quocunque modo accipere, vel accipi facere possit. Habeat verò familia Rectoris pro quolibet capto pro debito ciuili in Platea Sancti Martini sol. quatuor: extra Plateam infra Ciuitatem sol. octo: in comitatu verò pro quolibet die, & quolibet famulo sol. octo sine expensis: pro debito verò Fiscali gratis familiam mittat: & generaliter omnia, & singula obseruabit, & obseruari faciet per suos officiales, & familiares bona fide, & sine fraude, remotis odio, amore, timore, precibus, & omni speciali commodo, vel incommodo, quę ad suum officium spectare noscuntur: & si Deus saluet, & eum adiuuet, iuret ad sancta Dei Euangelia sub virtute sui Sacramenti, & obligatione omnium suorum bonorum, & ad pęnam in statuto contentam, in quibus per se aliqualiter fuerit contrauentum, & pœna ducentarum lib. deñ. in singulis capitulis supradictis, in quibus specialiter pœna non esset imposita, in quibus per dictum Rectorem in aliquo contrauentum, vel non obseruatum fuerit. Et hęc omnia, & singula obseruare promittet Cancellario Communis Firmi stipulanti pro ipso Communi, vel Scindico dicti Communis solenniter pro ipso Communi, & specialibus personis, quarum intererit. Et hęc omnia tempore iuramenti per Cancellarium dicti Communis, qui pro tempore fuerit, legantur, & præsententur in his scriptis, & in formam publicam redigantur. Et similiter in omnibus, & singulis procedatur, & fiat in iuramento D. Capitanei; qui Capitaneus sit contentus salario suo, & alijs emolumentis duntaxat, prout in electione sua, vel per statuta Communis Firmi procederetur: & aliud petere, & exigere non valeat, nec percipere possit à dicto Communi, vel specialibus, siue singularibus personis, pœna centum lib. deñ. pro qualibet vice, qua contrafecerit. Item teneatur dictus D. Potestas, & etiam Capitaneus in principio sui officij mittere pro omnibus, & singulis Conciliarijs de Concilio generali, & speciali, & eos iurari facere de veniendo ad Concilium, quando fuerit bannitum per Præconem, pęna Potestati, vel Capitaneo, si prædicta omitteret, quinquaginta libr. deñ.

De deueto officialium forensium. *Rubr. 8.*

AD conseruandum præsentem liberum, & popularem statum, & ad exterminium malorum, & memoriam præteritorum; statuimus, & ordinamus, quòd Ioannes Bartholini, & Ser Bartholomeus Gori de Aretio olim Potestas, & Cancellarius Firmi, ac Andreas de Spoleto, & Mattheus de Castello, & etiã omnes alij, & singuli forenses, qui fuissent tempore tyrannidis D. Raynaldi de Monte Viridi ad aliquod officium vel stipendium, seu prouisionem in Ciuitate, vel comitatu Firmi, non possit esse ad aliquod officium, vel stipendium exercere in futurum in Ciuitate Firmi, vel eius comitatu: & si secus fieret, non valeat ipso iure; & tam ipsi, quàm scienter ipsos, vel aliquem ipsorum eligentes pœnã mille flor. auri ipso facto incurrant pro quolibet, & qualibet vice: & hoc etiã intelligatur de omnibus, & singulis de domibus, seu cõsanguinitate dictorũ Ioãnis, & Bartholomei, Andreę, & Matthei. Item ꝙ nullus, qui sit de aliqua Terra, vel aliquo loco propinquo Ciuitati Firmi per quadraginta miliaria, possit esse in dicta Ciuitate, vel eius comitatu in aliquo officio cũ aliquo Rectore, vel pro Rectore dictę Ciuitatis. Item ꝙ nullus, qui fuerit in Ciuitate Firmi pro Rectore, possit, vel debeat vsque ad quinque annos à die finiti sui officij numerandos ad aliquod officiũ ad dictam Ciuitatem accedere, vel ipsum in ea exercere: Iudices, qui in eadem Ciuitate in officio aliquo fuerint, non possint in dicta Ciuitate in officio esse inde ad tres annos à die finiti sui officij numerandos: Milites verò, & notarij deuetum habeant per biennium: Domicelli verò, & familiares deuetum habeant per sex menses. Et semper in electione fienda de aliquo Rectore, vel officialibus Ciuitatis Firmi, de dictis deuetis habeatur mentio specialis, & expressa. Item quòd quicunque de Rectoribus, vel officialibus Ciuitatis Firmi ratione suę malę administrationis in eadem Ciuitate Firmi fuerit condemnatus, ad aliquod officium de cætero ad dictam Ciuitatem redire non possit: & si secus factum fuerit, non valeat ipso iure; sed immo sit irritum ipso facto, & incurrat pœnam quilibet contrafaciens ducentarum libr. deñ. pro quolibet, & qualibet vice. Item quòd nullus possit eligi, vel assumi in Rectorem Ciuitatis Firmi, vel ad aliquod officium in dicta Ciuitate Firmi principaliter, & per se de aliqua Ciuitate, seu Terra, vel loco, vnde tunc temporis dictæ electionis esset in dicta Ciuitate Rector, vel principalis officialis, pęna prædicta: & electio, & acceptatio aliter facta non valeat ipso iure: & de hoc etiam fiat in electione fienda de aliquo Rectore dictæ Ciuitatis mentio specialis; ita quòd non sint Rectores de vna, eademq. Ciuitate, vel comitatu eodem tempore: nec vnus de vno loco sit successor in eodem officio, vel alio alterius de eodem loco. Item ordinamus, quòd Potestas, seu quilibet Rector principa-

liter constitutus in dicta Ciuitate Firmi,teneatur, & debeat de omnibus, & singulis commissis,factis, perpetratis,neglectis,& omissis per suos officiales,vel familiares,vel aliquem ipsorum in dicto officio, & tempore dicti officij, & de omnibus, & singulis quę committerentur,perpetrarentur,& omitterentur per suos officiales, vel familiares, vel aliquem ipsorum,dictus Rector teneatur soluere pœnam, & condemnationem factam,vel fiendam de tali delinquente, ac si ipsemet Rector principaliter deliquisset: & ex nunc sit,& esse intelligatur auctoritate præsentis legis fideiussor omnium,& singulorum officialium, & familiarium, & cuiuslibet ipsorum, & intelligatur auctoritate præsentis legis beneficio fideiussionis, & cuilibet alio beneficio competenti, vel quod competeret, vel competere posset dicto Rectori occasione prædicta, renunciasse.

De officio Cancellarij. *Rubr. 9.*

STatuimus, & ordinamus, quòd Cancellarius Communis Firmi sit, & esse debeat de Ciuitate Firmi:& teneatur facere omnes,& singulas reformationes,& ordinamenta,ac etiã & decreta, & deliberationes,quę fierent per Mag.DD. Priores populi, & Confaloneriũ iustitiæ: Cernitas,reformationes,Concilia specialia,& generalia,ac etiam parlamenta Ciuitatis prædictę. Necnon teneatur ipse Cancellarius facere manu sua, vel fieri facere omnes, & singulas litteras missiuas, & responsiuas,quæ pro parte Communis Firmi emanarent,& omnes concessiones,absolutiones,vendicationes, gratias, & alienationes, & quosuis contractus,qui fierent per dictum Commune,& ipsi Communi pertineant, & ipse Cancellarius rogari debeat de prædictis. Qui Cancellarius reformationes, deliberationes,ac decreta debeat manu propria, vel per alium registrare, & manu propria publicare: & omnia,& singula iuramenta DD. Priorum,& Vexilliferi iustitiæ, & aliorum officialium dicti Communis præfatus Cancellarius narrare,& exponere teneatur: & de his, quæ spectant ad eius officium, nullus alius possit,nec debeat se intromittere,nisi quatenus de ipsius Cancellarij processerit voluntate. Item teneatur vnum librum magnum actorum habere chartarum pecudinarum,vel papyri; in quo libro omnes reformationes, seu ordinamenta dicti Communis, Concilij generalis, vel specialis, & reformationes factas, & fiendas per reformatores scribantur: Item vnum alium librum, in quo registrentur iura,& contractus Communis,& promissiones,& satisdationes,& decreta: Item vnum alium librum,in quo scribantur deliberationes,quæ fierent per Cernitas. Item non possit scribere aliquam propositam in aliquo Concilio,quæ non sit primò deliberata die antea in Cernita,& sit ipsa deliberatio registrata,pœna quinquaginta lib. deñ. de facto auferenda: & quicquid factum fuerit aliter, non valeat ipso iure. Item non possit sigillare aliquam litteram cum sigillo Communis,nisi primò fuit obtentum inter Priores ad fabas nigras,& albas. Item non possit legere, scribere, seu in notam redigere aliquam propositam,quę esset contra formam statutorum,vel alicuius statuti, pœna centum lib. deñ. sibi auferenda: & si secus factum fuerit,non valeat. Item teneatur, & debeat dictus Cancellarius,sub pœna præstiti iuramenti,& pœna xxv. lib. deñ. in fine quorumlibet duorum mensium registrare in su pradictis libris omnes, & singulas reformationes Conciliariorum, deliberationes, Cernitas, contractus,& prouisiones Communis infra prædictos duos menses factas,& celebratas: ita quòd in fine cuiuslibet officij Prioratus appareat euidenter quid factum, & reformatum tempore officij Dominorum extiterit. Item quòd dictus Cancellarius teneatur, & debeat per xv. dies ante finem officij cuiuslibet Rectoris Ciuitatis Firmi, qui scindicaretur, & scindicari deberet per scindicum forensem eligendum per DD. Priores populi,& Confalonerium iustitiæ,mittere litteras per totum comitatum Firmi,significãdo scindicatum dicti Rectoris Communitatibus,& singularibus personis dicti comitatus;ita quòd omnibus innotescat dictum scindicatum:& quòd volẽtes conqueri de dicto Rectore,non possint ignorantiam allegare de tali scindicatu. Quòd si Cancellarius in prædictis negligens fuerit,pœnam quinquaginta libr. deñ. incurrat ipso facto vice qualibet, qua contrafecerit,& negligens fuerit.

De officio Notarij Dominorum. *Rubr. 10.*

STatuimus,& ordinamus,ꝙ Notarius electus,tractus, & deputatus ad seruiendum DD. Prioribus populi,& Confalonerio iustitiæ Ciuitatis Firmi, & eorum officio, teneatur, & debeat die,noctuq́. stare, & moram trahere cum DD. Prioribus populi, & Confalonerio iustitiæ, & in Palatio eorum residentiæ pro tempore duorũ mensium sui officij, & ab eis non recedere sine eorum licentia,pęna xxv. flor. auri vice qualibet,qua contrafecerit. Et durante dicto tempore teneatur scribere, & registrare omnes litteras missiuas, & remissiuas, bullectas, & alias quascunque scripturas ad

voluntatem

voluntatem,& mandatum DD. Priorum, & Confalonerij iustitiæ: dum tamen de officio Cancellarij non se impediat,nisi quatenus de ipsius Cancellarij processerit voluntate.

De officio,& ordine tenendo per Confalonerios contratarũ,& alios Ciues dictarũ contratarum. R. 11.

VT resisti valeat (ad conseruationẽ præsentis liberi,& popularis status Ciuitatis prædicta) conatibus quorumcunque iniquorum volentium statum prędictum aliqualiter perturbare,aut rumoribus fortè repente insurgentibus, ex quibus status prædictus aliqualiter posset recipere læsionem: Statuimus,& ordinamus, ꝙ quotiescunque in dicta Ciuitate, seu aliqua contrata dictæ Ciuitatis rumor,tumultus,seu adunantia fieret per quemcunque,seu quoscunque,cuiuscunque conditionis existeret,insurgeret,seu inciperet,ex quo,seu qua verisimiliter posset statui prędicto impedimentum præstari; ad mandatum,vel requisitionem DD. Priorum populi,& Confalonerij iustitiæ,seu Potestatis,vel Capitanei populi dictæ Ciuitatis,& etiam à seipsis,cùm prædicta viderint, & cognouerint,omnes,& singuli Confalonerij contratarum dictę Ciuitatis tenentes vexilla parua dicti Communis teneantur,& debeant,videlicet quilibet in sua cõtrata vexilla extrahere ante suam domũ,& conari pro posse congregare,& congregari facere omnes, & singulos de sua cõtrata ad suum vexillum. Et prędicti omnes de dicta contrata teneantur, & debeant ire ad dictum vexillum sequendum, & parere dicto Confalonerio,& dictus Confalonerius vnà cum dicto vexillo,& illis de sua cõtrata,& dicti omnes de dicta contrata vnà cum dicto Confalonerio,& sub dicto vexillo teneantur armati,& fulciti ire, & stare ad resistendum quibuscunque volentibus dictum statum turbare,& ire ad palatium residentię dictorum DD. Priorũ populi,& Confalonerij iustitię,& dictis DD. Prioribus,& Confalonerio in omnibus,& singulis parere,& obedire,quæ eis mandauerint,& omnia,& singula facere,gerere,& operari pro conseruatione status prædicti:& Confalonerij prędicti cõtrafacientes in prædictis,vel aliquo prędictorum puniantur de facto,omni solennitate,& substantialitate prorsus omissa,per Potestatem,vel Capitaneum vice qualibet in centum lib. deñ. & nihilominus omni officio,& beneficio Cõmunis prędicti sit priuatus ipso facto. Quilibet verò alter de dicta contrata non accedens,seu accedere recusans ad associandum dictum vexillum,& dictum Confalonerium, vt dictum est, modo prædicto, puniatur qualibet vice in xxv. lib. deñ. Et pro sustinendis sumptibus, qui occurrunt dictis Confalonerijs die eorum iuramẽti,& receptionis dicti confalonis,habere debeat de pecunia dicti Communis vnum florenum auri pro quolibet ipsorum, soluendum eis per Bancherium Communis.

De modo congregandi Concilia,proposita proponendi,& arrengandi,& reformandi in eis. Rub. 12.

STatuimus,& ordinamus,ꝙ quotiescunque oporteret aliquo casu aliquod generale,vel speciale Concilium congregari,vel ambo,non aliter valeat adunari,nisi cũ consensu, & voluntate DD. Priorum populi,& Confalonerij iustitiæ. Et si de ipsorum voluntate processerit, Potestas,vel Capitaneus teneatur vna die pro alia,siue de sero pro mane, nisi esset pro euidẽti necessitate, vel causa,ꝙ tunc possit vna die pro eadem,facere publicè banniri Concilium, quod dicti Priores commiserint,generale,vel speciale,vel ambo,ꝙ Conciliarij veniant ad Concilium. Et cùm esset aliquo casu Concilium opportunum,quod expresiè ex forma alicuius statuti oporteret causam exprimi,vel declarari per bannitorem,ꝙ est pro tali causa; tunc exprimatur,& commissio huiusmodi sibi fiat particulariter. Et factis bannimento,& relatione ipsi Rectori, & Notario reformationum, ipsi DD. Priores, & Confalonerius in ipsorum Potestatis,vel Capitanei præsentia,si DD. Prioribus, & Confalonerio videbitur ipsorũ Rectorum,vel alicuius ipsorum præsentia necessaria,& non aliter, faciant Conciliũ. Et antequàm in dicto Concilio aliquid proponant; faciant,& fieri faciant ad minus die antea Cernitam, & in illa proponant,& reforment illud,quod proponi debet in Concilio fiendo: in qua quidem Cernita interesse debeant Regulatores,vnà cum dictis DD. Prioribus, & Confalonerio, Capitaneis artium,& Confalonerijs contratarum,vel maior pars ipsorum,& quatuor ad minus homines per contratam,si sit vtile pro Communi;& hoc liquidè apparere debeat per Cancellariũ Cõmunis. Et quod obtentum,& deliberatum fuerit per prædictos,illud proponi possit in dicto Cõcilio: & si aliter fieret, quod reformatum fuerit in dicto Concilio non valeat quoquo modo. Et si Priores,& Confalonerius dictam formam non seruauerint,in x. lib. vice qualibet,& pro quolibet puniantur:& quod factũ fuerit,non valeat ipso iure. Et non possint dicti DD. Priores, & Confalonerius quicquã in Concilio generali,vel speciali proponere,vel reformare,nisi illud,quod deliberatum fuerit in dicta Cernita, vt supra dictum est. Et facta congregatione Concilij,per Cancellariũ, vel Notarium reformationũ legi de-

beant

beant propositę in dicto Concilio seriatim,& per ordinem: & postmodum per Potestatem,vel Capitaneum, vel alterius ipsorum Vicarium, cùm Concilium fieret, cum consensu, præsentia, & voluntate Priorum, & Confalonerij proponi debeat, aliàs per Confalonerium iustitiæ, si Potestas, vel Capitaneus, vel eorum Vicarius non adesset. Et ipsa proposita, vna, vel plures,clarè, & lucidè proponantur; ita quòd illi de Concilio bene, & apertè intelligant, sub pœna vigintiquinque lib. deñ. Potestati, vel Capitaneo, vel alicuius eorum Vicario contrafacienti,& decem lib. deñ. Cancellario, vel Notario reformationum, quotiens per aliquem ipsorum fuerit contrauentum. Quibus propositis lectis, vt supra dictum est, volens arrengare primò iuret in manibus Cancellarij, vel Notarij reformationum de consulendo fideliter,& legaliter pro vtilitate publica: deinde ad arrengheriam surgat; dummodo arrengatores non possint esse vltra sex in vno Concilio, & arrengare non possint vltra dictos sex, nisi arduitas negotij aliud postularet, & DD. Prioribus, & Confalonerio videretur. Et nullus audeat consulere, vel arrengare in Concilijs, nisi super propositis tantùm, sub pœna decem lib. deñ. pro quolibet, & qualibet vice. Et nulla persona possit arrengare, vel consulere in Concilijs, nisi semel tantùm super vna proposita, sine licentia Dominorum suorum populi, & Confalonerij iustitiæ, saluo quando legerentur statuta per statutarios Communis facta tempore approbationis ipsorum. Et qui contrafecerit, puniatur in dicta pœna de facto, absque aliquo processu: quibus sic consultis, dicti Priores, & Confalonerius in præsentia Potestatis, vel Capitanei, vel alterius eorum Vicarij, vel sine, per se, vnà cum Cancellario, vel Notario reformationum deliberent quid ex dictis arrengatorum sit mittendum ad partitum: quo sic deliberato, & per Notarium reformationum, vel Cancellarium in scriptis redacto, per eundem surgatur,& legantur singulariter, & distinctè in dicto Concilio omnibus omnia dicta arrengatorum: & dicat apertè, tale dictum talis placet DD. Prioribus, & Confalonerio, quòd mittatur ad partitum: quo facto, Rector surgat, & ad partitum mittat illud dictum,quod deliberatum extitit per DD. Priores, & Confalonerium. Et si illud dictum obtentum fuerit,prout in statuto de auctoritate Concilii loquente continetur, bene quidem: si autem non, aliud dictum mittatur ad partitum,habita prius deliberatione per DD. Priores,& Confalonerium secundum formã prædictam. Et sufficiat ad vincendum partitum,si per duas ex tribus partibus præsentium vincatur,nisi in casibus, in quibus per statuta huius voluminis aliter disponetur. Et fiat partitũ ad fabas nigras,& albas,& non lupinos:quæ fabæ mittantur in vno bussulo tantùm,& secretò per manus colligentium,consuetudine quacunque in cõtrarium non obstante. Et hoc seruari debeat etiam in comitatu,& iurisdictione. Et postquàm fuerit reformatum, legatur dicta reformatio per dictũ Notarium reformationum, vel per Cancellarium,antequàm dictum Concilium secedat: & talis ordo seruetur in qualibet proposita per se: ita ꝙ vna proposita cum alia nullatenus misceatur, cùm super ipsa aliquod partitum fieri requiratur. Et nemo discedat de Concilio,donec reformatio lecta fuerit per dictum Notarium,pœna x. sol. deñ. pro quolibet,qui contrafecerit. Volumus tamen,ꝙ si proponeretur in Cernita,vel aliquo Concilio generali,vel speciali aliquid,& partitum propositũ perderetur, si fuerit de exbannitis remittendis,vel componendis,qui essent ratione turbationis status exbanniti,vel cõdemnati,non possint de nouo proponi,nisi elapso anno à die perditi partiti. Si verò fuerit de aliis exbannitis,non possit proponi vsque ad tres menses numerandos à die supradicta. Si verò de alijs fuerit partitum perditum,non possit proponi iterato, & de nouo,nisi elapso mense numerando vt supra: & si aliter fuerit factum non seruata dicta forma, non valeat ipso iure quod factum fuerit: & Priores, & Confalonerius,& Cancellarius,& Notarius reformationum,qui contra prædicta fecerint, vel scripserint,pœnam vigintiquinque lib. deñ. quilibet ipsorum, & vice qualibet incurrat.

De Concilio speciali populi. *Rub. 13.*

Concilium speciale populi Ciuitatis Firmi sit, & esse debeat numero centum quinquaginta,& non maioris numeri: & sit de popularibus,& de numero popularium,& non nobilium de dicta Ciuitate: in quo Concilio nullus possit eligi, vel vocari, qui non sit Ciuis Firmanus, & ætate vigintiquinque annorum ad minus, habens in appretio quinquaginta libras ad minus. Et quicunque repertus fuerit in dicto Concilio, & electus contra prędictam formam,nullam habeat vocem in dicto Concilio, prout alij Conciliarij habent: & non possit esse de dicto Concilio nisi vnus de vna domo tantum. Addentes, quòd nullus possit eligi, poni, vel scribi in aliquo Concilio generali, vel speciali, nisi prius fuerit deliberatum,& obtentum in Cernita.

De auctoritate, iurisdictione, & balia dicti Concilij specialis. *Rubr. 14.*

CONcilium centum quinquaginta bonorũ hominum de Ciuitate Firmi habeat potestatem, & baliam reformandi,& cõstituendi super omni eo,quod in dicto Concilio fuerit propositum per dictum Rectorem Ciuitatis Firmi,vel eius Vicarium de consensu DD. Priorum populi, & Confalonerij iustitiæ: & quicquid in dicto Concilio fuerit obtentum,& reformatum per duas ex tribus partibus presentiũ,& existentium in dicto Concilio,valeat,& teneat,& plenum robur habeat, & executioni mandetur,ac si per totum Concilium trecentorum,vel parlamentũ dictæ Ciuitatis vnà cum dicto Concilio esset deliberatum, & reformatum: dummodo semper, & ante omnia illud, quod propositum,& obtentum,& reformatum fuerit in dicto Concilio centum quinquaginta,sit obtentũ in Cernita declarata,& ordinata supra in capitulo de modo cõgregandi concilia: in quo quidem Cõcilio centum quinquaginta,quando fieret,ad minus interesse debeant octuaginta Conciliarij presentes. Et quod obtentum fuerit vt supra, plenam habeat roboris firmitatem, ac si per totum Concilium prædictum factum,& reformatum fuisset.

De Concilio generali. *Rub. 15.*

COncilium generale Ciuitatis Firmi debeat esse numero tercentum,& non minoris numeri:in quo Concilio nullus eligatur, nisi sit Ciuis Firmanus continuus habitator Ciuitatis Firmi, ætate ad minus xxv. annorum,habens in appretio ad minus xxv. libras,& appretium patris prosit filio familias. Ad dictum autem Concilium nõ possint eligi plures de vna domo simul habitantes. Quicunque verò fuerit electus non habens prædicta,nullam habeat vocem in dicto Concilio.

De arbitrio Concilij generalis. *Rubr. 16.*

HAc perpetua lege sancimus,ꝙ quicquid per DD. Priores populi,& Confaloneriũ iustitiæ,qui pro tempore fuerint,vel per aliquem Rectorẽ Ciuitatis Firmi,seu eius Vicarium de consensu prædictorum DD. Priorum populi, & Confalonerij iustitiæ in dicto Concilio tercentorũ fuerit propositum,& in eo fuerit reformatum per duas ex tribus partibus Conciliariorum præsentiũ, dummodo centum quinquaginta Conciliarij dicti Concilij sint præsentes,valeat,& teneat,ac si per totum Concilium fuerit deliberatum. Et quòd dictum Concilium habeat potestatem,& baliam reformandi, & constituendi omnia, quæ per dictos DD. Priores, vel Rectorem in dicto Concilio proponerentur,ac si per totum parlamentum fieret,& deliberatum esset.

De modo mittendi partita ad fabas nigras, & albas. *Rubr. 17.*

ORdinamus,ꝙ partita,quę mitterẽtur in Cernitis,Cõcilijs,& deliberationibus quibuscunque, mittantur,& fiant ad fabas nigras del sic,& fabas albas del non,per Priorem Priorũ, vel per Capitaneum,vel Potestatem,vel eorũ,vel alterius eorum Vicarium,vel per Confaloneriũ iustitiæ: & dictæ fabæ secretò mittantur,& reddantur,& non palàm in manu colligentium:qui colligentes secretò mittant in bussulis,& non possint pro vna vice mitti,vel recipi nisi vnica tantum faba, pœna x. lib. deñ. qualibet vice,pro qualibet faba,& pro quolibet imponenda. Et hoc statutũ sit præcisum,& ei derogari non possit: & semper in omnibus,& singulis casibus quodlibet partitum per se mittatur ad fabas nigras,& albas,& non per alium modum: & alitèr factum non valeat, nec teneat.

De modo suspendendi statuta. *Rubr. 18.*

QVotiescunque tractatur de suspẽsione alicuius statuti,talis ordo seruetur, videlicet quòd Capitaneus populi,si est,vel Potestas, vel alicuius eorum Vicarius, vnà cum Prioribus populi, & vexillifero iustitiæ,Capitaneis artium,vel maiori parte eorum,& alijs, de quibus supra in capitulo de modo congregandi concilia fit mentio,in Cernita ibi facienda,vel maiori parte ipsorum, simul,& in vnum conueniant,& per D. Capitaneum populi, vel Potestatem,vel alicuius ipsorum vicarium proponatur,si illius statuti,de cuius suspensione tractari debet,suspensio vtilis esset,& euidẽs vtilitas pro Communi: & huiusmodi propositione facta,debeat super ea per aliquem, seu aliquos ex prædictis arrengari: & arrengato, & consulto super ea, vnum ex dictis eorum mittatur ad partitum ad fabas nigras, & albas. Et si ibi per maiorem partem ipsorum præsentium deliberatum fuerit suspensionem fieri pro meliori,& vtiliori;lecto prius statuto,de quo tractatur,de verbo ad verbum,vul-

gariter,& distinctè, & facta deliberatione huiusmodi,id reducatur ad Concilium generale,vel speciale die sequenti post deliberationem, vel postea: ita quòd semper in dicta Cernita prius dicta suspensio deliberetur. Et in dicto Concilio fiendo per prædicta sint,& interesse debeant centum quinquaginta Conciliarij ad minus: & ibidem proponatur de suspensione dicti statuti,& legatur dictum statutum in dicto Concilio vulgariter totum,ad plenam intelligentiam omnium Conciliariorum: & aliter quàm dictum est fieri non debeat,neque possit. Et facta proposita prædicta, arrengetur super ea per aliquem,seu aliquos ex dictis Conciliarijs: & arrengato,& consulto super dicta proposita,fiat partitũ ad fabas nigras,& albas: & si obtentum fuerit de suspensione prædicta per tres partes dictorum Conciliariorum pręsentium in dicto Concilio,dicta suspensio firma sit pro illa vice duntaxat,statuto,vel reformatione aliqua in contrarium loquente non obstante:ita tamen,ꝙ nullo modo suspendi, proponi, vel reformari possit aliquod statutum,quod tractaret de electione Potestatis,vel Capitanei,vel de eorum, vel cuiusque ipsorum refirmatione ; & de arbitrio non concedendo alicui Rectori, vel officiali Communis,& de eorum officijs,& de non augendo salarium Potestati, vel Capitaneo, vel alicui officiali Communis aliquo quęsito colore; & de non donando eis,vel alicui ipsorum,vel aliter expenden do de pecunia,& hauere Communis vltra,vel præter formam statutorum Communis. Et nullus Rector,Prior,vel Confalonerius,vel quiuis alius officialis Communis Firmi audeat,vel præsumat in aliquo Concilio,congregatione,vel parlamento proponere,vel reformare de augmentando salariũ Potestatis,vel Capitanei,vel alicuius alterius officialis directè,vel per obliquũ pro stipendio sergentium, berroariorum,vel alio quocunque colore quæsito. Et nullus audeat arrengare,quòd prædicta,vel aliquod prædictorum fiant, vel ꝙ creetur, vel constituatur Scindicus ad conseruandum indemnes dictos Rectores,Priores,& Confalonerium,vel alios,siue alium officialem, vel alium quemcunque, qui prædicta proponeret,scriberet,reformaret,vel consentiret,vel arrengaret. Et nullus audeat dictum scindicatum in se suscipere,vel ipsum scindicatum,vel propositam,vel reformationem scribere. Et si quis contra aliquod prædictorum fecerit, vel dixerit; si Potestas, vel Capitaneus fuerit, in quingentis lib. deñ. si alius officialis ciuis, vel forensis, in tercentis lib. deñ. puniatur, & debeat in vtroque casu cum infamia ab eorum officio remoueri, & sit infamis. Si verò alia persona singularis aliquod prędictorũ fecerit,in ducentis lib. deñ. cum infamia puniatur.

De Regulatoribus, eorum officio, & de introitu, & exitu Communis, & de reuisoribus rationum Communis, & eorum officio. Rub. 19.

REgulatorum Cõmunis,& eorum Notarij officium tale sit,videlicet ꝙ ipsi Regulatores,& eorũ Notarij facta eorum electione iurare debeant,eorum officiũ bene,& legaliter exercere, & esse,& permanere debeant horis congruis,& debitis in palatio DD. Priorum, vel aliquo congruo,& honesto loco ad examinandum debita,quæ peterentur coram eis debere satisfieri,& solui per Commune: & huiusmodi examinatione, & deliberatione habita,talis ordo seruetur,videlicet quòd deliberato,& examinato debito,vel alio per ipsos DD. Priores,& Confalonerium,si videretur eis de hoc esse concedendam bullectam,tunc debeant super tali deliberatione de eorum mandato bullectam scribi facere manu Notarij DD. Priorum: & demum dicta bullecta sic declarata, & scripta, mittatur ad Regulatores prædictos: qui Regulatores demũ examinato debito petito,& declarato per eos cõmuniter ipsum debitum debere ritè,& rationabiliter satisfieri à Cõmunitate,facta inter eos dicta deliberatione teneantur,& debeant dictam bullam DD. Priorum, & Confalonerij subscriptam manu Cancellarij DD. Priorũ,& Confalonerij registrari facere,& subscribi per eorum Notarium,& sic subscriptam mittere ad Notarium registri,qui illam debeat registrare. Et ipsa bulla registrata assignetur Bancherio Communis Firmi,qui eam retineat,& registret,& demum executioni mandet,prout continetur in ipsa,pro dicto debito satisfaciendo,vel persoluendo:& teneãtur dicti Regulatores,& eorum Notarius habere penès eos, & tenere libros officialium Communis, & libros stipendiariorum Communis: quibus officialibus,& stipendiarijs deberet à Commune Firmi aliquid dari nomine salarij per Cõmune ; ad hoc, vt quando debita examinabuntur, possit plenè videri, & cognosci, si est iustum debitum quod petitur,siue non;& si officium,siue res,pro quo petitur dictum salarium,est operatũ à petente,vel non. Et si eis manifestè,& clarè apparebit dictum officium operatũ esse, bulla concedatur;aliàs non. Et dictus ordo seruetur circa examinanda quęcunque alia debita dicti Communis, videlicet quòd debitum appareat esse liquidum:& facta deliberatione per eos de bulla concedenda, dictus Notarius in vno libro scribere teneatur dictum debitum declaratum esse soluendum. Et facta,& concessa

dicta bulla (vt dictũ est) de ipso debito, ipsum debitum cancellare, & ibi scribere, qualiter dicta bulla est cõcessa pro dicto debito persoluendo: & in examinatione debitorũ diligenter inquirere, & inuestigare debeant sollicitè, & cautè per omnẽ viam, & modum, quibus melius potuerint, antequàm eandẽ bullam cõcedant, an debitũ quod petitur, sit, vel fuerit aliàs satisfactũ, & an satisfieri debeat, vel non; & an iusta causa petatur, vel iniusta. Et si inuenerint, vel aliàs sciuerint aliquẽ aliquod petere debitũ iam solutum, vel satisfactũ, teneantur, & debeant sub virtute pręstiti iuramenti, & pęna xxv. lib. deñ. pro quolibet ipsorum incontinenti denunciare ipsum D. Capitaneo populi, vel alteri Rectori: qui D. Capitaneus, siue Rector inquirere debeat contra talẽ petentem, & ipsum repertũ culpabilem condemnare vsque ad quantitatẽ centum lib. & plus, & minus, eius arbitrio, cõsiderata qualitate, & conditione personæ, & quantitate debiti iterato soluti: & tali casu non habeat locũ statutum de pęna petentis debitũ iam solutũ, positũ in libro maleficiorũ. Et quando conceditur aliqua bulla pro salario alicuius officij Cõis alicui officiali, teneatur notarius Regulatorum scribere in libro officialiũ iuxtà electionẽ factam de illo tali officio, cui bulla conceditur, qualiter sibi concessa est bulla pro salario ipsius officij persoluendo, ad hoc, vt melius in posterũ sciri possit, ꝙ satisfactũ sit ipsum debitũ, vel salarium, vt iterato peti, & solui nõ possit in deceptionẽ Cõis. Item teneatur dictus notarius in vno libro per se scribere diem accessus, & recessus Ambasciatorum Cõis Firmi, & aliorum habentiũ diurnum salariũ, siue stipendium: similiter singuli dies eorum operis singulariter scribantur in libro dictorũ Regulatorũ manu eorum notarij, ad hoc, vt melius sciri possit pro quot diebus, & quomodo eis debeat concedi bulla salarij: & aliter dictæ bullæ concedi non possint. Et concessa eis bulla, scribat notarius iuxtà id, vbi scripsit accessus, & reditus ambasciatorũ, vel nunciorum prędictorum, vel dictorũ, qui (vt prędicitur) operati fuerunt, quare dicta bulla pro dicto salario concessa est: & tunc ipsum debitũ, & dies prædicti cancellentur, ad hoc, vt alia bulla superinde non fiat. Et quando peteretur aliquod aliud debitum, quàm salarium alicuius officialis, vel ambasciatæ, dicti Regulatores non debeant concedere bullam nisi per eos primò viso, & habito instrumento, sententia, vel reformatione Concilij in forma publica, & extracta de originali libro Cõis, per quod, vel quam ipsum debitum peteretur: & concessa huiusmodi bulla, ipsum instrumentum cuiuscunque debiti Cõmunis, sententiam, vel reformationẽ, cuius vigore aliquid à Cõmune petitur coram eis, cancellet, & cancellare faciat, & cãcellatum teneant penès eos: & ponant, & poni faciant in vna infilza. Et finito eorum officio, successoribus eorũ debeant assignare, vt possit semper (si expedierit) inueniri; examinando tamen semper, antequàm ipsam bullam concedant, vtrum sit iustũ debitum, vel non, vt dictum est. Et ad hoc, vt Regulatores Cõis non concedant alicui bullã, vel faciant quæ fieri non deberet; fieri faciant vnum librũ, in quo scribantur per eorũ notarium singulariter nomina omniũ debentium aliquid recipere à Cõi. Et in continenti concessa bulla alicui, cancellent debitum de dicto libro, ne solutiones possint aliquales reiterari. Et ꝙ in bullis concedendis, & solutionibus fiendis secundũ ordinẽ dicti libri, seruetur æqualitas. Et Regulatores, qui pro tẽpore fuerint, prædictas bullas exhibeant, & concedãt, sicut viderint existere debita, vt superius cõtinetur. Pro chartis verò, cera, & inclostro, & alijs rebus minutis, & necessarijs pro Cõi, de quibus non potest apparere per instrumentũ publicũ, sententiã, vel reformationẽ, possint concedere bullas, secundum ꝙ eis melius, & vtilius videbitur pro Cõi, & singularitate ipsorũ. Et hęc omnia dicti Regulatores exequi debeãt vinculo iuramẽti, & pęna quĩquaginta lib. deñ. pro quolibet, & quolibet casu, in quo cõtrafecerint. Qui Regulatores bullas extraordinarias de pecunijs Cõis, si ex deliberatione Cernitæ non præcesserint, nequaquàm facere possint: exceptis bullis pro fabrica, & reparatione palatij, stratarũ Ciuitatis, murorũ, & oratorũ, siue Ambasciatorũ, qui in Prouinciã destinantur: aliter sint penitus nullæ; & Regulatores, & eorũ notarius scribens incurrant pœnã de facto dupli quantitatis in dicta bulla contentæ. Et ad hoc, vt fraus non cõmittatur in eorũ officio, volumus duos libros esse similes per eundẽ notariũ prędictũ scribendos, in quibus dicta debita scripta sunt; quorũ vnus esse debeat penès Priores, & Confalonieriũ populi; alius penès dictos Regulatores: & nullus debitor, vel creditor possit scribi in dicto libro, nisi de consensu, & voluntate DD. Priorum, & Confalonerij: & si aliter scriberetur, non valeat ipsa descriptio: & finito eorũ officio, reddere rationẽ eorum officij, vt in capitulo de ratiocinandis officialibus continetur. Item non possit, nec debeat aliquis de Regulatoribus Cõmunis Firmi, vel eorum notarius durante eorum officio, per se, vel alium quoquo modo emere, seu acquirere quocunque titulo, iure, vel causa, aliqua bona, iura, vel res quascunque Communis, seu aliquid ad ipsum Cõmune pertinens quoquo modo, sub pœna mille lib. deñ. pro quolibet, & vice qualibet, imponenda per Rectorem Firmi, vel eorum Scindicatorẽ de facto, & sine processu aliquo: & eo ipso ꝙ contra-

fecerint,sint,& esse intelligantur perpetuò priuati omnibus,& singulis officijs,& beneficijs Ciuitatis, & comitatus Firmi. Et Rector Firmi,& Scindicator dictorum Regulatorum,& notarij eorum habeat merum, & liberum arbitrium inquirendi de prædictis contra prædictos, & puniendi contrafacientes in pęnis prędictis.Et nō possint de prædictis dicti Scindicatores scindicari,nisi de furto,& baratàaria. Item q dicti Regulatores interesse debeant omnibus,& singulis credentijs,& concilijs ad palatia DD. Priorū,& Confalonerij, ad omnem eorum requisitionem. Item debeant habere curā, & solicitudinē gabellarum,& aliarū rerum,& bonorū Cōmunis,ne bona prędicta male gubernentur,seu dilapidētur. Item teneantur facere,& debeant bis in quolibet mense monstrā omnium, & singulorū officialium,& stipendiariorum Cōmunis Firmi,& famulorum DD. Priorū. Et facta dicta monstra, statim in proximo Concilio facere legi punctatos,si qui sunt,& ipsis lectis in Concilio,teneantur ipsos punctatos tradere in scriptis notario registri: qui notarius registri vnà cū Regulatoribus, & eorum notario debeat examinare,& discomputare dictas punctaturas de ipsorū salarijs,seu stipendijs. Et facta dicta discomputatione per ipsorū Regulatorum bullā,ipsam bullā primò faciant registrare,quā bullā sic registratā mittere debeāt Bancherio Cōmunis: Et dictus Bancherius secundū dictam bullam debeat facere solutiones,& non aliter vllo modo;ita q tempore solutionis fiendæ Rectoribus,siue stipendiarijs, videatur quantum detrahi debeat,ne fraus aliqua committi valeat. Pœnæ verò appunctaturæ sint tales: videlicet pro persona Potestatis,Capitanei,vel Iudicis iustitię centū flor.auri pro quolibet,& qualibet appunctatura:pro Vicario Potestatis,& Capitanei flor.quinquaginta:pro Iudice maleficiorū flor.xxx. pro quolibet milite flor. xxv. pro quolibet notario flor.x.pro quolibet domicello flor.v.pro quolibet famulo flor. iij. pro quolibet equo flor. iiij. Pœnæ verò punctaturæ stipendiariorum,pro quolibet stipendiario,siue pedite, siue equite perdat pagā vnius mensis pro illo,qui appunctatus reperitur. Pœnæ autem appunctaturæ officialium comitatus, & Castrorum Firmi, pro quolibet officiali principali flor. x. pro vicario, siue notario flor. v. pro quolibet famulo flor. iii. Pœnæ autē Castellanorum sint pro quolibet Castellano flor. xxv. quæ omnes,& singulæ pœnæ appunctaturarum veniant in Cōmuni Firmi. Item vnus ex Regulatoribus cum vno ex officialibus Capitanei populi,vel Potestatis,vel alterius officialis vadat pro quolibet mense semel ad minus ad faciendum monstram officialium comitatus, & Castrorum,& Rocchatanorum,& aliorum stipendiariorum, qui essent in comitatu Firmi,& cum fide,& diligentia faciat dictam monstram:& omnes punctatos in comitatu in scriptis portare debeat, & legi facere in Concilio Communis, & lectos assignare notario registri, & notario Regulatorum, qui eosdem registrent,& faciant discomputationem per eorum bullam registratam, prout superius dictum est: & ponant ad introitum Communis: & demum tradant notario Bancherij,qui eas registret,& ad introitus Communis ponat. Et tempore solutionis talis notarij,officialis, seu Rocchatani, debeat detrahi de pagha ipsius: & teneatur quilibet Rector pro prædictis mittere vnum ex suis officialibus cum vno ex dictis Regulatoribus, ad omnem eius requisitionem, ad reuidendum dictas Rocchas, & monstras,pœna cuilibet Rectori centum libr. den. contrafacienti,vel deneganti prædicta facere,pro quolibet, & qualibet vice. Regulatores verò, & eorum notarius, qui in prædictis, vel aliquo prædictorum fuerint negligentes,vel prædicta,vel aliquod prædictorum non seruauerint, in libr. quinquaginta den. pro quolibet, & qualibet vice puniatur de facto, & sine processu aliquo. Item omnes,& singuli Rectores,& officiales Cōmunis Firmi teneantur,& debeant obseruare omnia,& singula in dicto statuto contenta, vinculo iuramenti, & pœna centum libr. den. pro quolibet, & qualibet vice, qua contra infrascripta, & suprascripta, vel aliquod eorum fecerint: & dare, & concedere familiam dictis Regulatoribus ad exigendum malpagas, & alios debitores Communis, vel habentes aliquid expectans ad ipsum Commune, ad hoc,vt Commune non valeat fraudari. Ac etiam teneantur dicti Regulatores reuidere vnà cum officiali Communis Firmi, & considerare monitiones Roccharum,& quæ in eis sunt in comitatu: videlicet tam monitiones, quæ in eis sunt pro Communi Firmi, quàm etiam Rocchatanorum, & Castellanorum: & cùm vadunt ad reuidendum dictas Rocchas, secum deferant copiam inuentarij monitionis cuiuslibet Castri,seu Rocchæ: & non inuenta referant in Concilio speciali. Et Capitaneus, vel Potestas Firmi visa dicta relatione, de facto, & sine processu aliquo punire, & condemnare debeat illum, vel illos, qui fraudem aliquam de monitionibus dictarum Roccharum commiserit, ad restitutionem in Communi in triplo eius, quod fraudauerit, & ad alias pœnas puniatur de facto Rectoris arbitrio, & eo ipso perdat suum salarium, & de cætero priuatus sit omnibus officijs, & beneficijs Communis Firmi. Et de prædictis soli relationi officialis credatur,& stetur. Item principaliter spectet ad officium dictorum Regulatorum reuidere, &

calculare libros,& rationes Bancheriorum Communis,& aliorum officialium, ad quorum manus per uenire noſcantur de pecunia,rebus,& bonis Cõmunis,infra xv. dies poſtquàm ad ipſorum Regulatorum notitiā peruenerit:& ipſum calculum quale inuenerint,vel deliberauerint,ſubitò ſcribere faciant per eorũ notarium in libro ipſorũ: & nihilominus aſſignare debeant notario regiſtri,vt omnia in libro regiſtri euidẽter appareant. Et ad prędicta teneantur dicti Regulatores,& ipſorũ notarius,& notarius regiſtri,pęna xxv. lib. deñ. & ad dictā damni reſtitutionem,quod Cõmune paſſum fuit ex prædictorũ omiſſione, pro quolibet ipſorum, & cuiuſlibet ipſorum. Et de prædictis omnibus in præſenti ſtatuto expręſſis,& alijs quibuſcunque commiſſis per eos,vel alterũ ipſorum in fraudem,damnum,& detrimẽtum dicti Cõmunis,ſcindicari debeant dicti Regulatores finito eorum officio per Iudicem iuſtitiæ,vel Capitaneum populi,ſecundum formam ſtatuti infra ſub Rubr. de ſcindicatu DD. Priorũ populi &c.

De officio Bancherÿ,& eius notarÿ. *Rubr. 20.*

OFficium Bancherij Cõis tale ſit,videlicet ꝙ antequàm eius incipiat officiũ,corporale iuramentum præſtet de regendo,& exercendo ipſum officiũ bene,fideliter,& legaliter,& ſine fraude, ſecundũ formā ſtatutorum Cõis Firmi,& de non vendendo ipſum: & finito eius officio,ſufficienter reddere rationẽ de geſtis per eum in eodẽ officio,& ſuper hoc fideiuſſores præſtare idoneos: & ſimile iuramentum faciat eius notarius, qui ſit publicus imperiali, ſeu apoſtolica auctoritate notarius,& iurare debeat vnà cũ dicto Bancherio cũ alijs Ciuibus in ſala magna Palatij corā DD. Prioribus:quod ſi ſecus factũ fuerit,DD.Priores repellant,& non admittant dictũ Bancheriũ vllo modo ad iuramentũ: & Cancellarius non ſtipuletur,nec acceptet eum,ſub pęna x. duc. cuilibet DD. Priorum, & Cancellario v. duc. de eorum ſalario de facto retinendorum,& ſolueñ.ſi contrafecerint: Et poſſint, & debeant eligere,& extrahere vnũ alium Bancheriũ de imburſatis ad exercẽdum officiũ bancheriatus,cum notario conducendo,& habendo,vt ſupra dictum eſt. Et teneatur primò ipſe Bancherius habere burſam ſibi conſignandā expenſis Cõis,in qua ſemper teneat pecunias dicti Cõmunis, & non in alia burſa. Item teneatur ipſe Bancherius,& eius notarius ſtare in palatio Priorum ad banchũ,vbi eis ordinatũ fuerit,& per ſe tantùm officiũ eorum exercere,& libros actuũ eorũ officij in arceſcāno Cõis recondere,nec extra palatium eos,vel aliquẽ ipſorum,nec extra locũ eorum reſidentiæ extrahere,vel extrahi facere,vel permittere quoquo modo,& nullā ſcripturam,vel actũ pertinentẽ ad officium eorũ,alibi quàm in loco prædicto ſcribere,ſeu aliqualiter facere: & tam Bãcherius,quàm notarius,quilibet per ſe ſuum librũ habeat,in quo introitus,& exitus rationum Cõis ſcribat,diẽ,& locum,teſtes in eiſdem ſcripturis per ſe,& non per ſubſtitutum apponendo:& aliter factũ non teneat ipſo iure,pœna cuilibet cõtrafaciẽti in aliquo prædictorũ xxv.lib.deñ. pro qualibet vice. Itẽ teneatur notarius dicti Bancherij,quotieſcunque criminales ſententiæ in Curia Poteſtatis,vel Capitanei proferuntur in Cõcilio,intereſſe ibidẽ ad eaſdem ſententias auſcultandas cum notario Rectoris,qui eas legit,& copiam earũ ſententiarum ſcriptā manu notarij legentis in membranis tunc temporis tenere in manibus, & ſtatim prolata ſententia ſecum referre,& in prædicto arceſcanno recondere,pęna x. lib. deñ. pro qualibet vice: & ſine præſentia,& requiſitione dicti notarij non poſſint proferri,vel legi ſententiæ criminales,pœna centum lib. deñ. cuilibet Rectori, & officiali contrafacienti, & notario aliter legenti libr. centum deñ.pro qualibet vice. Et Rector,vel officialis ſententias proferens,& notarius legens,niſi copias dictarum ſententiarũ,quando ſic leguntur,vel proferuntur, exhibuerit,vel dederit dicto notario bancherij,puniatur Rector,vel officialis proferens vice qualibet in lib. ducentis deñ. notarius verò legens in lib. xxv. deñ. vice qualibet: Et Bancherius,eiuſque notarius ſollicitè inſtent,vt prædictæ ſententiæ latæ executioni mandentur. Item teneatur idem Bancherius omnes pecunias, & res ad Commune pertinentes,quæ ex condemnationibus,vel aliter ad manus ipſius peruenerint,fideliter,& diligenter cuſtodire,& ſaluare: & ipſe,eiuſq. notarius ſine temporis interuallo quilibet in ſuo libro, manuq. propria ad introitum, & rationem Communis, modo & forma ſcriptis ſuperius, ſcribere, pœna centum libr. deñ. pro quolibet,& qualibet vice. Et non poſſit idem Bancherius facere aliquam confeſſionem,ſeu contentum de aliqua pecunia,vel re, quæ ad Commune pertineret,ſine interuentu manualis ſolutionis,& traditionis, pœna centum librarum denariorum pro quolibet, & qualibet vice, tam ipſi Bancherio, quàm eius notario id ſcribenti, de facto exigenda à quolibet, etiam durante eius officio, per Rectorem, vel Iudicem iuſtitiæ Ciuitatis Firmi: & quod ſecus factum eſſet, non teneat ipſo iure. Et non poſſit dictus Bancherius aliquam rem, ſeu pecuniæ quantitatem ipſius Communis,vel ad ipſum Commune pertinentẽ alicui tradere,vel ſoluere,niſi primò viſa bulla,& mandato

DD. Priorū,& Cōfalonerij,& ſcripta manu eorū notarij,eorūq. ſigillo ſigillata,deinde per Regulato
res Cōis approbata,eorumq́. notarij manu ſuperinde ſubſcripta,& per eos ſigillata, & quantitatem,
ſiue rem,& cauſam, & perſonā,cui fiat traditio,vel ſolutio,cōtinēte,& per notariū regiſtri viſa,& ſub
ſcripta. Recipere verò aliquā rem,ſeu pecuniæ quantitatē ad Cōmune pertinentē,ſeu ipſius Cōmu-
nis non aliter poſſit,niſi primò habita bulleƈta DD. Priorū,& Confalonerij manu eorū notarij ſcrip-
ta,& ſolēniter ſubſcripta,& eorum ſigillo ſaltē paruo ſigillata,& quantitatē,vel rē cōtinente. Et tali
bulla recepta per ipſum Bancherium,teneatur ipſe Bācherius in eadem ſubſcribere ſua manu, quòd
quantitatē, vel rem in ea contentā receperit,& qua die: & demū ipſam remittere ad notariū Regula-
torū,& regiſtri,per eos regiſtrandā. Et poſtea ſic regiſtrata mittatur per eū ad notariū DD.Priorum,
qui eā debeat illicò infilzare,& conſeruare:quas bulleƈtas prædiƈta cōtinentes notarius Bancherij ſo
lēniter apponēdo diē exhibitionis debeat regiſtrare; & demū contenta in eis executioni mādare de-
beat diƈtus Bancherius. Et tam ipſe,quàm eius notarius,quilibet manu propria in ſuo libro accepta,
data,& ſoluta in rationibus Cōis ſcribere teneatur. Et non liceat notario in regiſtrādo,nec Bācherio
in ſoluendo,& exequēdo iuxtà contenta in bulleƈta aliqua ſubſcripta ordinem aƈtuum,ſeu ſcriptura
rum peruertere,præpoſterare,vel mutare,pęna depoſitionis officij,& centū lib. deñ. pro quolibet cō-
trafaciente,& qualibet vice,in ſingulis caſibus ſupradiƈtis exigenda de faƈto. Et ſi diƈtus Bancherius
nō haberet vnde ſatisfaceret iuxtà cōtenta in diƈtis bulleƈtis,vt prædicitur,regiſtratis,ſucceſſor ſuus,
cum ad eius manus de pecunia,& hauere Cōmunis peruenerit, iuxtà ordinē ſcripturarū ſui pręceſſo-
ris prædiƈta omnia exequi teneatur. Et non poſſit Bancherius Cōmunis etiā pro concimine alicuius
palatij,manſionis,maſſariæ,vel alterius rei alicuius Reƈtoris,vel officialis Cōmunis,ſine bulleƈta ſolē
nizata modo prædiƈto aliquid expendere,vel ſoluere;aliàs de ſuo reſtituat: & ſi plus expendiſſe repe
riretur nomine Cōmunis,quàm ſit introitus,qui ad eū peruenerit pro Cōmuni,ſibi imputetur, & il-
lud perdat:& à nemine admittat aliquā delegationē, vel compenſationē alicuius debiti ad quod Cō-
mune obligatū eſſet,quacūque ratione,vel cauſa,niſi duntaxat illius,ad quod Cōmune obligatū eſſet
tali compenſare,ſeu delegare volenti ſuo proprio,ſeu hæreditario nomine;quo caſu poſſit,& debeat,
ſeruata tamen ſolēnitate bulleƈtæ ſupradiƈtæ,pœna Bancherio cōtrafacienti in aliquo centū lib.deñ.
pro qualibet vice:& quod aliter faƈtū fuerit,nō valeat ipſo iure. Adijcientes inſuper,ꝙ Bācherius præ
diƈtus nō audeat,nec pręſumat extrahere,expendere,nec tāgere denarios aſſeƈtus comitatus,niſi ſolū
pro ſolutione talearū,ſine Cernitę deliberatione. Et ſi DD. Priores,& Regulatores mandarent,non
teneatur obedire:ſed contrafaciens ipſo faƈto priuetur officijs,& beneficijs,ac etiā ponatur in carceri
bus ad remittēdū,& reſtituendū denarios extraƈtos de aſſeƈtu,de quibus nō extrahatur,donec diƈtos
denarios remiſerit,& ſoluerit pro diƈtis taleis ſoluēdis. Qui Bancherius teneatur,& debeat ſoluere pe
cunias aſſeƈtuū pro aſſeƈtubus,artiū pro artibus,ordinaria pro ordinarijs,alia pro alijs,vt ordo fuerit,
ac bullas oēs ordinarias,& non extraordinarias abſque Cernitę deliberatione,ſub diƈta pœna priua-
tionis prædiƈtæ:cum hac expræſſa declaratione,ꝙ tempore reddēdæ,& calculādæ ſuæ rationis Regula
tores nullo modo admittāt diƈtas bullas extraordinarias ſolutas, ſed ipſe Bancherius de pecunijs ſuis
proprijs ſoluiſſe intelligatur:& ſi propter extraƈtionem de denarijs aſſeƈtus faciendā per diƈtū Banche
riū venirent executiones,& impenſæ occurrerēt Communi; tunc veniāt ſuper diƈtū Bancherium,qui
teneatur,& cogatur ſoluere diƈtas impenſas, & executiones occurrendas occaſione ſolutionis talearū
de ſuis proprijs pecunijs. Et finito ſuo officio,non poſſit,nec debeat in libro, vel baſtardello ſcribere,
& addere aliquid,ſub pęna quinquaginta ducatorum:nec etiam notarius Regulatorum addat in regi
ſtro aliquid. Et non poſſit diƈtus Bancherius per ſe,vel alium emere,vel recipere à quocūque aliquod
ius contra Cōmune,nec pro empto,recepto,vel acquiſito aliquid de pecunia,& hauere Cōmunis reti
nere,ſeu capere,pœna centū lib.deñ. pro qualibet vice: & tamen quod ſecus faƈtū fuerit non valeat
ipſo iure,& pretiū perdat,& acceptū,ſeu retentū Cōis reſtituat,& Cōmuni applicetur:& de his poſſit
à quolibet accuſari. Itē non poſſit Bācherius,vel eius notarius per ſe,vel aliū durante eorū officio ali-
quā gabellā Cōis,ſeu aliquā quācunque rē,vel ius Cōis,ſeu ad Cōmune pertinentē emere, vel reci-
pere,ſeu quouis titulo,vel colore acquirere,pęna cētū lib.deñ.à quolibet cōtrafaciēte,& qualibet vi-
ce,de faƈto,& ſine proceſſu exigēda, & pretiū cū re,vel iure amittat ipſo faƈto. Itē diƈtus Bancherius
ſoluat ſalariū Poteſtati,Capitaneo,& cuilibet alteri officiali Cōis,& eorū cuilibet hoc modo: videli-
cet tertiā partē in fine primorū duorū menſiū,aliā tertiam partē in fine ſequentiū duorū menſiū, reli
qua verò tertia pars ad finē ſui ſcindicatus. Et finito ſuo ſcindicatu,& ratione reddita, ſi non ſeque-
retur condemnatio,ſoluatur,recepta tamen prius per diƈtū Bancherium, & notarium regiſtri nomine

Communis fine, & quietatione sufficieti à dicto Rectore, vel officiali de eo, quod occasione salarij sui officij petere posset; aliàs de suo soluisse intelligatur. Item nòn possit dictus Bãcherius, seu eius notarius pro bullecta, quam alicui dederit, vel fecerit de faciendo fidẽ Rectori, vel officiali de condemnatione, quam aliquis soluerit, seu pro quacunque alia bullecta, vel scriptura, quam in suo officio alicui dederit, vel fecerit, aliquã pecuniam, vel rem accipere, vel petere: sed immo ad petitionem, vel requisitionem talis soluentis, & cuiuslibet, ad quẽ spectat, teneatur quilibet eorum bullectã de solutione prædicta, & alijs opportunis cuilibet facere dare statim gratis, pœna x. lib. deñ. pro quolibet, & qualibet vice: & nullum pretium, munus, premium, vel xeniũ recipiat, vel recipere faciat dictus Bancherius ab aliqua persona, cui Commune, seu Bancherius pro Cõmune aliquid deberet, pro dicto debito soluẽdo, seu citius soluendo, vel aliqua alia occasione, seu causa, vel ratione sui officij: & si contrafecerit per se, vel alium, aliquid accipiendo, vel retinendo quoquo modo, seu quocunque quæsito colore ab illo, cui Commune deberet quacũque de causa, vel alio eius nomine, puniatur per Potestatem, vel Capitaneũ etiam eius officio durante, vel postea, seu etiam per eius Scindicatorẽ pro qualibet vice in lib. centum de facto, & sine aliquo processu; & nihilominus quicquid acceperit, vel retinuerit occasione prædicta, perdere debeat: & vltra hoc in duplum Communi soluere, & tradere modo prædicto compellatur, & de cętero omnibus, & singulis officijs Ciuitatis, & comitatus Firmi perpetuò sit eo ipso priuatus, & exclusus: & à sententia ferenda, seu pęna imponenda pro prædictis contra dictum Bancheriũ, & eius notarium non possit appellari, querelari, reclamari, seu supplicari, in integrum restitutio postulari, vel de nullitate dici, vel opponi. Et quilibet Rector Ciuitatis Firmi habeat liberum arbitrium inquirendi, inuestigandi, puniendi, & condemnandi contra prædictos de pręDictis de facto, & sine processu aliquo: & de his, quę cõtra pręDictos statuta, seu facta fuerint, occasione aliqua de prædictis Rector, vel officialis statuens, vel sic faciens, scindicari, vel ad scindicatum stare non debeat, seu possit, nisi pro furto, & baractaria duntaxat. Et si contigerit de prædictis procedi contra dictum Bancherium durante eius officio, & fuerit punitus, & condemnatus, eo ipso sit ab ipso officio depositus; & infra tertiam diẽ rationem suam Cõmuni reddat: & quilibet habeatur legitimus accusator, & denunciator de prædictis, & teneatur secretus: & locũ habeat in præteritis, præsentibus, & futuris. Et habeat dictus Bãcherius, eiusque notarius de pecunia Communis salarium consuetũ, quod idem Bancherius de dicta pecunia apud se valeat retinere, interueniente tamen solennitate bullectæ supradictæ. Et teneatur in fine sui officij infra triduum reassignare Regulatoribus libros suos, & bullectas prædictas rationum prædictarum: & si non fecerit infra triduum supradictum, puniatur in lib. centum deñ. per quemcunque Rectorem. Et visa, ac reddita ratione suæ administrationis, per dictos Regulatores ad hoc deputatos, pręDicti libri cũ bullectis solutionum per Bancherium ipsum factarum in quodam sacculo inter alias scripturas Communis reponi debeant. Et si dictus Bancherius, vel eius notarius in dicto suo officio aliquam fraudem commiserit contra formam huius statuti, vel aliorum de suo officio loquẽtium, Potestatis, Capitanei, vel Scindicatoris libero arbitrio puniatur, etiam de facto, & sine processu aliquo, inspecta qualitate delicti: saluis tamen statutis, & pœnis prædictis. De quibus omnibus, & singulis quilibet habeatur legitimus accusator, vel denunciator: possintq; dicti Rectores libero arbitrio de prædictis inquirere, & inuestigare, etiam nulla solennitate seruata, ac etiam punire, & condemnare, vt præfertur. Et huius statuti copiam Bancherius quilibet teneatur habere, vt nullam de prædictis valeat ignorantiã allegare. Item dictus Bancherius teneatur illo mane, quo DD. Priores, & Vexillifer iustitię consignant claues, & sigilla Communis in eorum officio successoribus, statim post cõsignationem factã per dictos DD. Priores, & Confalonerium præsentibus dictis Dominis, & coram omnibus astantibus in dicta consignatione surgere, & dicere suo in officio successori publicè, & palàm: Ego consigno tibi meo successori tali bursam, in qua cõsuetũ est retineri pecunia Cõis, & restituo tibi in ea reliqua, videlicet tot, quę in dicta bursa sunt: & si nõ superesset aliquid ei, tunc dictã bursam vacuã cõsignet, & dicat, ꝙ nihil sibi superest: ad hoc, vt ad notitiã oĩum ibidẽ astãtiũ veniat, si aliquid ei superest, vel nõ: quã reassignationẽ bursæ pręDictæ notarius Bancherij successoris teneatur scribere per ordinẽ in principio libri introitus sui: deinde dictus Bancherius, qui sic officiũ finierit, & bursã reconsignauerit modo pręDicto, & eius notarius teneatur eorũ libros introitus, & exitus, & totius rationis dicti Bãcherij infra tertiã diem restituere, & reassignare Regulatoribus Cõmunis prædicti, vt eius ratio clarè videri, & examinari possit: in qua ratione reddẽda, si repertũ fuerit dictũ Bancheriũ totum, & integrũ reliquũ pecuniæ restituendæ non reassignauisse tẽpore consignationis dictæ bursæ, teneatur in duplo eius, quod reassignare debuisset, si tunc quando bursam reassignauit, teneretur: & vltra hoc Scindicatoris arbitrio puniatur.

De officio Consulum Mercatorum. *Rubr. 21.*

Consulum Mercatorum ad officium consulatus,& eorum Notarij officium tale sit: videlicet quod stare debeant ipsi Consules,& eorum notarius continuè horis congruis in loco cõsueto ad rationem reddendam,& ad cognoscendum,& terminandum omnes quęstiones vertentes inter quascunque personas,tam ciuium,quàm forensium occasione emptionis,& venditionis mercantionum rerum mobilium tantùm factarum,& fiendarum per mare,vel per terram per quoscunque,& cuiuscunque fuerint quantitatis,& omnes alias quæstiones ex quibuscunque causis vsque ad quantitatem centum sol. deñ. tantùm: dummodo actor iuret se debere recipere ex dicta causa non maiorem quantitatem,vt non fiat diuisio quantitatis ex eadẽ causa,ne fraus in iurisdictione prædicta cõmittatur:& semper consideretur quod debetur,& nõ quod petitur: & quod secus factum fuerit, non valeat,nec teneat ipso iure. In alijs verò quæstionibus,seu causis dicti Consules se intromittere non possint,nec de eis cognoscere valeant,nec iurisdictionem habeant,nisi litigantes sponte se coram eis voluerint conuenire,& sponte litigauerint,& respondiderint coram eis: de quibus quæstionibus coram eis vertentibus possint cognoscere,& diffinire summariè,simpliciter,& de plano, sine strepitu, & figura iudicij,solennitatibus, & substantialitatibus quibuscunque omissis, sed sola facti veritate reperta. Et causas quascunque vertentes coram eis,quarum cognitionem habent,sine partium cõsensu teneantur decidere,& terminare infra viginti dies à die primæ citationis numerandos, pœna xxv. lib. deñ. pro quolibet,& qualibet vice. Causas verò,quarum habent cognitionem ex consensu spontaneo,si sint pretij xxv. lib. deñ. vel ab inde infra,decidant infra dictum terminum, sub dicta pœna. In alijs verò seruent modum, & terminos ordinatum,& ordinatos in causis ciuilibus ordinarijs, qui habentur in libro causarum ciuilium: qui terminus in Curia dictorum Consulum currat à die licentiæ contumaciæ omnibus diebus etiam feriatis, non tamen in honorem Dei inductis: dummodo eis de prædictis semper sit liquidum,& manifestum per instrumentum,vel scripturam scriptam manu debitoris, seu promissoris quantitatis,vel alicuius rei,vel per confessionem partis, vel per testes, vel semi plenam probationem,& iuramẽtum partis eius,cui videretur dictis Consulibus Mercatorum iuramentum deferendum.Et Potestas,vel Capitaneus,qui pro tempore fuerint,teneantur,& debeant sententias,præcepta lata,& facta per dictos Consules secundum iurisdictionem ipsorum Consulum executioni mandare,cogendo partem condemnatã realiter,& personaliter, prout ipsis DD. Rectoribus exequentibus dicta præcepta, seu sententias, vel alteri ipsorum videbitur expedire. Et possint dicti Consules pro dicto eorum officio exercendo pœnas, & banna imponere vsque ad quantitatem xxv. lib. deñ. inclusiuè,& ab inde infra,inspecta quantitate,& qualitate facti,& negotij causæ:quæ banna imposita,& imponenda per dictos Cõsules Potestas,& Capitaneus,& quilibet ipsorum teneatur exigere,& auferre inobedienti ad requisitionem ipsorum Consulum, vel partis,in cuius fauorem prædicta fierent,post lapsum decem dierum à die facti præcepti,& ipsos inobedientes cogere in Palatio,& cogi facere,& eorum familiam,& balium Communis mittere ad capiendum illum,vel illos, quos ipsi Consules voluerint,& dixerint,pro dictis debitis persoluendis, seu bannis impositis occasionibus supradictis,secundum ipsorum sententiam,& mandatum. Et prædicti Consules teneantur prædicta facere,& fieri facere,& obseruare,& executioni mandare,vt supra dictum est: & bene, & legaliter dictũ officium ipsi,& eorum notarius exercere,& operari sine fraude, & malitia aliqua, & secundum modũ prædictum: & si aliter procederent,non valeat ipso iure. Qui quidem Consules,& eorum notarius in principio eorum officij iurare debeant, dictum officium bene,& legaliter exercere: & nullum salariũ habere possint,vel debeant à Communi, vel specialibus personis,nisi pro scripturis,quæ fierent occasione dicti officij,& in ipso officio percipere secundum modum,& formam traditam in capitulo de salario Notariorum bancharum ciuilium dictæ Ciuitatis:quod quidem salarium,siue lucrum diuidatur inter dictos Consules,& Notarium eorum,& quilibet pro rata. Et Consules prædicti,& eorum notarius eligantur hoc modo: videlicet quod fiat vnus sacculus,in quo ponantur tria marsupia,in quorum vno ponantur sex cedulæ in palluctis de cera, quarum quælibet pallucta contineat vnum Aduocatũ, vel Procuratorem collegiatum,& matriculatum,& vnum mercatorem,& vnum notariũ inter contratam Castelli, & contratam Pilæ; & in alio marsupio ponantur sex aliæ cedulæ in palluctis prædictis; quarum quælibet contineat vnum Aduocatum,vel Procuratorem,vt supra collegiatũ,& vnum mercatorem,& vnum notarium inter contratam Sancti Martini,& contratam Florentię:& eadem forma, & modus seruetur in cõtrata Sancti Bartholomæi, & Campiletij: & prædicta ordinatio fiat per DD.

Priores,& Confalonerium iustitiæ,& duos bonos homines per contratam:& dicti Consules,& notarius extrahantur de dicto sacculo,donec durant dictæ cedulæ: quo finito,fiant aliæ de nouo, modo,& forma prædictis. Et licentiæ tenutarum datarum,& dandarum,& accipiendarum auctoritate Consulum pro creditoribus contra debitores valeant,& teneant auctoritate præsentis statuti,& ipsæ tenutę executioni mandentur,vt in capitulo de licentijs,& tenutis plenius continetur. Et præsens statutum sit,& esse debeat præcisum,& derogatorium omni alio statuto,prouisioni, & reformationi, facto, seu factæ. Et præsens statutum teneantur, & debeant dicti Consules in omnibus, & per omnia obseruare,& se non immiscere in alijs quæstionibus,quarum cognitionem non haberent, secundum formam pręsentis statuti:& si contra contenta in pręsenti statuto fecerint,non teneat ipso iure quod fecerint, nec ea,quæ fierent vltra dictam iurisdictionē,officiales Communis teneātur exequi. Et teneantur dicti Consules per seipsos officium prædictum exercere, nec possint illud alteri committere: possit tamen vnus alteri vices suas committere in cognoscendo causas coram eis vertentes vsque ad sententiā exclusiuè. Sententias verò diffinitiuas ambo simul dare,& proferre teneantur: & si aliter fieret, non valeat sententia quoquo modo. Adijcientes, ꝙ eorum notarius teneatur,& debeat registrare,& annotare omnes eorum actus,& sententias in libro tempore cuiuslibet officij Consulum faciendo; & librum prædictum publicatum restituat notario Regulatorum finito officio dictorum Consulum. Qui notarius Regulatorum gratis, & sine aliqua mercede teneatur ostendere dictum librum vnicuique sua interesse putanti,quotiens dictum librum legere,vel videre voluerit.

De officio Massarij,qui prouidere,& reuidere habet massaritias,& monitiones Communis. Rub. 22.

MAssarius Communis Ciuitatis Firmi sit,& esse intelligatur ille,qui est,vel in futurū erit Scindicus Communis ad negotia, & eius notarius sit, & esse intelligatur dictus, qui est, vel erit electus ad officium Registri Cōmunis: qui quidem Massarius teneatur,& debeat omnes res, & massaritias Communis,quæ sunt,vel erunt in Palatio DD. Priorum populi, & Confalonerij iustitiæ,D. Potestatis,D. Capitanei,vel iudicis iustitiæ,vel alterius cuiuscūque officialis forensis dicti Cōmunis,qui aliquas massaritias,vel res haberet de bonis,& rebus dicti Communis, scribi facere dicto notario,& inuentaria de eis facere,& eas assignare DD. Prioribus,& alijs supradictis officialibus prima die, qua intrant palatium eorum habitationis, cum rogatione dicti notarij: & tempore quo dicti officiales debent exire palatium,ab eis exigere rationem de dictis rebus, & massaritijs prædictis, & ab eis dictas res illæsas recipere. Quòd si prædicti DD. Priores,Potestas,& Capitaneus,vel iudex iustitiæ,vel alij officiales prædicti prædictas res eis datas,& assignatas per dictum Massarium non restituerent illæsas,teneantur ipsas emendare,& refici facere de eorum proprio salario:& Scindicus, qui eos, vel alterum ipsorum scindicabit,tempore scindicatus ad postulationem dicti Massarij prædicta fieri facere teneatur dicto tali officiali prædicta non reficienti,vel restituenti de salario dicti talis officialis,& expensis talis officialis perdentis, vel deuastantis, & aliam in locum deperditæ,vel deuastatæ ematur, & ponatur;ita ꝙ res,& massaritiæ Communis semper manuteneantur,& gubernentur. Quòd si prædicti Massarius, vel notarius in aliquo de prædictis negligentes extiterint, & aliqua dictarum rerum, & massaritiarum perderetur,vel destrueretur, & à dictis officialibus eorum negligentia non reciperent, vt supra dictum est,vel non exigerent,cadant in pœnam x. lib. deñ. vice qualibet, & pro qualibet re, siue massaritia pędicta, & quolibet ipsorum:& nihilominus de suo proprio prædictas res,vel massaritias deperditas,vel destructas emendare teneantur. Et successor dicti Massarij à pręcessore suo teneatur rationē exigere,vel videre inuentaria per pręcessorem suum facta cum rogatione notarij, & ab eo recipere; ita ꝙ clarè,& apertè videatur cuius defectu res,& massaritiæ perderentur: & ille, cuius defectu massaritiæ perderentur,vel deuastarentur,vel eius negligentia non peterentur,siue repeterentur à dictis officialibus,teneantur ad dictam pœnam,& emendationem prædictam.

De electione Notariorum bancharum ciuilium,& appellationum,& eorum officio. Rub. 23.

NOtarij bancharum ad ciuilia,& appellationes taliter eligātur,& eorum tale sit officium,videlicet quòd quilibet Potestas in principio sui officij, siue regiminis in Concilio centum quinquaginta eligi faciat ad scarfinas secundum modum solitum quatuor notarios per contratā bonos,& expertos,& legales,ætatis ad minus xxv. annorum. Qui sedere, & esse debeat ad banchas ciuilium causarum cum Potestate,& iudicibus suis:de quibus notarijs duo sint notarij appellationum cum Capitaneo,& eius iudice,vel cum iudice iustitiæ,& appellationum, si Capitaneus non esset. Et

illi, qui fuerint electi ad ciuilia, non possint esse ad officium appellationum, & è conuerso notarij appellationum non possint esse, nec exercere officium ciuilium causarum durante dicto tempore. Et ille, cui obueniret dicta scarsina, nõ possit ipsam in se retinere, nisi esset bonus, & expertus, ac legalis notarius; sed alium eligere bonum, & expertum, & legalem notarium, vt dictum est. Et eorum officium duret per sex menses, videlicet à principio officij Potestatis vsque ad finem sui officij. Et nullus possit eligi ad dictum officium, nisi sit de Ciuibus, & habitatoribus Ciuitatis Firmi, saltem à xx. annis citra per se, patrem, & auum, & nisi sit ætatis ad minus xxv. annorum, vt supra dictum est. Et si quis contrafecerit, tã eligens, quàm acceptans soluat pœnam x. libr. deñ. Possint itaque dicti Notarij seruire in dictis officijs per substitutum æquè bonum, & idoneum, & expertum, ac legalem notarium, qui iuret ipsum officium bene, & legaliter exercere. Et omnes scripturas pertinentes, & spectantes ad eorum officium, bene, & fideliter scribere de quibus fuerint rogati. Ac etiam quilibet dictorum notariorum, tam ciuiliũ, quàm appellationum teneatur, & debeat facere Kalendarium in eorum libris, videlicet scribere omnes dies iuridicos, & feriatos, cum causa quare fuerunt feriati. Quòd si contrafecerit, puniatur de facto pro quolibet, & vice qualibet in decem libr. deñ. & de cætero durante tempore dictorum sex mensium ad dictas banchas sedere, vel stare non possint.

De officio Aduocati, & Scindici Communis ad causas. *Rubr. 24.*

ORdinamus, quòd ad defendendum iura, & causas Cõmunis, ac etiam ad agendum, & inueniendum iura dicti Communis eligatur vnus Aduocatus bonus, & expertus, & constituatur vnus Scindicus pro Communi in Concilio, qui teneantur defendere, & prosequi causas Communis, tam in agendo, quàm in defendendo. Et habeat dictus Scindicus, & Aduocatus generale, & speciale mandatum ad causas ad quemlibet actum cansarum, cum plena, libera, & generali administratione circa prædicta, ac si publicum haberet mandatum, tam in agendo, quàm etiam in defendendo in principali causa, & appellatione: & eorum officium duret vno anno. Et habeant pro eorum salario illud, quod per DD. Priores, & Regulatores declarabitur. Et ne fraus aliqua committatur in maleficijs, teneantur, & debeant videre, & intelligere ommes, & singulas maleficiorum denuncias, & accusas, & eas manu propria alterius ipsorum subscribere ante porrectionem de eis faciendam per Scindicos, vel quoscunque, Rectoribus Ciuitatis Firmi, vel eorum officialibus: qui eas recipere nõ possint sine subscriptione prædicta. Item teneantur, & debeant volentibus dare petitiones Rectoribus, & eorum officialibus forẽsibus tempore eorum scindicatus præstare aduocationem, consilium, & patrocinium, recepta competenti mercede, sub pęna amissionis eorum salarij, & officij priuatione contrafacientibus, negligentibus, & recusantibus præstare dictum patrocinium. Item Aduocatus, & Procurator prædicti pro defensione pauperum, & miserabilium personarum, & aliorum non reperientium Aduocatum, & Procuratorem, teneantur, & debeant defensare dictos pauperes, & miserabiles personas, & alios non reperientes Aduocatum, & Procuratorem, recepta competenti mercede: & si non facerent, & essent negligentes, perdant salarium. Quibus Aduocato, & Scindico, vt ardentiores reddantur pro interesse Communis, soluatur salarium quolibet mense per Commune: qui si comperirentur in aliqua fraude, incurrant pœnam in statutis contentam: quos etiam possint omnes accusare, & lucrentur medietatẽ pœnæ prædictæ, & teneatur talis accusans secretus. Item dictus Scindicus tempore scindicatus Potestatis, & Capitanei teneatur, & debeat comparere corã Scindicatore cũ petitione formata in inquisitione generali, & eam dare, petere, & actirare, & omnem diligentiã in ipsa facere, ita quòd scindicatus præfatorum rigidè discutiatur. Qui Aduocatns sit ad minns vigintiquinque annorum, & Scindicus etiam dictæ ætatis ad minus. Et teneantur librum, siue inuentarium facere de omnibus, & singulis causis, & quæstionibus Commnnis, & dimittere successoribus. Et qui fuerit ad dictum officium, non possit ad idem esse vsque ad sex annos à die finiti sui officij numerandos.

De officialibus Castrorum Communis Firmi imbursandis. *Rubr. 25.*

QVia expedit Castra Communis Firmi cum institia gubernari, & sub protectione dictæ Ciuitatis recipere incrementa: Ideo hac lege sancimns, q̃ DD. Priores populi, & Confalonerius iustitiæ, qui nnnc sunt, & pro tempore erunt, vnà cum Regulatoribus, Capitaneis collegiorum, & reformatorum teneantur, & debeant imbursari facere quatuor homines per contratam oriundos de Ciuitate Firmi, peritos, aptos, & expertos ad exercẽdum officia; qui sint de peritioribus, & melioribus cuiuslibet contratæ pro Castris melioribus, & maioribus dictis: qui quatuor sic electi, siue eo

rum

rum nomina ponãtur in vna faccula,fiue buſſula,& nomina infraſcriptorum,quæ ſunt Caſtra maiora; ponantur in alia buſſula: & per Confalonerium iuſtitiæ extrahatur ad ſcarfinam nomen vnius ex dictis poſitis in dicta buſſula,in qua ſunt nomina dictorum quatuor per cõtratam. Et poſtea extrahatur per eum de alia buſſula,in qua ſunt nomina Caſtri. Et cui tangit,ille ſit officialis,Vicarius,ſiue Poteſtas illius Caſtri. Et ſic per ordinem fiat, donec durant Caſtra dicta maiora. Et talis ſic extractus,cui contingit, ire teneatur ad regendum dictum Caſtrum, pœna centum lib.deñ. Et eius officium duret per ſex menſes,& non vltra: ſaluo ſi ſucceſſor ſuus non iret in termino,teneatur ſuum ſucceſſorem expectare: & ſuum officium duret vſque ad acceſſum ſui ſucceſſoris, & non poſſit dimittere officium vſque quo non venit ſucceſſor. Et ei ſoluatur pro rata ſalarij, & temporis: & debeat regere Caſtrum prædictum ſecundum ſtatuta,& ſecundum formam pactorum habitorum inter Commune Firmi,& dictum Caſtrum,ſiue homines dicti Caſtri. Teneatur inſuper dictus ſic extractus iurare ad Sancta Dei Euangelia in manibus dictorum DD. Priorum, quòd dictum officium bene, legaliter, & fideliter reget,& ſine fraude,& ſecundum formam dictorum ſtatutorum Firmi,& pactorum prædictorum, ad ſeruitia, & mandata dictorum DD. Priorum,& Confalonerij iuſtitiæ.

Nomina Caſtrorum Maiorum.

Caſtrum Gruptarum ad mare.	Caſtrum Falleroni.	Caſtrum Lauri.
Caſtrum Petrituli.	Caſt. ſeu Terra Montis Florum.	Caſtrum Moliani.
Caſtrum Seruiliani.	Caſtrum S. Angeli in pontano.	Caſt. Montis S. Petri vltra Tẽnam.

Rubr. 26.

Item teneantur dicti DD. Priores, & Confalonerius vnà cum dictis Regulatoribus, & Capitaneis,& reformatoribus prædictis in ſimili forma imburſari facere nomina ſufficientia Notariorum,& aliorum actorum,& ſufficientium ad eũdum per officia,tã de Ciuitate,quàm etiã de comitatu, pro exercendo officia Caſtrorum mediocrium infraſcriptorum. Quorum officium duret per ſex menſes, & non vltra, niſi ſucceſſor non iret in termino vt ſupra. Et eodem modo imburſentur nomina Caſtrorum dictorum mediocrium, & extrahantur vt ſupra: & cui contingit, ire teneatur vt ſupra, ad dictam pœnam: & non poſſit aliquis ſupradictorum, & infra dicendorum officialium in aliquo officio refirmari, pęna centum lib. deñ. dicto officiali,qui paſſus fuerit ſe in aliquo officio de prædictis, & infra dicendis officijs Caſtrorum comitatus refirmari. Et regant dicti officiales ſecundũ formam ſupradictam,ad ſeruitia,& mandata dictorum Dominorum.

Nomina Caſtrorum Mediocrium.

Caſtrum Sancti Benedicti.	Caſtrum Montis Giberti.	Caſtrum Turris Sancti Patritij.
Caſtrum Maſſegnani.	Caſtrum Rapagnani.	Caſtrum Montis Apponis.
Caſtrum Campifilonis.	Caſtrum Turris Palmarum.	Caſtrum Gualdi.
Caſtrum Altidonæ.	Caſtrum Belmontis.	Caſtrum Montis actoni.
Caſtrum Lapidonæ.	Caſtrum Montis Falconi.	Caſtrum Marani.
Caſtrum Medij.	Caſtrum Smerilli.	Caſtrum Portus.

Rubr. 27.

Item teneãtur dicti DD. Priores,& Confalonerius vnà cum prædictis DD. Regulatoribus,& Capitaneis artiũ,& reformatoribus imburſari facere certos alios Notarios bonos,& aptos, vel etiam non notarios, dum tamen ſint apti ad exercendum officia, tam de Ciuitate, quàm etiam de comitatu. Quorum nomina ipſorum,& Caſtrorum infraſcriptorum minorum extrahantur ſecundum ordinem ſupradictum. Et cui tangit ſcarfina nominis Caſtri alicuius officij,teneatur ipſum exercere,& non refutare,vel reluctare,pœna centum lib. deñ. per Rectorem Firmi de facto eidem auferenda: quorum officium duret per ſex menſes,vt ſupra,primò præſtito iuramento,vt ſupra;quo præſtito,dictum officium exerceant,vt ſupra.

Nomina Caſtrorum Minorum.

Caſtrum Morgnani.	Caſtrum Ponzani.	Caſtrum Sancti Petri morici.
Caſtrum Moriſchi.	Caſt. Mõtis guidonis combacti.	Caſtrum Sancti Elpidij morici.
Caſtrum Trocchiarij.	Caſtrum Collinæ.	Caſtrum Ortezani.

Castrum Montis leonis.	Castrum Belluchi.	Castrum Gabbiani.
Castrum Gruptarum azolinę.	Cast. Castellectæ iuxtà Petriolū.	Castrum Collicilli.
Castrum Sancti Andreę.	Castrum Mercati.	Castrum Montis ficchi.
Castrum Aquæuiuæ.	Castrum Morumpadarij.	Castrum S. Marię matris Dñi.
Castrum Petrioli.	Castrum guardiæ.	Castrum Montoni.
Castrum Mainardi.	Castrum Montis aquilini.	Castrum Lognani.
Castrum Monturani.	Castrum Montis viridis.	Castrum Montis Sancti Martini iuxtà Lapedonam.
Castrum Francauillæ.	Castrum Partini.	
Castrum Malliani.	Castrum Montis guarminis.	Castrum Montis Appollini.
Castrum Ripæ cerreti.	Castrum Montis Raynaldi.	Castrum Montis vinardischi.
Castrum Mōtis guidonis coradi.	Castrum Firmanum,	Castrum Podij Sanctę Luciæ.
Castrum Massæ.	Castrum Bassium.	Cast. Podij extra Gruptas azoli.
Castrum Montis viridis.	Castrum Appezani.	Castrum Clarmontis.
Castrum Pedasij.	Castrum Altetæ.	Cast. Castri subrus S.Elpidium.
Castrum Bucchæblanchæ.	Castrum Podij Raynaldi.	Castrum Bucchiani.

Rub. 28.

QVi officiales sic extracti pro exercendo dicta officia, vel aliquod ipsorum, non possint eligi, imbursari, vel extrahi ad dicta officia, vel aliquod ipsorum, nisi fuerint Ciues Ciuitatis Firmi, vel comitatiui comitatus eiusdem Ciuitatis, vel habitatores dictæ Ciuitatis saltem per x. annos continuos, & qui præstent, & præstiterint saltem per dictum tempus obsequia realia, & personalia Communi Firmi. Si quis verò contra prædictam formam, vel præter prædicta extractus, vocatus, vel nominatus fuerit ad dicta officia, vel aliquod ipsorum, non valeat eius electio, vel nominatio. Et si repertus fuerit aliquis exercere aliquid de prædictis officijs dicta forma non seruata, cadat in pœnam quingentarum lib. deñ. ipso facto pro quolibet ipsorum, & vice qualibet: & quicquid fit per ipsum non teneat ipso iure: qui quidem officiales sic extracti ad dicta officia non possint, vel debeant ab eorū officijs se absentare, nec extra Castra quæ regunt pernoctare sine expræssa licentia DD. Priorū populi, & Confalonerij iustitiæ, pœna x. lib. deñ. pro qualibet vice, qua pernoctauerint, & pro quolibet ipsorum, ab eis, & quolibet ipsorum per Rectorē Firmi auferenda de facto. Et possint à quolibet, accausari, & denunciari, & habeat accusator, vel denunciator medietatem pœnæ, quę venire faceret ratione suæ accusationis, vel denunciationis in Communi.

De imbursatione Castellanorum Roccharum comitatus. *Rubr. 29.*

STatuimus, & ordinamus, ꝙ DD. Priores, & Vexillifer iustitię præsentes, & qui pro tempore erunt, teneantur, & debeant imbursare Ciues Ciuitatis Firmi, quos decreuerint idoneos pro transmittendo ipsos ad custodiendum rocchas, & fortillitias comitatus, & districtus Firmi: & ille, qui fuerit extractus pro custodia prædicta, non possit renunciare, nisi ex euidenti causa, quam dicti DD. Priores, & Vexillifer admittere possint eorum arbitrio: & dicta causa existente, alius modo prædicto successiuè extrahatur, vsquequo super hoc prouisum fuerit. Qui sic extractus, in tali Roccha, & fortillitia stare possit, & debeat per sex menses, & vltra vsque ad successoris aduētum cum effectu, & non vltra. Et antequàm ad talem custodiam accedat, præstet idoneos fideiussores de mille florenis auri Prioribus, & Confalonerio supradictis, & eorum Cancellario de conseruando, & custodiendo talē Roccham, & fortillitiā, & monitiones in ea existentes, quæ sibi fuerint consignatæ pro dicto Communi Firmi per dictum tempus, & de resignando ipsam finito suo tempore Castellano suo successori, vel alteri ad mandata DD. Priorum, & Confalonerij: quod si non fecerit, pœnam dictorum mille flor. auri incurrat, quæ ab ipso, eiusq. fideiussoribus exigatur, & exigi debeat pro Cōmuni, si contrafactū fuerit: & nihilominus tali sic transmisso, qui contra prædicta fecerit, caput à spatulis amputetur, ita quòd moriatur, & eius bona omnia publicentur. Et teneatur ire ad talem custodiam cum famulis, & monitionibus, & alijs opportunis, & monstram facere ad requisitionem eorum, qui ad hoc fuerint deputati. Item nullus officialis, vel Rocchatanus, seu quiuis Castellanus alicuius Rocchæ, seu fortillitiæ sine expressa licentia DD. Priorum, & Confalonerij iustitiæ possit, vel debeat absentare à dicto suo officio, seu Castellania, siue Roccha; sub pœna contrafacienti vice qualibet vigintiquinque flor. auri, & etiam maiori pœna arbitrio Potestatis, de facto ei auferenda.

De scindi-

De scindicatu DD. Priorum populi, & Vexilliferi iustitiæ, & Regulatorum, & eorũ notariorũ. Rub. 30.

VT omnes, & singuli regentes officia nostri Communis reddere valeãt eorum villicationis plenariam rationem, & à maioribus per minores, & inferiores quoscunque bonum trahatur exẽplum: Statuimus, quòd DD. Priores, & Confalonerius iustitiæ, & Regulatores Communis continuè scindicentur, & scindicari debeant de gestis, & administratis, ac neglectis, & omissis in eorum officijs: hoc modo, quòd DD. Priores, & Confalonerius, qui pro tempore fuerint, eo die quo iurant eorum officium, teneantur eligere sex Ciues idoneos, videlicet vnum per quamlibet contratam, & vnum notarium sufficientem ad scindicandum eorum præcessores, vnà cum Capitaneo, vel iudice iustitiæ dictæ Ciuitatis, & nomina dictorum Scindicatorum, & notarij ad dictum D. Capitaneum, vel iudicem mittere eodem die. Et dictus Capitaneus, vel iudex iustitiæ, & dicti Scindicatores præstito primò iuramento in manibus dicti Capitanei, vel iudicis de exercendo officium dicti scindicatus bene, fideliter, legaliter, sine fraude, etiam odio, & affectione cessantibus, dictum scindicatum die sequenti inchoare, & dictos DD. Priores, & Confalonerium iustitiæ scindicare, & diligẽter inquirere, & inuestigare de, & super omnibus, & singulis delictis, commissis, omissis, & neglectis per eos tempore eorum officij contra formam statutorum Communis Firmi: & si eos, vel aliquem eorum inuenerint culpabiles, punire, & condemnare teneãtur in pęnis in volumine statutorũ contentis: sin autem eos bene, & legaliter gessisse reperierint, absoluere teneantur. Et tempus, siue terminus dicti scindicatus duret octo diebus, & non vltra. Et prędicta obseruare teneantur prędicti DD. Priores, & Confalonerius, qui pro tempore fuerint, & dictus Capitaneus, vel iudex, & etiam dicti Scindicatores, ad pœnam centum lib. deñ. pro quolibet ipsorum. Et idem modus, & eadem forma seruetur in scindicando Regulatores in fine eorum officij, & eorum notarium.

De scindicatu officialium forensium. Rub. 31.

POtestas, Capitaneus, & cæteri officiales Ciuitatis Firmi finito suo officio teneantur, & debeãt cum omnibus, & singulis suis officialibus, & familiaribus ad scindicatum stare de gestis, commissis, omissis, & neglectis per eos, eorumq́. officiales, atque familiam tempore sui officij: & teneãtur respondere pro se, & ipsis omnibus, & singulis, & rationem administrationis, & villicationis reddere Subscindicis eligendis per Mag. DD. Priores pro tempore existeñ. qui sint Ciues Firmani, quorum vnus saltem sit legum Doctor. Qui Scindicatores mittere debeant litteras per comitatum, & districtum Firmi, notificando omnibus Castris, & Cõmunitatibus, ac singularibus personis Castrorũ, & locorum comitatus, scindicatũ fiendum de officialibus. Qui Scindicatores, vt sanctius in dicto scindicatu se gerant, & omni fraude careant, primò iurent corporaliter manu tactis scripturis, remotis ab eis timore, amore, prece, pretio, & omni alia humana gratia, se ipsos bene, iustè, & fideliter exercere dictum scindicatum, sine dolo, & fraude. Item non recipiant aliquas polizas, aut litteras quascũque, & petitiones, nisi ad banchum iuris publicè, & palàm, vbi liceat omnibus loqui, dicere, & allegare iura sua, ac etiam procedant, & iustitiam ministrent in, & super petitionibus, & querelis coram eis porrigendis, & eas modo aliquo retrahi, nec lacerari permittant. Quæ omnia, & singula Scindicatores prædicti teneantur obseruare, sub pœna xxv. duc. pro quolibet, & qualibet vice, & quolibet casu prædictorũ, & sub virtute præstiti iuramenti, vt supra. Item teneantur dicti officiales scindicandi stare per octo dies continuos personaliter in Ciuitate, & ex inde non discedere durante dicto scindicatu, & cõtra ipsos, eorumq́. officiales, & familiam dari possint, & debeant petitiones, & libelli, etiam per Procuratores specialiter deputatos, infra sextam diem post depositum eorum officium, & post responsionẽ factam inquisitioni generali ipsius scindicatus. Elapsis autem dictis octo diebus, sequenti die ante tertiam per dictos Scindicos condemnari, vel absolui debeant, pœna dictis Scindicis, si non fecerint, vigintiquinque scutorum, Cõmuni Firmi applicañ. & nihilominus dictus officialis habeatur pro absoluto. Notarij verò quilibet Ciuitatis, & comitatus Firmi in matricula descripti ad requisitionem cuiuscunque petere volentis in scindicatu prædicto dare petitiones contra officiales præfatos teneantur, & debeant ipsas petitiones scribere, nec differre, sub pœna cuique recusanti vnius duc. auri pro quolibet, & qualibet vice, recepta tamen competenti mercede pro scriptura. Et à sententia ferenda super scindicatu alicuius officialis non possit, nec valeat appellari, reclamari, vel recursus peti, de nullitate dici, vel opponi, nisi prius facta solutione de eo, quod cõdemnatus fuerit, iuxta formam Breuis fe: re: Pij Quarti, obtenti per Ciuitatem Firmi, hic inferius registrati. Item nullus ex dictis officiali

bus possit petere, vel peti facere, quòd aliquis ipsorum scindicetur infra tempus sui officij: & si Priores prædicti proponerent, vel proponi facerent, cadant in pœnam centum floreñ. auri pro quolibet: & quicquid fieret contra prædicta, non valeat ipso iure. Addentes, quòd in scindicatu prædicto possint Scindicatores procedere summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, diebus feriatis etiam in honorem Dei, omnibus solennitatibus, & substantialitatibus iudiciorum omissis, sola facti veritate seruata, vsque ad sententiam inclusiuè. Et præsens statutũ sit vltimum, & derogatorium omnibus alijs de scindicatu officialiũ forensium loqueñ. contra, vel præter formã huius statuti.

PIVS Papa Quartus Dilectis filijs Prioribus, & Communitati Ciuitatis nostræ Firmanæ.



ILECTI filij salutem, & apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nuper apud nos dilecti filij Oratores vestri ad nos destinati, quòd Officiales, qui pro tempore in Ciuitate vestra Firmana deputantur, cùm per Scindicos iuxtà dictæ Ciuitatis statuta, & consuetudines, prouinciliumq. ac nostrarum constitutionum, & ordinationum formam, & tenorem causam dicere, & suæ administrationis rationem reddere in dies coguntur, videntq. se Iudicum sententijs condemnatos, impunes euadere sperantes, ab huiusmodi Scindicorum sententijs prouocare, & recursum ad Superiores petere consueuerunt, hacq. ratione, & via sententiarum contra ipsos latarum executionem effugiunt, aut impediunt, faciuntq. sæpenumero, vt qui querelam aduersus eos detulerunt, expensis, ac laboribus fatigati recursus, & appellationum huiusmodi causas propter inopiam prosequi nequeuntes, iudicium deserere cogantur, vnde fit, vt scindicatus prædicti impediti impuniti, & Scindicorum sententiæ cõtra illos latæ neglecta, & sine vllo effectu remaneant, magno Ciuitatis vestræ incolarum damno, ac pernicioso exemplo. Cùmq. secundum statuta vestra, & per constitutiones prouinciales à Scindicatorum iuxtà solitum eligendorum sententijs huiusmodi non detur appellatio, nec scindicatis liceat prouocare; quinimmo sententiæ ipsæ, quò officiales præfati certò scientes se breui actorum suorum bene, vel secus gestorum rationem reddituros, metu iudicij iustitiam colentes, officia sua ritè exercere discant, confestim postquàm latæ sunt, omni mora, et dilatione cessantibus, executioni mandari debeant, Nobis humiliter supplicarunt Oratores præfati, vt prauã hanc consuetudinem, & abusum è Ciuitate vestra tollere, ac aliàs statui ipsius in præmissis consulere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, quibus cura est, vt vbique iustitia aqua lance ministretur, felici regimini vestræ Ciuitatis huiusmodi intendentes, Vobis per præsentes committimus, & mandamus, vt de cætero in sententijs Scindicatorum iuxtà solitum eligendorum statuta vestra per Sedem Apostolicam confirmata, ac prouinciales constitutiones ad vnguem obseruari, ac iuxtà illorum formam, & tenorem non permittatis vllius appellationis per scindicatos interposita, aut recursus ab eis petiti prætextu sententias huiusmodi eludi, vel illarum executiones vllo pacto impediri, aut reuocari, sed illas protinus per eosdem Scindicatores pro iustitia iuxtà eorundem statutorum, & constitutionum tenorem exequi procuretis: Prouidentes tamen in primis, vt actor, pro quo sententia lata, & executio facta extiterit, depositum reale, & actuale præstet pro executione statim restituẽda, si per Iudicem, ad quẽ recursus habebitur, aut reuisorem, ita declaratum, ac sententia condennatoria reuocata fuerit, quo casu depositum ipsum eidem officiali sine mora restitui faciatis, quacunque appellatione per actorem interposita non obstante. Et ita fieri volumus, & mandamus, non obstantibus præmissis, ac quibuscunque Apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, necnon legibus Imperialibus, cæterisq. contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxiij. Octobris. 1561. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Cæ: Glorierius.

De scindicatu officialium Castrorum comitatus. *Rubr. xxxij.*

ORdinamus, quòd quicunque de comitatu Firmi in aliquo Castro, vniuersitate, vel villa fuerit officialis, seu Rector, seu aliquod quodcunque administrauerit officium pro Commune Firmi, finito eius officio infra tertiam diem compareat coram iudice iustitiæ, & Regulatoribus Cõmunis: qui Iudex, & Regulatores debeant ipsum scindicare, & ab ipso suæ administrationis rationem exigere, & mittere litteram ad Castrum, vel villam, vbi tale officium gesserit, quòd liceat vnicuique volẽti de tali officio conqueri, vel aliquid ab eo petere propter ibidem gesta, comparere coram eis ad dicendum quicquid volunt: & teneantur contra talem inquirere, & inuestigare de ibidem commissis, & gestis per talem officialẽ in suo officio, seu administratione: & sine strepitu, & figura iudicij dictũ talẽ officialem dicti Iudex, & Regulatores teneantur infra octo dies à die excusationis talis officialis absolue re, vel condemnare: aliàs si non fecerint, habeatur elapsis dictis octo diebus pro absoluto, & liberato

à dicto

à dicto scindicatu. A quorum quidem sententia ferenda super dicto scindicatu non possit appellari, reclamari, vel de nullitate dici, vel aliter querelari, vel restitutio peti. Et de tali scindicatu dicti Regulatores, vel Iudex iustitiæ nihil percipere possint à dicto tali officiali, nisi solum illud, quod consuetum est accipi, & haberi à dictis Regulatoribus, pœna cuilibet contrafacienti xxv. lib. den. pro qualibet vice, & quolibet ipsorum. Et si talis officialis infra dictam tertiam diem post finirum suum officium non comparuerit coram dicto Iudice, & Regulatoribus, vt præfertur, & rationem officij, & suę villicationis nō reddiderit, intelligatur in dicto suo officio deliquisse, & pecunialiter arbitrio dictorum Scindicatorum puniri possit, & debeat, & de cętero omnibus, & singulis officijs, & beneficijs Communis Firmi intelligatur, & sit perpetuò priuatus.

De Bannitoribus Communis, & eorum officio. Rub. 33.

BAnnitores Communis Firmi sint quinque, & plures, & pauciores, prout DD. Priotibus populi, & Confalonerio iustitiæ, & Regulatoribus videbitur expedire. Qui Bannitores habeāt, & habere debeant à Commune Firmi pro eorum salario annuatim salarium consuetum pro quolibet ipsorum, & per Cōmune Firmi indui debeant semel in anno de vno pari pannorū pro quolibet in festo Sanctæ Mariæ de mense Augusti: ita tamen, ꝙ vestimēta eis fienda sint partita ad diuisam Cōmunis Firmi: & non portantes dicta vestimenta departita incidant in pęnā decem bonoñ. pro quo libet, & qualibet die. Qui Bannitores teneātur continuè in dicto eorum officio seruire, vt opus fuerit, pro Cōmune, cū vno equo, siue ronzeno pro quolibet ipsorum in Ciuitate Firmi, & extra in exercitu, vel caualcata, & secundum pacta inita, & conuentiones factas, & fiendas inter dictum Cōmune, & ipsos Bannitores: & si quis ipsorum Bannitorum ronzenum, vel equum nō habuerit, & alia, ad quę tenetur, non obseruauetit, vel eius officium fideliter, sollicitè, & legaliter non exercuerit, nullum salarium recipiat à Cōmune. Et nullus ipsorum vadat extra districtum Firmi pro exercendo officium tubę, vel tubando ad aliquam Curiam, vel corredum, vel aliqua alia causa, sub pœna decem lib. deñ. sine licentia DD. Priotum populi, & Cōfalonerii iustitiæ: & teneantur etiam dicti Bannitores, quotiens eis per Potestatem, vel Capitaneum, vel per Priores, & Confalonerium iustitię iniunctum fuerit, bannire per Ciuitatē, & loca solita, & consueta quicquid per eos eis, vel alicui ipsorū dictū, & commissum fuerit, sub dicta pęna, in qua Potestas, vel Capitaneus debeat eos, vel eum condemnare. Et non possint dicti Bannitores aliquid accipere de aliquo, quē in banno ponerent. Debeant etiā dicti Bānitores, & teneātur cōtinuè horis congruis duo ex eis stare ad Palatiū Cōmunis, & duo ad Palatiū populi; ita ꝙ quādo fuerit opportunū, de eis haberi possit copia, & teneātur vinculo iuramēti, & pęna supradicta, quotiēs aliqua bannimenta facerēt generalia pro Cōmune, bānire alta voce, & sono tubæ præmisso, sine fraude, & malitia aliqua, in locis consuetis: quibus Tubatoribus liceat portare arma quęcunque impunè.

De officio Baliorum Communis Firmi. Rub. 34.

BAlij Communis Firmi eligantur hoc modo: videlicet, ꝙ de qualibet contrata Firmi eligantur duo balij per Consiliarios Ciuitatis suę cōtratæ ad scarfinā, vltra balios, quos Cōmunia Castrorum Cōmunis Firmi debent assignare. Et nullus, qui electus fuerit in Balium, possit dare scambiū, nisi de sua contrata, de qua primus ipse electus fuerit: sed si non inueniretur in contrata, tūc dari possint de alia contrata: & à quolibet balio teneatur Patestas recipere, & recipi facere iuramentum, & idoneum fideiussorem, saltem x. lib. deñ. de operando, & exercendo dictū officium bona fide, & sine fraude, & secundum formam statutorum Cōmunis Firmi. Et si contigerit Balium facere ambasciatam, vel relationem falso modo, puniatur de facto arbitrio Potestatis, vel Capitanei, inspecta qualitate delicti. Et faciant, & sint, & esse debeant eorum caputea, siue bireta rubea cum crucetta alba: & faciant, & portent indumenta departita ad diuisam Communis Firmi, quæ prædicta annuatim in festo Sanctæ Mariæ de mense Augusti eis dentur per Commune Firmi: quæ caputea debeant quotidie portare in capite discooperta, sine aliquo alio signo, vel varietate, pœna cuilibet Balio non portanti dictum caputeum, siue biretum prædicto modo decem libr. deñ. pro qualibet vice, de facto exigendarum. Et in quolibet Castro, & Villa eligatur vnus Balius, qui in ipsis Castris, & Villis possint facere ambasciatas: quibus Balijs Castrorum dentur caputea prędicta, sicut alijs Balijs Ciuitatis, & ipsa portare debeant vt supra, ad dictam pœnam: qui quidem Balij teneantur in citatione per eos fienda ex-

primere coram quo aliquem citant: qui Balij Ciuitatis habeant salarium consuetum. Et omnes Balij possint à specialibus personis, quibus fecerint ambasciatas, recipere in Ciuitate pro ambasciata, quam aliquis ex Balijs prædictis fecerit in seruitium,& ad petitionem alicuius,quando citandus esset præsens, denarios duos; & si non esset præsens, quatuor denarios tantùm: si autem tenutam dederit infra Ciuitatem,denarios duodecim: si extra per vnum miliare propè Ciuitatem, habeat, & recipere possit ab illo, cui tenutam dederit mandato Curiæ, tantùm duos sol. deñ. extra verò dictam Ciuitatem,& vltra dictum miliare,duodecim denarios,& non plus pro quolibet miliari.Et si fecerit aliquam ambasciatam per Villas,& Castra Ciuitatis,habeat, & recipere possit sex denarios tantùm pro quolibet miliari: & si quis contrafecerit in aliquo prædictorum, in decem sol. deñ. de facto vice qualibet puniatur. Et nullus Balius possit esse custos,vel saltarius, vel capere,vel detinere aliquem in persona, vel in rebus,quas extraxerit de Ciuitate contra bannnm,nec possit denunciare aliquem,qui laborauerit diebus festiuis, nec possit aliquod aliud habere officium Ciuitatis Firmi, vel extra, nisi tantùm illud,quod spectat ad officium balij. Et si quis Balius citauerit aliquem, vel fecerit aliquam ambasciatam, quam non retulerit,vel repræsentauerit pro ea die,& hora,qua citauerit, & sibi impositum fuerit,puniatur in decem sol. deñ. pro qualibet vice,& in duobus sol. deñ. illi, cuius fuerit ambasciata: & nihilominus eidem totum damnum,quod ille sustinuerit,reficere teneatur,& eius sacramento credatur, tam de culpa,& defectu balij, quàm de damno, vsque in quantitatem quinque sol. deñ. Et si aliquis Ciuis,vel comitatiuus dictæ Ciuitatis vellent ipsum balium mittere aliò,infra,vel extra Ciuitatem pro aliquo suo facto,in his quæ pertinent ad officium dicti balij ire teneatur, & debeat ad petitionem,& requisitionem dicti mittere volentis: & pro viatico accipere possit dictus balius duodecim deñ. pro quolibet miliari,si fuerit in comitatu, vel districtu Firmi: si verò fuerit extra dictum comitatum, vel districtum, vel extra Prouinciam Marchiæ, accipere possit sol. octo deñ. die qualibet, & non plus, siue pro Commune, siue pro singularibus personis iuerit. Et si aliquid plus receperit, vel ambasciatam facere renunciauerit, Potestas, vel Capitaneus auferre teneatur ei de facto viginti sol. deñ. cuius pœnæ medietas sit Communis, & alia accusatoris. Et nullus Balius à Curia secedat, sed ibi debeat vnusquisque continuè permanere, nisi à Rectore, vel aliquo alio officiale Rectoris licentiam habuerit secedendi. Et qui contrafecerit, in duobus sol. vice qualibet puniatur. Et nullus Balius audeat, vel præsumat aliquam mulierem Firmanam ducere ad Palatium, vel ad aliquam Curiam pro inhonesto seruitio: & si conduxerit, soluat bannum decem libr. deñ. quas si non soluerit, per Ciuitatem publicè fustigetur. Et nulli Balio liceat per Ciuitatem deferre aliqua arma offensoria, vel defensoria,nisi vt alij Ciues Firmani deferunt,cum satisdatione idonea: & teneantur Balij referre ambasciatas iudici,vel notario oretenus, & in scriptis, & non per alium: & sic facta relatio valeat, & aliter non. Et cùm aliqui ponuntur in banno,Balij,qui notificant bannum datum, & quilibet ipsorum accipere possit ab illis,qui ponuntur in banno,pro notificatione fienda de dicto banno pro eorum labore deñ. quatuor pro quolibet exbannito,& vice qualibet:& si fuerit in Ciuitate,in Villis,vel Castris, deñ. duodecim tantùm,& non plures pro quolibet miliari. Et si plures essent illi,quibus bãnum notificaretur in comitatu, inter omnes accipiant dictam quantitatem. Et si quis Balius contrafecerit vltra in accipiendo, puniatur vice qualibet de facto in viginti sol. deñ. & possit à quolibet de prædictis accusari, vel denunciari, & habeat accusator, vel denunciator in singulis capitulis supradictis,& infra dicendis medietatem banni: & eius sacramento credatur, scilicet accusatoris, vel denunciatoris, & denunciator teneatur secretus. Item nullus Balius possit fideiubere pro aliquo occasione alicuius maleficij in aliqua Curia Ciuitatis Firmi:& si contrafecerit, in centum sol. pro quolibet, & qualibet vice puniatur. Et nullus Balius possit,nec debeat in Ciuitate pro aliqua ambasciata in ciuilibus causis ad petitionem alicuius ire sociatus cum alio balio: & si plures balij irent pro vna ambasciata, recipiant inter omnes dictas quantitates, & pro vno tantùm eis soluatur. Item si contigerit aliquem Balium alicui accipere pignus, præsentare debeat illi, ad cuius petitionem acceperit, ea die, qua acceperit, vel Massario pignorum Communis, si Massarius pro Commune Firmi ad prædicta deputaretur, sub pœna quadraginta sol. deñ. pro qualibet vice. Et si pignus acceptum non restitueret illi,cui acceptum fuerit,si sibi dictum,& mandatum fuerit per officialem Communis, de cuius mandato pignus acceperit,ea die, qua sibi mandatum fuerit per dictum officialem, ponatur, & includatur dictus Balius in carceribus, & non relaxetur,donec dictum pignus restituerit,vel eius extimationem: & de extimatione dicti pignoris credatur sacramento illius, cui acceptum fuerit, vsque ad quantitatem decem sol. & etiam de maiori quantitate credatur,arbitrio Potestatis,vel Capitanei,vel alterius

officialis

officialis de hoc cognoscentis, inspecta conditione personæ petentis: & nihilominus dictus balius præ dicta non seruans in viginti sol. deñ. puniatur de facto. Et officialis Communis quando mandaret balio, quòd aliquem, vel aliquos grauet, teneatur, pœna decem libr. deñ. dare cedulam dicto balio in scriptis cum nomine illius, qui grauari deberet: & pignora accepta per balios Communis, quando per Curiam Communis acciperentur, assignentur Massario Communis; qui Massarius eligatur per DD. Priores Populi, & Confalonerium iustitiæ, & Regulatores bonus, & idoneus, prout melius eis videbitur: cuius Massarij officium duret per sex menses; & ipsius finito officio alius eligatur modo prædicto: & qui semel fuerit in dicto officio, non possit esse ad dictum officium vsque ad duos annos: & possit dictus Massarius recipere à quolibet pignorato deñ. octo pro se, & balio: & si plura essent pignora vni accepta ex eadem causa, & eadem die sibi assignata, tantundem recipiat, & non plus. Et dictus Massarius teneatur dare Balio in continenti cùm sibi assignauerit pignus, quatuor deñ. pro quolibet pignore. Et si ab vna persona eadem die plura pignora acciperet, det eidẽ Balio tantùm quatuor deñ. & non vltra. Et dictus Massarius habeat vnum librum pro dicto officio, in quo libro in continẽti cum sibi fuerint pignora assignata, scribat in eo; & cùm restituerit, scribat restitutionem, cum die, qua accepta fuerint, vel restituta, cum nomine illius, cuius essent pignora, & cuius mandato essent accepta. Et Massarius prædictus teneatur ad emendationem pignorum, quæ perderentur, & quæ sibi assignata essent: & quòd sibi assignauerit Balius, stetur relationi balij, si ostenderit scripta manu dicti Massarij de dictis pignoribus sibi assignatis: quam scripturam teneatur dictus Massarius dare cuilibet Balio, qui sibi pignora assignaret, pœna Massario, & Balio contrafacienti in prædictis quadraginta sol. deñ. pro quolibet, & vice qualibet. Si autem aliquis Balius aliquod acceperit pignus ab aliqua persona, pro suo itinere, vel labore teneatur ipsum pignus ponere infra tertiam domum à domo, vbi ipsum pignus acceperit, & palàm, ita quòd perdi non possit: & si perderetur, ipsum restituere teneatur: & si contrafecerit, puniatur in dicta pœna: & de pignore, siue extimatione pignoris credatur sacramento illius, cuius fuerit pignus. Et generaliter omnia, & singula dicti Balij faciant, quæ ad eorum spectant officiũ, bona fide, & sine fraude, & malitia aliqua, & secundum formã huius capituli, & aliorũ huius voluminis loquentium de eorum officio, sub pœna, & banno in dictis capitulis contentis. Et quòd prædicti Balij, vel aliquis ipsorum non possint facere citationes, nisi pro vna die tantùm in vna die: & si fecerint pro pluribus diebus, citatio sit nulla ipso iure, & faciens talem citationem condemnetur in viginti sol. deñ. vice qualibet: & possit à quolibet accusari, & denunciari, vt supra. Quibus Balijs fiat solutio, & eis soluatur pro eorum salario secundum formam hactenus obseruatam.

De officio custodis carcerum. Rub. 35.

DOmini Priores, & Vexillifer iustitiæ vnà cum Regulatoribus de mense Decembris disponant, & prouideant de vno Ciue Firmano bono, & idoneo, qui sit custos carcerum, & carceratorũ: & eius officium incipiat in Kal. Ianuarij, & duret vno anno. Qui Priores factis publicè subhastationibus per Ciuitatem de volentibus custodire dictum carcerem, & carceratos cum pactis dictis, disponant, & prouideant de dicto custode, seu superstite pro eorum libito voluntatis, receptis à tali custode, seu superstite idoneis fideiussoribus Ciuibus Firmanis de mille florenis auri ad minus de custodiendo dictum carcerem, & carceratos cum summa diligentia, & de repræsentando Rectoribus carceratos, & de conseruãdo indemnes Rectores, Fiscum, & priuatas personas de dictis carceribus: qui custos pro quolibet carcerato recipere, & habere possit, & debeat pro introitu quatuor sol. & pro exitu tantundẽ, & pro qualibet die cum nocte sol. duos. Et vltra dictas quantitates directè, vel indirectè nihil possit recipere, sub pœna vigintiquinque lib. deñ. pro qualibet vice, qua contrafecerit, de facto sibi auferenda. Et nihilominus id, quod vltra dictam quantitatem acceperit, cum triplo restituere de facto compellatur. Et teneatur dictus custos ad petitionem cuiuslibet Rectoris, seu officialis Communis Firmi recipere, & custodire in dictis carceribus omnes, & singulas personas ei pro alicuius eorum parte præsentatas, & nemini dare præter, vel contra voluntatem dicti Rectoris, ad cuius petitionem assignatus est dictus carceratus; nec etiam relaxare sine dicti Rectoris, vel officialis expressa licentia. Et faciat, & facere teneatur dictus custos vnum librum, in quo libro nomen, & pronomen cuiuslibet carcerati scribat, vel scribi faciat, & causam quare detinetur, & ad cuius petitionem assignatus est, & diem præsentationis, & relaxationis cuiuslibet carcerati. Quòd si dictus custos aliter quàm dictum est aliquem carceratum relaxauerit, seu aliquis carceratus de sibi in carceribus commissis euaserit,

ſeu aufugerit, realiter, & perſonaliter Rectoris arbitrio de facto puniatur, & ſine aliquo proceſſu, facti qualitate, & quantitate, pro qua erat poſitus in carceribus, penſata, & conſiderata: & ſemper ad reſtitutionem damni, quod inde alicui intulerit, cum duplo de facto reſtituere compellatur.

De picturis in ianuis faciendis. *Rubr. 36.*

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd Poteſtas, qui pro tempore fuerit, teneatur, & debeat vinculo iuramenti, depingi facere in qualibet ianua Ciuitatis, vbi non eſſent, expenſis Communis Firmi arma Sanctæ Matris Eccleſiæ, Domini Noſtri Papæ, & Commumis Firmi.

De deueto officialium comitatus. *Rubr. 37.*

QVisquis pro Commune Firmi in aliquo Caſtro, vel fortillitia, vel Roccha comitatus Firmi fuerit in aliquo officio principaliter, vel cum alio, finito tali officio non poſſit in eodem Caſtro, fortillitia, vel Roccha principaliter, vel cum alio eſſe pro dicto Communi in aliquo officio, ſeu adminiſtratione, vel cuſtodia ſtare, vel eſſe, ſeu eligi infra ſex menſes à die finiti officij numerandos. Si quis autem contrafecerit, pœnam quinquaginta lib. deñ. ipſo facto incurrat: & nihilominus non poſſit eſſe in officio, vel adminiſtratione præmiſſa. Item non poſſit in aliquo Caſtro, vel Roccha, ſeu fortillitia comitatus pro Communi ſtare, vel eſſe vltra ſex menſes in aliquo officio, nec etiam ibi refirmari, ſeu tempus prædictum prorogari ſine ſpeciali prouiſione Concilij generalis dictæ Ciuitatis, pœna quinquaginta libr. deñ. cuilibet contrafacienti auferenda de facto: & nihilominus in officio præfato non poſſit eſſe: & hoc locum habeat ad præſentia, præterita, & futura. Item ordinamus, quòd nullus oriundus, vel continuus habitator alicuius Caſtri comitatus Firmi poſſit ſtare, vel eſſe principaliter, vel cum alio in aliquo officio in aliquo Caſtro dicti comitatus propinquo Caſtro ſuæ originis, vel habitationis per decem miliaria, vel infra; nec etiam in Caſtro ſuæ habitationis, vel originis, pœna vigintiquinque libr. deñ. & nihilominus officium non valeat exercere, & facta, & acta per eum non teneant ipſo iure.

De deueto officialium in Ciuitate, & concurſu officiorum. *Rubr. 38.*

VT ad plurium perſonas officia extendantur, ſtatuimus, quòd qui fuerit in officio Prioratus, vel Vexilliferatus iuſtitiæ, vel notariatus dicti prioratus, nõ poſſit eſſe ad idem officium prioratus, vel vexilliferatus, vel notariatus per modum extractionis de capſettis, vel alium modum, ſiue electionem infra ſex menſes à die depoſiti talis officij numerandos. Si quis verò fuerit ad aliquod aliud officium, poſſit ad aliud deputari, maximè ſi ſine ſalario ad aliud officium nominaretur, ſi DD. Prioribus, & Confalonerio videatur, dummodo quòd viciſſim, & ſimul à Commune plura, & diuerſa officia cum ſalario habere non poſſit. Qui verò extractus fuerit Prior, vel Vexillifer, ſi extraheretur Bancherius, vel Regulator, vel alius officialis Cõmunis, in quocunque alio officio non poſſit exercere, niſi officium prioratus, ſeu vexilliferatus iuſtitiæ: & ſi ad aliud extractus fuerit, remittatur in burſa. Et ſi prius fuiſſet ad aliud officium extractus, & poſtea extraheretur Prior, vel Vexillifer, tunc omne aliud officium dimittat, & exerceat officium prioratus, vel vexilliferatus, & primum officium dimittat, & in burſa vnde extractus fuerit reponatur. Item qui fuerit ad officium prioratus, vel vexilliferatus iuſtitiæ, non poſſit ipſe, pater, filius, vel frater carnalis eius eſſe ad dictum officium infra ſex menſes à die depoſiti officij numerandos. Item volumus, quòd qui fuerit in officio prioratus, vel vexilliferatus, non poſſit eſſe in dicto officio, nec in officio bancheriatus, vel Regulatorum, vel notariatus eorum inde ad ſex menſes. Item qui fuerit in officio Regulatorum, vel Notarij Regulatorum, non poſſit eſſe Bancherius, vel Notarius Bancherij inde ad ſex menſes: & qui fuerit Bancherius, vel Notarius Bancherij, non poſſit eſſe in officio Regulatorum infra dictum tempus ſex menſium; & qui contrafecerit, condemnetur in centum lib. deñ. Communi Firmi applicandis.



Quòd

Quòd nullus præsumat trahere Ciues, vel districtuales extra forum Ciuitatis Firmi. *Rub. 39.*

SI quis principaliter, vel aliter quomodocunque aliquem Ciuem, vel comitatiuum, vel districtualem, siue habitatorem Firmanum, vel alium quemcunque de re, vel super re subiecta, & supposita iurisdictioni Cõmunis Firmi extra forum Ciuitatis Firmi occasione alicuius causæ, seu litis, vel negotij ciuilis, vel criminalis, vel misti, vel alterius quocunque iure, vel nomine censeatur, per se, vel alium suo nomine, vel mandato, siue per se, siue etiam alterius nomine procuratorio, vel alio quocunque fine expręssa licentia DD. Priorum populi, & Confalonerij iustitiæ Ciuitatis Firmi cum Cernita quatuor bonorum hominum per contratam quomodolibet traxerit, seu trahere attentauerit, siue conatus fuerit quomodocunque directè, vel per obliquum, ipso facto pœnam quingentarum lib. deñ. incurrat pro qualibet vice, & causa prædicta retraharur ad Curiam Cõmunis Firmi: & nihilominus ipso facto cadat ab omni suo iure contrafaciens: & contra omnes, & singulos hoc cõmittentes, vt præfertur, quilibet Rector Ciuitatis Firmi habeat liberum arbitrium procedendi, inquirendi, cognoscendi, puniendi, & condemnandi in dicta pœna, omni solennitate, & substantialitate statutorum, & iuris omissa, & non seruata, etiam de facto, sine scriptura aliqua, vel processu.

Quòd nullus Firmanus, vel districtualis audeat ire ad stipendiũ, vel prouisionẽ alicuius sine licẽtia. Ru. 40.

NVllus Ciuis, vel comitatiuus, vel districtualis Firmanus, siue habitator Ciuitatis, vel comitatus Firmi, cuiuscũque status, vel cõditionis existat, audeat, vel præsumat quoquo modo ire, vel stare ad stipendium, prouisionem, vel seruitium in modum armigerum in aliqua terra, vel loco cum Cõmunitate, vel domino, seu nobili, cuiuscunque status, vel conditionis existat, qui, vel quæ esset propè Ciuitatem Firmi per quinquaginta miliaria, vel infra, sine expressa licentia DD. Priorum populi, & Vexilliferi iustitiæ Ciuitatis Firmi. Si quis autẽ contrafecerit quoquo modo directè, vel indirectè, realiter, & personaliter, coniunctim, & diuisim Rectoris arbitrio puniatur.

De fortillitijs de nouo non construendis, & de destructis non reficiendis. *Rub. 41.*

STatuimus, & ordinamus, ꝙ nulla Cõmunitas, vel priuata persona, cuiuscunque status, vel cõditionis existat, audeat, vel præsumat quoquo modo de nouo construere, ædificare, vel reficere aliquam fortillitiã, Roccham, vel Castrum in territorio Ciuitatis, vel districtus Firmi, sine expræssa licentia Concilij generalis Ciuitatis Firmi, pœna æris, & personæ: & nihilominus quicquid secus, vel contra factum fuerit, de facto destrui debeat omnino expensis facientis contra prędicta, vel aliquod prædictorum.

De officio Ambasciatorum Communis Firmi. *Rub. 42.*

STatuimus, & ordinamus, ꝙ quilibet Orator, siue Ambasciator eligendus in qualibet legatione, siue ambasciata pro Cõmuni portet sua mandata, siue suam ambasciatam sub sigillo Communis scriptam: & scripta remaneat in actis Communis Firmi. Et non liceat alicui de Ambasciatoribus dicere vltra ambasciatam sibi impositam, vel vltra ea, quę pertinẽt principaliter ad ipsam ambasciatam: & si contrafecerit talis ambasciator, condemnetur in centum lib. deñ. & perpetuò sit priuatus ambasciaria Communis Firmi. Et ille, vel illi eligantur pro Ambasciatoribus, qui sunt meliores, & vtiliores pro Communi, ad voluntatem DD. Priorum, & Confalonerij, vel maioris partis ipsorum: cassatis, & annullaris capitulis, quæ cõtrarium loquerentur. Et in calce, seu in pede litterarũ, quas portabit pro ambasciata sibi imposita, scribatur, ꝙ dominus, vel terra, ad quam mittitur, nõ credat ambasciatori, nisi quę scripta sunt in dictis libris sub dictis sigillis. Et talis ambasciator electus non possit renunciare dictam ambasciatam, nisi probauerit per medicum, vel per vnum testem, se esse infirmum. Et Potestas, & Capitaneus cogat talem Ambasciatorem ipsam ambasciatam perficere, per bãnorum, siue mulctarum impositionem, vel aliam quamcunque viam, prout eis videbitur expedire. Item volumus, ꝙ Ambasciator Cõmunis Firmi, qui faceret ambasciatam quantumcunque infra cõmitatũ Firmi, siue reuertatur ea die, siue non, habeat à Cõmune pro expensis, & victu eorum pro quolibet equo xx. sol. deñ. qualibet die. Si verò extra comitatum faceret ambasciatam, pro expensis, & victu vnius equi cum vno famulo pro qualibet die xxxx. sol. deñ. Si plures equos duxerit, pro quolibet equo, quem duxerit, medium flor. auri pro qualibet die, & non plus, dummodo nullus Ambasciator possit ducere vltra tres equos. Si verò aliquis Ambasciator mitteretur per dictum Commune ad Curiam

Romanam, Imperatoris, vel Regis, habeat pro qualibet die pro suo salario, & expensis pro quolibet equo medium flor. auri: dũmodo nullus Ambasciator possit ducere vltra quatuor equos expensis Cõmunis. Et iurent Ambasciatores antequàm vadant pro dictis ambasciatis, ꝙ non intromittent se facere, nec facient aliquas ambasciatas, nisi quę eis commissę fuerint pro parte Communis Firmi: & qui contrafecerit, puniatur vt in præsenti capitulo dictum est, & nihil pro ambasciata ipsa habeat à Commune. Et constringantur Ambasciatores facere vt dictum est, nisi habuerint excusatioñẽ, vt in supra dicto capitulo præsenti continetur, vel nisi probauerint legitimam causam suspitionis personę occasione inimicitiæ specialis: quibus causis probatis, vt cõtinetur superius, nullus, qui prædictam excusationem habuerit, ire cogatur inuitus. Et ꝙ DD. Priores populi teneantur facere describere diem, quo fuerit Ambasciator, & quo retulerit, in vno quaterno: & scribatur per notarium ipsorum, aut per notarium Bancherij: & Ambasciator teneatur se facere scribi per dictum notarium, alioquin aliquid de ambasciata non habeat. Et teneatur Bancherius satisfacere prædictis Ambasciatoribus de prædictis salarijs sibi constitutis ad voluntatem ipsorum, & illorum, à quibus conduxerit equos, secundũ ꝙ dictum est: & si solutum non fuerit eis, non cogantur ire in ambasciatam ipsi Ambasciatores, & periculum equorum, dum essent in ambasciata prædicta, Communi subiaceat. Item, quòd nullus possit compelli ad dandum, vel locandum alicui suum equum, siue ronzenũ ad vecturam, nisi consueuerit locare ipsum ad vecturam. Et si aliquis Ambasciator, qui sit de militibus Communis, steterit in ambasciata Communis tempore quo Commune Firmi, vel omnes milites Cummunis Firmi, vel milites contratę ipsius, de qua esset ambasciator, starent in exercitu, vel alio seruitio Communis Firmi sine aliquibus stipendijs, nihil debeat ambasciator huiusmodi à Commune recipere à tempore supradicto, quo prædicti steterint in seruitio supradicto. Et nullus Firmanus cogatur aliquam ambasciatam facere expẽsis proprijs, sed tantùm expensis Communis. Et quicunque ambasciator iuerit in aliquam ambasciatam Communis, & voluerit reassignare Communi aliquem equum vitiatum, vel deuastarum, vel magagnatum in dicta ambasciata, illum debeat reassignare Communi illa die, qua reuertetur de illa ambasciata, vel sequenti die: & si nõ reassignauerit infra dictum terminum, à Commune non recipiatur, nec de ipso equo habere possit extimationem. Nec aliquis Ambasciator possit, vel debeat reassignare Communi Firmi aliquem equum ductum per ipsum Ambasciatorem Cummunis, qui defecisset propter senectutem, marcitudinem, vel debilitatem ipsius equi: sed si sua culpa fuerit magagnatus, & si reassignauerit, non recipiatur pro Commune.

Quòd Potestas, & Capitaneus, & alij officiales Communis non vadant pro ambasciatis. *Rub. 43.*

ITem statuimus, & ordinamus, quòd Potestas, Capitaneus, vel quiuis alius officialis Communis Firmi, qui pro tẽpore fuerit, seu ipsorũ, vel alicuius ipsorũ officialis, vel familiares nullo modo possint, vel debeant vinculo iuramenti, & pęna centum lib. deñ. de eorum salario pro qualibet vice, qua cõtrafecerint, ire in ambasciatã Cõmunis Firmi, nisi quãdo oporteret ipsos, vel aliquem ipsorum ire ad videndum Castra, & quando oporteret ipsos ire ad Curiam D. Marchionis pro generali parlamento. Quibus casibus habeat quilibet ipsorum illud salariũ, quod videtur DD. Prioribus, Confalonerio iustitiæ, & Cõcilio generali, & cum illo numero equorum, quem ipsis DD. Prioribus, Confalonerio, & Concilio videbitur conuenire: dũmodo non possit habere vltra xx. sol. deñ. pro quolibet equo, quem duxerit qualibet die. Et nullus debeat ipsis, vel alicui ipsorum commodare equum aliquem Cõmunis aliquo modo, vel causa: & qui contrafecerit, puniatur in x. lib. deñ. & possit à quolibet accusari, & denunciari vsque ad duos annos; & accusator, & denunciator teneatur secretus; & ipse Potestas, & Capitaneus, qui receperit equũ, teneatur in tantundem. Quod statutũ non possit cassari, vel eidem in aliquo derogari: & Notarius reformationum, & Cancellarius vinculo sacramẽti, & pœna xxv. lib. deñ. de suo salario non possit, vel debeat vllo modo facere, vel scribere aliquã propositam de prædictis: saluo si necesse fuerit Potestatem, vel Capitaneum ex reformatione Concilij ire in exercitum, vel caualcatam, quòd liceat eis pro quolibet equo, vel mulo, quem duxerit vltra numerum equorum, quos tenere debeat ex forma suæ electionis in seruitium Cõmunis in exercitu, vel caualcata prædicta, debeat habere à Commune xx. sol. deñ. pro quolibet die: dummodo Potestas vltra x. & Capitaneus vltra quinque ducere non possit, sub dicta pœna. Et quòd nullus officialis Cõmunis Firmi, nec aliquis alius forensis possit ire per districtum Firmi ad faciendum aliquas executiones pro aliquibus affectibus, datijs, vel alijs quibuscunque causis, excepto quòd pro exequendo condemnationes: & tunc accedere possit sine aliquo alio salario, vel mercede eis dando vltra salarium eis concessum

sum ratione sui officij, vel per formam alicuius statuti Firmi. Et quòd executiones quæcunque occurrerent fiendæ per districtum Firmi quacunque de causa, exceptis condemnationibus, fiant per Ciues Firmanos tantùm, & non per alios. Qui executores eligantur, & deputentur per DD. Priores populi, & Confalonerium iustitiæ de Ciuibus tantùm: & vadant cum litteris dictorum DD. Priorum populi, & Confalonerij iustitiæ, vt consuetum est: & habeat quilibet executor die qualibet, qua pernoctauerit, pro dicta executione xx. sol. deñ. & non vltra, computata die accessus, & reditus ad Ciuitatem Firmi, pœna cuilibet eunti, & etiam mittenti, vel facienti contra dictam formam decem libr. deñ. pro quolibet, & qualibet vice: & Scindici Castrorum non debeant euntibus vltra, vel contra dictam formam obedire, nec aliquid eis dare, vel soluere, sub dicta pœna.

De recipientibus honorem militiæ. Rubr. 44.

SI quis Ciuis Firmanus habitator Ciuitatis Firmi voluerit recipere honorem, & dignitatem cauallariæ, & militiæ in Ciuitate Firmi, habere debeat à Commune dictæ Ciuitatis Firmi centum lib. deñ. de hauere, & pecunia dicti Communis, & per Commune dictæ Ciuitatis die qua dictam dignitatem, & honorem assumpserit, ei penitus dentur, numerentur, & assignentur.

De venditionibus factis de bonis exbannitorum. Rubr. 45.

OMnes, & singulæ venditiones, & alienationes, & cessiones factæ, & quæ in futurum fierent per Scindicos Communis Firmi de bonis exbannitorum, vel condemnatorum Communis Firmi, vel fideiussorum eorum, vel de alijs bonis Communis, valeant, & teneant, & perpetuam obtineāt firmitatē, & per Cōmune Firmi prçcisè, & inuiolabiliter debeāt obseruari: & teneatur dictū Cōe defensare tales venditiones, & alienationes, defendēdo emptores contra quoscūque molestātes: saluo semper iure aliorū prætendentiū ius aliquod in bonis prędictis, & saluo iure pretij: & pretiū pet Cōe restitui debeat emptoribus, quādo bona prędicta vēdita de iure auocarētur à dictis emptoribus.

De officio Notarij Potestatis, qui debeat stare in Portu. Rub. 46.

NOtarius Potestatis, qui stare debet in Portu Sancti Georgij secundum formam electionis Potestatis, teneatur, & debeat capere, & capi facere omnes, & singulos committentes, & facientes aliquod maleficium, cuiuscunque generis sit, ipsosq́. mittere debeat sub fida custodia ad ipsum D. Potestatem, & Curiā Firmanam, & rimari, & rimari facere omnes, & singulos terrigenas, & forenses arma defensibilia, & offensibilia portantes in dicto Portu contra formā statuti; ita quòd si aliqui Ciues ad dictum Portū de Ciuitate, vel vndecunque venerint, statim teneantur, & debeant deponere arma, quę portarent, in fundico Communis Firmi, vel in hospitio suo, sub pœna in statuto contenta: & statim ꝙ forenses intrant hospitiū, hospitator dicere debeat forensi, ꝙ arma non deferat, cùm bannum sit de ipsis: quod si non fecerit, patiatur pœnam, quam pati deberet forensis, & forensis non teneatur ad pœnam prædictam contentam in statutis Communis Firmi: & dictus Vicarius statim mittat hospitatorem ad Potestatem, qui non prædixit forensi portationē armorum prohibitam esse. Qui Vicarius teneatur gubernare omnes palangas, & vasa, & arnisia Communis Firmi, & ea per inuentarium accipere, & reddere Scindico Communis Firmi: & si contrafecerit, puniatur in x. lib. deñ. vice qualibet. Et homines dicti Portus teneantur, & debeant eidem obedire in omnibus, quæ ad ipsius spectant officium. Et si dictus notarius in dicto officio aliquam fraudem, vel negligentiam commiserit, statim à dicto officio repellatur. Et teneatur dictus Vicarius, sub dicta pęna, facere, & fieri facere custodiam de nocte per homines dicti Portus; ita ꝙ aliquid damnum, vel furtum in aliqua domo ipsius Portus non accidat: dummodo ad dictam custodiam viduæ, pupilli, & senes maiores septuaginta annorū, & miserabiles personæ non ponātur: & dummodo non præiudicet dictum officium illis, qui emerunt, & in posterum ement gabellam prædictam.

Quòd Potestas, vel Capitaneus, vel eorum officialis teneatur, quotiens opus fuerit, ire extra Ciuitatem eorum expensis. Rub. 47.

QVotiens contigerit, & necesse fuerit, Potestatem, Capitaneum, vel aliquem eorum, vel cuiusque ipsorum iudicem militem, vel alium officialem forensem Communis Firmi ire ad aliquē locum pro aliqua quæstione terminanda, aut aliàs pro eius officio exercendo; ipsi, & quilibet ipsorum, qui necessarius fuerit ad prædicta, ire penitus teneatur, quotiens opus fuerit, sine salario, cū

equis ipsorum Potestatis, vel Capitanei. Et si contrafecerint, quilibet ipsorum, qui contrafecerit, in xxv. lib. deñ. vice qualibet de suo salario puniatur. Et ꝙ Bancherius Communis Firmi pœnam reseruare teneatur de salario ipsius officialis: & si non reseruauerit ipse Bancherius, de suo proprio Communi soluere teneatur. Et ꝙ Regulatores Communis non debeant, sub dicta pęna, dictis Rectoribus, vel alicui ipsorum de prædictis, vel aliquo prædictorum bullam bullare; & si bullauerint, ipsa bulla nõ valeat. Et nullus officialis, familiaris, vel berroarius prædictorum, vel aliquis ipsorum possit, sub dicta pœna, accipere, vel recipere aliquã pecuniam, vel aliquas res ab aliqua speciali persona pro custodia aliqua, vel executione, vel pro aliqua alia causa, occasione alicuius officij, sub pœna prædicta pro quolibet, & qualibet vice. Et Potestas, & Capitaneus, & ipsorum quilibet alius officialis Cõmunis in suo officio teneatur, & debeat vinculo sacramenti, & pœna prædicta obseruare, & obseruari facere per eorum officiales, familiares, & berroarios omnia, & singula in prædicto statuto contenta.

De Castellanis non recipiendis in districtu Firmi. *Rub. 48.*

VOlumus, & ordinamus, ꝙ nullum Castrum, vel villa audeat, vel præsumat aliquem recipere in Castellanum Castri, vel villę, nec facere aliquam exemptionem alicui sine expressa licentia DD. Priorum populi, & Confalonerij iustitiæ in scriptis danda. Et Castrum, & vniuersitas, quæ contrafecerit, puniatur pro qualibet vice in lib. quinquaginta deñ. Et Potestas teneatur hoc capitulum notificare hominibus de Castris, & villis comitatus, & districtus Firmi.

Quòd omnes de Castris, & villis Communis Firmi pro ciuibus habeantur. *Rub. 49.*

ITem statuimus, & ordinamus, quòd omnes de Castris, & villis Communis Firmi habitantes in Castris, & villis prædictis, quæ Castra, & villæ soluunt, & præstant obsequia realia, & personalia in Communi Firmi, pro Firmanis Ciuibus defendantur, sicut Ciues Firmani, & sint, & habeantur in omnibus, & per omnia in ciues. Non propterea per hoc statutum intendimus præiudicare beneficio eis concesso per aliud statutum positum in pręsenti volumine de dimidiatione pœnæ in delictis per comitatiuos commissis. Qui verò non præstant obsequia realia, & personalia, & non pręstiterint à quinque annis citra Communi Firmi, & non essent descripti in libro fumantium Communis Firmi, non habeantur, nec pro Ciuibus defensentur, nec gaudeant aliquo priuilegio Ciuium. Excipimus tamen habentes iustas, & legitimas immunitates, & pacta à Commune Firmi, & à DD. Prioribus, & Vexillifero iustitiæ dictæ Ciuitatis.

De salario notarij, & baliorum à Scindicis Castrorum, & villarum non recipiendo. *Rub. 50.*

ITem statuimus, & otdinamus, quòd notarius Potestatis, qui pro tempore fuerit, ad recipiendum, & scribendum Scindicos Castrorum, & villarum, qui diriguntur pro eorum castris, & villis, teneantur, & debeant, pœna x. lib. deñ. eorũ nomina, & introductiones, siue productiones scindicatuum sine aliquo salario scribere, & mandare eis, quòd denuncient maleficia, & alia faciant, vt tenẽtur. Item quòd balij, qui citarent dictos Scindicos, vel aliquos alios de Castris, & villis quacunque occasione, modo, vel causa, nullo modo possint, nec debeant pro eorũ labore accipere ab eis vltra quàm per formam statutorum eis concederetur. Et balius, qui contrafecerit, in xx. sol. deñ. irremissibiliter condemnetur: & de hoc credatur sacramento illius, à quo vltra acceperit.

De libertate concessa venientibus ad docendum, vel studendum ad Ciuitatem Firmi. *Rub. 51.*

VEnire volentes ad Ciuitatem Firmi ad studendum, vel docendum aliquam scientiam, vel ad exercitium faciendum alicuius artis, liberè, & securè veniant cum eorum rebus, familia, & personis, non obstantibus repræsalijs quibuscunque concessis, vel in futurum concedendis.

Vt Ciues, à quibus Commune Firmi non habet obsequium, nõ defendantur pro Ciuibus. *Rub. 52.*

ITem statuimus, & ordinamus, quòd Ciues, & alij habitatores Ciuitatis, à quibus Commune Firmi non recipit obsequia realia, & personalia, siue mista, nõ defendantur pro Ciuibus, nec gaudeant beneficio alicuius statuti huius Ciuitatis. Quod quidem statutum non intelligatur, nec extendatur ad illos, qui habent à Commune Firmi priuilegia, immunitates, & exemptiones reales, & personales, vel mistas, vel aliquam ipsarum.

Quòd notarij Potestatis, Capitanei, vel Iudicis iustitiæ, vel alterius officialis forensis, non possint publicare instrumenta. *Rub. 53.*

NOtarij Potestatis, Capitanei, iudicis iustitiæ, vel alterius cuiuscunque officialis forensis non audeant, vel præsumant scribere, vel publicare aliquem contractum, vel aliqua acta ciuilia, vel statuta, vnde possint mercedem aliquam recipere, vel percipere à partibus, vel specialibus personis, nisi tantùm acta, ad quæ fuerint per suum Rectorem deputati, & sine salarij perceptione. Et si contrafecerint, non valeant acta, vel alij contractus ipso iure, & incurrant pœnam x. lib. deñ. pro quolibet, & qualibet vice. Item nullus notarius, vel officialis ex prædictis audeat, vel præsumat se rogare, vel publicare aliquod testamentum, codicillos, donationem causa mortis, vel aliam vltimam voluntatem, sub pœna centum sol. deñ. Sed dictus D. Potestas, Capitaneus, vel Iudex iustitiæ, & eorum officiales teneantur, & debeant, ad petitionem, & voluntatem cuiuscunque, quem in eorum fortiã detinerent, qui condemnari deberet ad vltimum supplicium, vocare, & duci facere ad talem sic detentum, vnum, vel duos ex notarijs Ciuitatis ad scribendum vltimam suam voluntatem, si eam facere vo luerit, pęna Potestati, Capitaneo, vel Iudici iustitiæ, si in prędictis negligens fuerit, ducentarũ lib. deñ.

Quòd Potestas teneatur obseruare franchitiam venientibus ad habitandum in Ciuitatem. *Rub. 54.*

QVicunque forensis ab hodierna die in antea venerit ad habitandum in Ciuitate Firmi, & cipta dinantiam, & perpetuam habitationem Ciuitatis eiusdem iurauerit, & se, & sua submittere voluerit iurisdictioni Ciuitatis Firmi, & facere acquistum in Ciuitate secundum posse suum infra quatuor menses à die receptionis, ille, vel illi, vndecunque fuerint, recipiantur in Ciues, & concedatur eis priuilegium franchitiæ decem annorum secundum formam statuti, vel reformationis Ciuitatis Firmi. Et si ille, vel illi, cui, vel quibus priuilegium franchitiæ concessum fuerit, acquistum non fecerit infra dictum tempus quatuor mensium, priuilegium, siue immunitas sibi concessum in aliquo sibi non prosit, capitulo, siue priuilegio aliquo nõ obstante: & teneatur soluere fumantiam pro rata secundum facultatem rerum suarum, & impositionem fumantiæ pro tempore factam, & fiendam. Et ille, qui veniet ad habitandum in Ciuitatem Firmanam, & priuilegium franchitiæ habuerit, & in Ciuem receptus fuerit, etiam si fuerit filius familias, in omnibus, & per omnia habeatur, tractetur, & reputetur in contractibus, iudicijs, causis ciuilibus, & criminalibus, in agendo, & defendendo, in dispo nendo, & ordinando bona sua, & omnia exercendo, vt quilibet pater familias, non obstante sua patria potestate. Et si quis prędictorum fecerit acquistum in fraudem de re aliqua, quam venditor possideat, & non ille, qui ostendit se acquisiuisse, præsumatur acquistum factum fuisse in fraudem, & puniatur venditor in decem libr. deñ. cuius banni medietas sit accusatoris, vel denunciatoris. Et si sic receptus fecerit acquistum, vt præmittitur, sit immunis, & exens ab omnibus obsequijs realibus, & personalibus, vsque ad dictum tempus decem annorum: excepto exercitu, & salario Potestatis, in quibus non sit, nec esse debeat immunis: ab alijs verò omnibus sit exemptus. Et si officialis sibi aliquid iniungeret, vel mandaret, & ipsum grauaret in aliquibus alijs obsequijs, non teneatur parere mandatis officialis: & officialis contrafaciens puniatur tempore scindicatus in decem lib. deñ. Et in Concilio generali Ciuitatis Firmi ordinetur Scindicus, qui recipiat prædictum in Ciuem: & notarius, siue cancellarius inde rogetur, & recipiat promissiones, & stipulationes ab eo. Volumus etiam, quòd si prædicti, qui reciperentur in Ciues, vel aliquis ipsorum acciperet vxorem in Ciuitate Firmi, vel comitatu, & ex dicta sua vxore aliquod podere sibi adueniret, quòd de dicto podere vxoris teneatur appretium soluere, non obstante sua immunitate. Et idem dicimus, quòd si sibi ex testamento, vel ab intestato propter mortem alicuius aliquid obueniret, quòd de peruentis dicta occasione teneatur appretium Communi soluere, quemadmodum si exemptus, & immunis non esset. Item dicimus, quòd dictus talis, qui receptus esset in Ciuem, teneatur, & debeat acquistum, quod fecerit, scribi facere in libro appretiorum Communis Firmi in contrata, in qua habitauerit, cum nomine suo, sicut sunt alij Ciues scripti; ita quòd euidenter appareat de acquisto, & possessionibus suis, vt fraus committi non possit: quòd si secus fecerit, priuilegio, & immunitate, & exemptione prædicta priuetur.



De immunitate concedenda hominibus venientibus, & habitare volentibus per terras, & possessiones extimatas hominibus Ciuitatis Firmi. Rubr. 55.

OMnes, qui ab hodie in antea, vndecunque fuerint, extra Ciuitatem, & comitatum Firmi venerint ad habitandũ, & habitationem, & perpetuam residentiam cum tota eorum familia, si eã habuerint, faciendam in, & super possessionem alicuius Ciuis Ciuitatis Firmi, quæ possessio esset extimata, & in libro appretiorum Communis Firmi descripta, & apposita, & ex ea appretium soluatur Communi Firmi, & posita esset infra has senaitas, videlicet à triuio de spirnachia directè vsque ad flumen Tennæ, & vsque ad varchum Tosiani de Tenna vsque in flumen, & directè à dicto triuio spirnachiæ citra à Sancto Ioanne de Busio, & Sancto Cypriano citra versus Ciuitatem, & Mõtem Rosarium, & collem Brunetti, & à Monte Sancti Martini, & Monte Morino vsque ad flumen Tennę, & vsque in mari, & per stratam maris, & à Castro Gruptarum Azolinę citra versus Ciuitatem, & à Sancta Polinaria, seu Sancto Bartholomeo de Ponzino citra, & à Castro Rapagnani citra versus Ciuitatem vbicunque infra, seu intra dicta loca, & confinia, vel aliquod eorum versus Ciuitatem, & Burgos Ciuitatis à dictis locis citra, vel in aliquo eorum si sint appretiata, vt supra, nullum obsequiũ reale, personale, nec appretium, vel fumantem pręstent Communi Firmi, sed sint liberi, & exempti ab omnibus, & singulis supradictis, cuiuscunque generis sint, vel esse possent. Et ꝙ Potestas, vel Capitaneus, vel eorum familiares, vel aliquis alius officialis Communis Firmi ad præstationem aliquorum obsequiorum nullo modo prædictos, vel aliquem ipsorum molestent, vel grauent, pœna centum flor. auri de eorum salario, & vinculo iuramenti; sed ipsos, & eorum bona, & familiam defensare teneantur. Et si aliquod damnum illatum fuerit dictis venientibus per aliquos exbannitos, vel alios quoscũque, & nesciretur de nominibus ipsorum damnum dantium, dictum damnum eis debeat emẽdari per Commune Firmi: & de extimatione damni stetur dicto damnum passi vsque ad quantitatem xx. sol. deñ. cum iuramento, & ab inde supra vsque ad centum stetur dicto suo cum vno teste, & cum iuramento, & ab inde supra cum probatione duorum, vel trium testium fidedignorum; ita tamen, quòd si damnũ datum eis, vel alicui ipsorum fuerit per exbannitos Communis Firmi, qui haberent patres, vel carnales fratres, vel filios, ꝙ ipsi patres, fratres, & filij teneantur ad emendam prædictam, & non Cõmune. Et Potestas teneatur, & debeat ipsos constringere ad emendã realiter, & personaliter cũ effectu. Itẽ si quis interfecerit aliquã bestiã, vel pullos, anseres, & similia in domibus habitationis prædictorũ venientiũ, vel alicuius ipsorũ, vel examen apiũ deuastauerit in dictis domibus, soluat pęnã xxv. lib. deñ. sed si nõ fecerit prędicta in dictis domibus, sed extra in possessionibus, vel vijs publicis circũ circa habitationẽ prędictã per mediũ miliare, puniatur in x. lib. deñ. & damnũ in duplo emẽdet damnũ passo in quolibet casuũ prędictorũ. Item si quis percusserit aliquẽ de prædictis, vel aliquẽ ex ipsorũ familiaribus, vel suas res acceperit, puniatur in duplo eius, quod puniretur, si alium offendisset, vel res accepisset.

Quòd nobiles comitatenses non soluant collectas. Rub. 56.

ITem statuimus, & ordinamus, ꝙ nobiles comitatenses, qui veniunt ad seruitia Cõmunis Firmi eorũ expensis, & qui habent possessiones in Ciuitate, & comitatu, vel pertinentijs Ciuitatis Firmi, quę appretiatæ fuerint in Castris Cõmunis Firmi, sint liberi, & exempti à præstatione cuiuslibet collectæ. Comitatenses autẽ intelligãtur esse nobiles, qui seruiũt Cõmuni Firmi cũ eorum equis, & eorũ expensis. Et illi comitatẽses, qui volunt istud capitulũ obseruare, teneãtur se facere scribi anteq̃ aliqua datiua imponatur, & promittant seruire Cõi tempore guerrę omnibus eorũ expensis, & equis, & armis proprijs, & pro prædictis præstent idoneas cautiones, & securitates. Et ꝙ deinceps nõ possint habere equos, nec stipendia à Cõmune: & nihilominus ipsi teneantur soluere de omnibus possessionibus, de quibus Cõmuni datiua solui consueuerit, & de illis, quæ ad eos venerint, & venient ex quacunque causa: & si prędicta dicti nobiles facere recusauerint, beneficio huius statuti gaudere non possint, & cogantur ad præstationem datiuarum impositarum, & imponendarum in Cõmuni Firmi.

De Notario appretiorum Communis Firmi. Rub. 57.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd Notarij appretiorum Ciuitatis Firmi, qui mutant, & habent appretia Cõmunis in chartis bambacinis, teneantur ipsa appretia scribere in chartis pecudinis, & reducere prout tenentur, & electi fuerint. Et quòd Capitaneus futurus cogat eos, qui prædicta non scripserint, nec reduxerint in chartis pecudinis, ad scribendum, & reducendum ipsa

in chartis prædictis,prout tenentur, & debent: & chartas pro prædictis appretijs eis faciat dari per Bã cherium Communis,& Regulatores Cõmunis eis bullam concedant pro prædictis. Et ad hoc, vt fraus aliqua pro Cõmuni non fiat,quando leuantur,& ponuntur terrę,domus,& alia;teneantur,& debeant exigere sacramentum ab ambabus partibus,quæ peterent mutationem fieri, vel positionem, vel leuationem,vt hoc non faciant in fraudem Cõmunis,nec causa se eximendi ab aliquo fumante Cõmunis in totum,nec in partem,vel exeundi de aliquo Concilio:& qui contrafecerit, puniatur in x. libr. deñ. Et de his reductis in chartis pecudinis Regulatores possint eis concedere bullas pro salario eis stabilito. Et in qualibet contrata eligatur vnus bonus, & legalis Notarius ad tenendũ librum appretiorum contratæ,in qua electus fuerit. Qui Notarij eo modo,& forma,quo,& qua eligitur notarius,vel notarij habentes ipsos libros,pœna xxv. lib.deñ. debeant finito eorum officio,in præsentia DD.Priorum, & Confalonerij iustitiæ eorum successoribus in officio dictos libros reassignare:quorũ Notariorum,& cuiusque ipsorum officiũ duret vno anno tantùm:& finito officio,alij eligantur ex forma prædicta, & procedatur ad nouam electionem. Et qui fuerit ad dictum officium, non possit ad idem officiũ eligi ad quinque annos: & finito tempore vnius anni,dictus notarius ire teneatur, & debeat ad DD. Priores populi,& Confaloneriũ iustitiæ,vt eligatur successor eius,sub dicta pœna:& Potestas,& Capitaneus populi teneantur, & debeant supradicta omnia obseruare vinculo sacramenti, & pœna centum libr. tempore eorum scindicatus soluenda.

De pacibus faciendis per Potestatem. *Rubr. 58.*

ITem statuimus,& ordinamus, quòd Potestas infra primum mensem sui regiminis debeat dare operam efficacem ad faciendum fieri omnes paces inter Ciues Firmanos, interponendo partes suas, prout sibi videbitur conuenire: dum tamen non cogat sententialiter omnino pacẽ facere recusantes.

Quòd Potestas, vel Capitaneus, vel eorum officiales nemini dicant iniuriam. *Rubr. 59.*

ITem statuimus,& ordinamus,quòd Potestas, vel Capitaneus, vel quiuis alius officialis Communis Firmi non audeat,vel præsumat alicui arrengatori in Concilio aliquam iniuriam dicere,vel facere,sub pœna xxv. lib. deñ. pro qualibet vice,qua contrafecerit in prædictis. Si verò alibi, quàm in prædictis Concilijs dixerit, in medietate dictæ pœnæ condemnetur: quam pœnam tempore eorum scindicatus,vel alicuius ipsorum Scindicator de eorum salario retinere teneatur.

De libertate,& franchitia illorum,qui per decem annos habitauerint in Ciuitate Firmi,& vasallis venientibus,& volentibus habitare in Ciuitate: & quòd nullus possit esse Procurator pro forensibus in casu prædicto. *Rubr. 60.*

ITem statuimus, & ordinamus, ꝙ quicunque continuè habitauerit in Ciuitate Firmi per decẽ annos continuato tempore,& infra dictum tempus non fuerit molestatus,vel vexatus coram cõpetenti iudice de homagio,fidelitate,vel seruitio debitali,& vsuali,de cętero in aliquo pręclictorum non inquietetur. Et hæc inquisitio summariè fiat sine dispendio illius personæ,quæ conuenitur,& nullus pro forense in prædictis casibus Aduocatus,vel Procurator existat contra aliquem Ciuem,qui conueniretur de prædictis:& si contrafecerit,non audiatur,& in x. lib. deñ. puniatur. Et idẽ intelligatur de his,qui venerint ad habitandum in districtu Firmi: dummodo in vtroque casu efficiantur ciues,& faciant acquistũ secundũ formam statuti. Idem dicimus de nominibus Castrorum,qui venerint ad habitãdum ad Ciuitatem Firmanam,si per decem annos habitauerint,& non fuerint de prędictis vexati coram iudice competenti. Item quicunque forensis venerit ad habitandum in Ciuitate Firmi,vel comitatu eiusdem,& in dicta Ciuitate,& comitatu habitauerit, vel habitabit in futurũ per decem annos continuos sine molestatione,vel inquietatione, vel interpellatione facta de eo coram iudice competenti, non possit, nec valeat ab aliquo molestari, vel inquietari ratione vasallatici,vel homatici,sed sit, & intelligatur liberatus ab omni vasallatico,& homatico.

Quòd Notarij teneantur conficere instrumenta. *Rubr. 61.*

ITem statuimus,& ordinamus,quòd notarius,qui rogatus est facere aliquod instrumentum,teneatur dictũ instrumentũ scribere, & perficere,ac reddere partibus infra octo dies proximos à die rogationis factæ,soluta sibi mercede à partibus pro labore suo,& pro charta. Et si notarius contrafecerit, soluat bannum v. sol. deñ. & pro se quilibet notarius scribere debeat in quodam

protho-

pothocollo,& in abbreuiatura cuiuslibet contractus rogationis ab eo scribendę,& ponere annos Domini,Indictionem,mensem,& diem,numerum,pondera,mensuras,& quantitates nominatas inter partes,claras,& apertas,& non obscuras,& confusas. Et teneatur notarius hoc scribere,quando rogatus erit,antequàm partes ab eo recedant, & incontinenti dictis partibus contrahentibus legere ea, quæ scripsit:& in fine cuiuslibet contractus scribat notarius:& ego talis notarius rogatus scripsi,pœna notario contrafacienti centum sol. deñ. Et contrahentes incontinenti post prædicta debeant notario de de suo labore soluere de rogatu competentem mercedem,pœna xx. sol. deñ. & notarius infra octauã diem post prædicta facere instrumentum partibus,si voluerint,pœna xx. sol. deñ. & in publicam formam partibus,vel alicui ipsarum, quæ petierit,reddere. Et de omni eo, quod rogatus extiterit notarius, teneatur facere prothocollum in quodam libro,& non in cartutijs,siue cedulis,pęna centum sol. deñ. si non fecerit. Item quilibet notarius,qui vocatus fuerit ad faciendum aliquod instrumentum,& se rogandum de aliquo contractu,teneatur ire,pœna xx. sol.deñ.saluo si iustam causam excusationis habuerit. Item quilibet notarius,qui vocatus fuerit,vel requisitus ab aliquo,qui protestationem aliquam facere vellet Potestati,Capitaneo,vel cęteris officialibus,vel appellationem interponere,ire teneatur, & se rogare de prædictis, & ipsam protestationem, seu appellationem scribere, & in publicam formam redigere,& reddere ei,qui eum duxit. Et si contrafecerit,soluat bannum viginti sol. deñ. Et si ille, qui duxerit notarium pro prædictis,dicto notario non soluerit de competenti mercede, puniatur in viginti sol. deñ. & nihilominus sibi satisfacere teneatur.

De Scindico,& Procuratore habendo in Romana Curia,& in Curia D. Marchionis. Rub. 62.

ITem statuimus,& ordinamus, pro statu bono Ciuitatis Firmi, & ne Commune ineat periculum,vel detrimentũ,& ne iura ipsius valeant perire,cùm multi processus,& condemnationes fiant per Rectorem Marchiæ Firmanæ,& Iudices Curiæ ipsius cõtra Commune, & homines Ciuitatis Firmi,& sui districtus,& pro eo, ꝙ causæ appellationis non prosequuntur, vtplurimum deseruntur, quòd DD. Priores populi, & Confalonerius iustitiæ,quando eis videbitur expedire, eligere possint vnum Scindicum pro Cõmune Firmi,qui stet,& stare debeat in Romana Curia, vel in Curia D. Marchionis,vel vnum in vna Curia,& alium in alia,prout eis videbitur,qui defensare debeant causas Communis Firmi,& eis,& cuilibet ipsorum statuere possint,& debeant salarium,quod iustum, & congruum erit, & eis dicti DD. Priores declarare possint salarium prædictum: quod salarium cum salario Potestatis,& Capitanei imponatur,& exigatur.

De lampadibus Mercatorum Ciuitatis Firmi. Rubr. 63.

STatuimus,& ordinamus,ꝙ octo lampades debeant esse,& ardere in sero, & in nocte, & accẽdi in crepusculo vespertino,idest inter diem,& noctem,& per totam noctem debeant permanere accensę,& per stratam à Sancto Martino vsque ad Ecclesiam Sancti Matthei:& ad hoc faciendum debeant cogi Mercatores omnes Ciuitatis per Potestatem eorum expensis. Item sint duodecim lampades eodẽ modo,& forma,quæ accendi debeant,& ardere modo prædicto à Sancto Mattheo vsque ad Sanctum Zenonem. Et teneantur omnes Mercatores Ciuitatis,qui in ipsis vijs,& stratis haberent apothecas,siue stationes,conferre in prædictis,& eorum expensis fiant,& fieri debeant. Et prędicta Potestas faciat fieri vinculo iuramenti.

Quòd liceat renunciari statuto. Rubr. 64.

ORdinamus,quòd qnicunque renunciauerit alicui statuto,non possit postmodum beneficio statuti vti,cui fuerit renunciatum: saluo,si aliquo statuto huius voluminis reperiretur,quòd aliquo casu nõ possit beneficio statuti renunciari,tunc seruetur quod dispositum esset in illo,nõ obstante præsenti statuto,cui,vel quibus per præsens statutum non intendimus derogare.

Quòd quando tractatur de negotio Potestatis,vel alicuius singularis personæ in aliquo Concilio, vel Cernita,debeat de ipso recedere. Rubr. 65.

QVando tractatur in aliquo Concilio generali, vel speciali, vel in aliqua Cernita, vel Credentia de facto alicuius Potestatis,Capitanei, vel alterius officialis Ciuitatis Firmi, vel alterius singularis personæ,quod factum,siue negotium tangeret commodum, vel incommodum alicuius prædictorum,volumus,quòd in dicto Concilio,Cernita,vel Adunantia non debeat interesse di-

ctus talis officialis,vel alia singularis persona,de cuius cõmodo,vel incõmodo tractaretur,nec etiã fratres carnales,& consobrini,& nepotes carnales,& consobrini,& generi, & soceri, & cognati carnales illius,seu illorũ,de cuius,seu quorũ cõmodo,vel incõmodo tractaretur:& si in dicto Cõcilio,vel Adunantia essent,debeãt inde recedere:quod si nõ fecerint,& interessent,& aliquid in dicto Cõcilio,Cernita,vel Credẽtia fieret,vel reformaretur in sui seruitiũ,non valeat quod factũ,& reformatũ fuerit in sui fauorẽ. Et D D. Priores populi,& Confalonerius iustitiæ teneantur, pęna centũ lib. deñ. talẽ, de cuius facto tractaretur, & prænominatos attinentes eiusdem expellere de dictis locis,& ipsos stare nõ permittere:ꝙ si negligẽtes fuerint in prędictis,dictã pęnã tempore eorũ scindicatus soluere teneãtur.

Quòd si aliquis habitaret, vel domum haberet in confinio contratarum, sit ei licitum scribi se facere in contrata, in qua magis sibi placuerit. Rub. 66.

HAbitanti in confinio duarũ contratarum,siue in confinio inter duas cõtratas Ciuitatis Firmi, licitũ sit,& possit se scribi facere in cõtrata illa,in qua sibi magis placuerit in libro foculariũ, & in libro Cõcilij,& in quocũque alio libro, vel scriptura, qui,vel quæ cõtineret contratas, & possit officiũ exercere, & beneficio vti in dicta cõtrata, vbi erit scriptus pro fumãte, & concilio,& sicut alij de dicta cõtrata faciunt,& vtuntur:& vna cõtrata electa,ad aliã contratã recedere nõ possit.

Quòd Potestas,Capitaneus,& alij officiales Cõis teneantur,& debeant facere copiam de seipsis. Rub. 67.

ITem statuimus, & ordinamus,ꝙ omnia ostia palatiorũ Cõis Firmi, & ostia palatij populi sint aperta à prima hora diei vsque ad horã tertię,& ab hora nonę vsq; ad occasũ Solis, exceptis ostijs camerarũ,& horis,quibus comedunt,seu dormiunt tẽporibus cõsuetis.Et cõtrafaciens Potestas,vel Capitaneus,& quilibet ipsorũ,puniatur vice qualibet in quinquaginta lib.deñ.de suo salario Bãcherio Cõis Firmi soluẽdis.Et ꝙ nõ possint ponere cedulã, seu scripturas aliquorũ in muris, seu stangis, columnis,ostijs, vel aliquibus alijs ędificijs dictorũ palatiorũ:nec possint prohibere alicui Ciui,vel habitatori Firmi,quominus intret dicta palatia tẽporibus,& horis cõsuetis;dũmodo dictum statutũ locũ nõ habeat in ostijs palatij,vbi sũt Priores populi,& Cõfalonerius iustitię dictę Ciuitatis.

De custodia,& immunitate Sancti Benedicti,Montis Falconis,& Smirilli. Rub. 68.

CVm multæ,& diuersę nonitates videantur posse occurrere, & euenire in diuersis tẽporibus,& Castra Sãcti Benedicti,Mõtis Falconis,& Smirilli,& Gualdi,& quodlibet ipsorũ aptamine, & munimine indigerent:Volẽtes de ipsorum custodia,& munitione cautius prouidere,statuimus,& ordinamus,ꝙ quãdo Castellani,& Sergẽtes mittuntur ad custodiam dictorũ Castrorũ,vel alicuius eorũ,anteꝗ ipsi Castellani,& Sergentes mittantur,seu vadant ad ipsam custodiã,eis,& cuilibet ipsorũ de omni hauere,& pecunia Cõis soluatur totum salarium, quod recipere debent pro tempore sex mensiũ,quo stare debent ad custodiã dictorũ Castrorũ. Et D. Potestas,& Capitaneus, & Priores populi,& Confalonerius iustitiæ,qui erunt pro tẽpore,teneantur,& debeãt vinculo sacramẽti,& pœna centũ lib. deñ. Potestati,vel Capitaneo,& cuilibet ipsorum,& quinquaginta lib.deñ.cuilibet Priorũ,& Confalonerio,prædictã solutionem dictis Castellanis,& Sergentibus per Bãcherium Cõis facere fieri iuxta eorũ posse,sine mora,ad requisitionẽ dictorum Castellanorum,& custodias cuiuscũque dictorum Castrorum in termino,in quo incipere debent eorũ custodiã. Et prædicti Castellani,& Sergẽtes,& quilibet ipsorum,sub pęna quinquaginta lib.deñ.pro quolibet ipsorum,teneãtur, & debeãt bene seruire, & habere continuè,& tenere in quolibet dictorum Castrorum , scilicet in Rocha ipsius Castri res comestibiles pro victu necessarias,ad minus pro tribus mensibus pro tota familia,quę stare debet in dictis Rochis:& nõ possint,nec debeant dicti Castellani,& Sergentes, qui erunt ad custodiã dictarum Rocharum, discedere à dicta custodia nullo modo, sed continuè residentiam facere in dictis Rochis:& ꝙ ex Sergentibus cuiuslibet Castellani ex prędictis continuè die noctuq. manere debeãt in qualibet dictarum Rocharum,scilicet in turri ipsius Rochę,ad custodiam faciendam.Et qui in aliquo contrafecerit,puniatur pœna statuti Cõmunis Firmi. Et ꝙ Potestas,& Capitaneus, & quilibet per se teneatur mittere militem suum, vel vnũ ex suis notarijs cum Regulatoribus Cõis, vel cum aliquo ex eis ad reuidendum Rochas Cõis Firmi,secundum formam nostrorum statutorum,ad videndũ si in eis sunt munimina expedientia,& si Castellani habent famulos omnes,quos habere debẽt: & dicti Regulatores,vnus,vel plures,qui iuerint ad videndũ prædicta cũ dicto officiali,debeãt punctaturas facere, si aliquẽ inuenerint,qui nõ haberet familiã debitã: cuius relationi stetur,& ei plena fides adhibeatur.

Quòd omnes, & singuli habitatores Castri Sancti Benedicti debeant dictum Castrum die noctuq. bene custodire. *Rub. 69.*

ITem statuimus,& ordinamus,ꝙ omnes,& singuli habitatores Castri Sancti Benedicti,qui modo sunt,& pro tempore erunt,teneantur,& debeant sollicitè,diu noctuq. attendere,vacare,& aduertere,ꝙ Castrum prædictum Sancti Benedicti bene custodiatur. Et teneantur reaptare sticcata versus mare,& ea tenere illæsa: & illi,qui iuerint ad habitandum in dicto Castro,sint liberi,& exempti à præstatione fumantiæ, & datiuæ vsque ad decem annos à die quo venerint ad habitandum in dicto Castro,ita quòd ipsi de prædictis datiuis nullo modo possint,nec debeant molestari.

De Capitaneis faciendis per Molendinarios. *Rubr. 70.*

ITem statuimus,& ordinamus,ꝙ Potestas,Capitaneus,vel Iudex iustitię teneātur,& debeāt in principio eorū,vel cuiusque ipsorū officij,& eorū regiminis, vinculo iuramēti,& pęna quinquaginta lib.deñ.de eorū salario cogere,& cōstringere Molendinarios Ciuitatis ad faciendū Capitaneū de ipsis Molēdinarijs, videlicet vnū in cursu primo superiori molendinorum,& aliū in cursu inferiori Molendinorū sub primis molendinis sitis in dicto cursu. Qui Capitanei teneātur expēsis dominorū ipsorū molendinorū aquā mittere in statū,ita ꝙ molendina possint omni tempore macinare,& homines dictæ Ciuitatis ratione defectus aquæ detrimentum aliquod non recipiant macinandi.

De venditionibus,& donationibus factis per aliquem, qui ciuis efficeretur. *Rubr. 71.*

QVicunque venerit ad Ciuitatem Firmi ad habitādum cum ciptadinantia, & receptus fuerit in Ciuē Ciuitatis prædictæ,& ratione ciptadinantiæ prædictæ emerit domū,& possessiones aliquas in Ciuitate, vel districtu Firmi,vel quocunque alio titulo dictas possessiones acquisiuerit,non possit dictas possessiones,vel domos, vel aliquam ipsarum vendere,alienare,seu quouis titulo inter viuos in alium transferre sine exprēssa licentia DD.Priorum populi,& Vexilliferi iustitię,vnà cū Regulatoribus Communis,ne ciptadinantiam euitet,& recedat cū sua familia,& rebus suis alijs: quā licentiam dicti DD.Priores,& Confalonerius,& Regulatores cōcedere possint,quando eis videbitur, ꝙ prædicta nō fierent causa euitandi ciptadinantiā prædictam. Si quis verò contrafecerit,& venditionem,vel aliū contractum inter viuos fecerit contra prædictā formā,licentia non obtenta,vt supra,venditio,alienatio,vel quiuis alius contractus factus nō teneat ipso iure,& res sic vendita deueniat in Cōmuni,& Communi Firmi applicetur:& tam emptor,quàm venditor,siue aliū contractum inter viuos celebrantes,pęnā xxv. lib. deñ. ipso facto incurrant pro quolibet ipsorū,& incurrere debeant absque aliqua sententia,& sine alicuius iudicis ministerio. De quibus omnibus supradictis possit à quolibet accusari,vel denunciari contrafaciens,& habeat accusator,siue denunciator medietatem banni,videlicet dictarum xxv.lib. Volumus etiam,quòd Potestas,& Capitaneus,& quilibet ipsorum cogat,& cogere debeat omnes,& singulos,qui promisissent, vel promitterent ciptadinantiam Ciuitatis Firmi,& suos fideiussores,ad habitandum in Ciuitate Firmi,& ad soluendū pęnas, & banna præmissa,de facto, omni solennitate,& substantialitate iuris,& statutorū omissa,& solū viso,& scito si prędicta promisit, ad petitionē Scindici Communis,vel alterius cuiuscunque Ciuis,vel habitatoris Ciuitatis prędictæ.

De obseruatione statutorum. *Rub. 72.*

POtestas Ciuitatis Firmi, & Capitaneus, & quilibet alius officialis Ciuitatis Firmi teneatur, & debeat omnia, & singula statuta Communis Firmi ad eorum, & cuiusque ipsorum officia spectantia, & pertinentia obseruare, sub pœna in ipsis statutis contenta. Et si pœna non esset in ipsis adiecta, teneantur, & debeant obseruare sub pœna centum libr. deñ. de eorum, & cuiusque ipsorum salario auferenda vice qualibet,& pro quolibet contrafaciente.

Quòd prædia sint tributaria. *Rub. 73.*

NE apprętia Cōmunis Firmi minuantur, volumus, & ordinamus, quòd omnia prædia rustica, & vrbana, domus, & possessiones quęcunque in Ciuitate, & comitatu Firmi sita, sint, & esse intelligātur de cętero tributaria Communis Firmi,& ascripta sint pro oneribus tributorū, & pro collectis imponendis in Communi Firmi prædicto,& pro quibuscunque oneribus imponendis in dicto Communi ab hodierna die in antea, & apud quoscunque dictæ possessiones, vel aliqua ipsa-

rum va-

rum vadant ad dicta onera,& teneãtur,& teneri debeant,nõ obstantibus aliquibus priuilegijs, immunitatibus,& exemptionibus quibuscunque concessis, vel in posterum concedendis: saluis semper pactis factis,& habitis inter Commune Firmi,& comitatenses,vel nobiles de comitatu,vel Ciuitate Firmi,vel alias priuatas personas,quibus per præsens statutum non intendimus in aliquo derogare.

De parte danda officialibus de condemnationibus veteribus. *Rubr. 74.*

VT officiales habeant materiam condemnationes veteres exequendi,statuimus,& ordinamus, quòd Potestas,Capitaneus,Iudex iustitiæ,vel Barisiellus Ciuitatis Firmi, & quilibet ipsorũ habeat,& habere debeat de condemnationibus veteribus factis per eorũ præcessores, & per tres menses ante principium eorum officij sol. duos den. pro qualibet libra pecuniæ,quam venire fecerit in Cõmuni ratione executionis prædictæ: quos duos sol. Bancherius Cõmunis dare teneatur tali officiali exequenti,& executionem facienti tempore quo ipse receperit quantitatem condemnationis. De condemnationibus verò factis per eorum,vel cuiusque ipsorũ præcessores post dictos tres mẽses ante principium eorum officij,nihil à Commune,vel Bãcherio Communis recipere possint,vel debeant,sed ipsas exequi teneantur absque premio,vel receptione aliqua pecuniæ: & possit Potestas, & sui officiales exequi condemnationes factas per Potestatem,vel Barisiellum,& Barisiellus condemnationes factas per Potestatem, & Capitaneum, & quilibet ipsorum exequentium habeat dictos duos sol. dũmodo de cõdemnationibus veteribus latis, & factis per præcessorem, officialis post dictos tres menses nihil recipiat,non obstante aliquo alio statuto in contrarium disponente huius voluminis, cui per præsens statutum volumus esse in hac parte totaliter derogatum.

De iurisdictione Militis Potestatis. *Rub. 75.*

POssit quilibet Miles, siue Socius Potestatis Ciuitatis Firmi de ciuilibus causis corã eo vertẽtibus cognoscere,diffinire,& sentẽtiare vsq; ad quãtitatẽ centũ sol. & nõ de maiori sũma,vel re maioris sũmę:nisi fuerit de partiũ volũtate tacitè, vel expresse eius iurisdictio prorogata. Et causas corã eo vertentes possit dictus Miles,vel Socius cognoscere,& terminare sũmariè, simpliciter,& de plano,sine strepitu,& figura iudicij,omni tẽpore,etiã feriato,ferijs in honorẽ Dei inductis dũtaxat exceptis,sola veritate facti reperta,omissis oĩbus solennitatibus,& substãtialitatibus iudiciorũ.

De delegationibus pecuniarum,& aliarum rerum Communis alicui faciendis. *Rub. 76.*

AD hoc,vt nostra Respub. habeat creditum,& quando oportuerit pecunijs subueniatur, & res quæ semel erunt deliberatæ,semper firmę seruentur,& non remoueãtur,vigore, & auctoritate præsentis legis statutũ sit,& decretum,quòd omnis delegatio,& promissio pecuniarum,vel aliarum rerum quarumcunque per Commune Firmi delegatarum,& promissarum,ac etiam in futurũ omnis delegatio,& promissio pecuniarum, & rerum quarumcunque delegandarum, & promittendarum per Cõmune,quæ delegatio, & promissio semel facta sit per Cernitam, & Cõcilium, vel de nouo fieret,sit semper rata, & firma,& executioni mandetur:& DD.Priores,& Regulatores,qui pro tempore erunt,non possint proponere,nec proponi facere vllo modo in Cernita,& Concilio,neque id aliter remouere, nec aliquo quæsito colore impedire, & contrafacere, & sic nullus possit, nec debeat super eo consulere,& arrengare contra hanc præsentem legem, sub pœna, & ad pœnam cuilibet Priori, & cuilibet Regulatori, & cuilibet arrenganti, & consulenti centũ ducat. Cameræ Communis applicañ. pro fabrica murorum, & de facto exigendorum à quolibet prædictorum contrafacientium.

Quòd milites,& officiales Potestatis,et Capitanei non possint intrare domos pro executionibus ciuilium maleficiorum,& damnorum datorum. *Rub. 77.*

AD tollendum querelas,quas comitatiui assiduè faciunt propter extorsiones,quæ fiunt per officiales,qui vadunt ad faciendũ executiones per comitatum,intrãdo domos dictorũ comitatiuorũ,& surripientes res comestibiles, & etiã alia bona,in maximum damnũ, & præiudiciũ dictorum comitatiuorũ: Ideo auctoritate præsentis legis decernimus,quòd de cætero dicti milites, & officiales Capitanei,& Potestatis,& eorũ famuli euntes per comitatũ ad faciẽdum executiones, tam reales,q̃ personales,tam pro maleficijs,q̃ pro damnis datis, & pro ciuilibus debitis, nõ possint intrare domum,seu domos dictorũ comitatiuorum,seu in dicto comitatu habitantiũ,sine presentia duorũ,vel saltem vnius de Massarijs Credentiæ Castrorũ dicti comitatus:& si prædicti contrafecerint,ipso facto

priuentur officijs, & licentientur de hac Ciuitate. Et dicti Massarij Credentiæ quàmprimum fuerint requisiti à prędictis, vel ab aliquo prædictorũ, statim, sine mora, & aliqua renitentia teneãtur, debeãr, & obligati sint ire, & accedere cum prædictis in domos prædictas, sub pœna decem lib. deñ. cuilibet Massariorum contrafacienti, & renitenti, ipso facto, & ipso iure exigendorum, & Communi Firmi soluendorum: ad hoc, vt præfati milites, officiales, & eorum famuli nihil detrahant, seu auferant à dictis domibus, nec res comestibiles, nec vinum vllo modo accipiant, comedant, neque bibant.

De obseruatione statutorum Societatum, & Castrorum Ciuitatis Firmi. *Rubr. 78.*

ITẽ statuimus, quòd DD. Priores populi, & Confaloncrius iustitiæ, Potestas, Capitaneus populi, & cęteri officiales Cõmunis Firmi non debeant obseruare, nec obseruari facere aliqua statuta, vel ordinamẽta alicuius Castri, vel Villę comitatus Firmi, nec alicuius Societatis, vel Collegij, nisi dicta statuta, vel ordinamenta essent approbata per Cernitam pro maiori parte. Et si approbata, & confirmata essent per prædictam Cernitam, & non fuerint in aliqua parte contraria alicui statuto Ciuitatis Firmi, plenam habeant roboris firmitatem. Contrafaciens verò, ac etiam facientes statuta prædicta, vel vtentes, & allegantes scienter ea, quæ non essent approbata per prædictos, puniantur in vigintiquinque lib. deñ. & nihilominus dicta statuta, & ordinamenta non teneant ipso iure.

Quòd omnia pignora consignentur Depositario. *Rub. 79.*

AD hoc, vt pignora, quæ tolluntur, non perdantur, sed sub bona custodia seruentur, auctoritate præsentis legis decernimus, ꝙ omnes, & singuli officiales, & balij dictæ Ciuitatis teneãtur, & debeant camet die, qua pignus, seu pignora fecerint, seu fieri commiserint, deponere, seu deponi facere apud Depositarium pignorum per DD. Priores, & Regulatores eligendum, & deputandum, sub pœna cuilibet officiali, seu balio contrafacienti vnius flor. de eorũ salario de facto retinendi pro quolibet pignore, & ad emendationem pignoris, si deperderetur. Et dictus Depositarius pignorũ teneatur, & debeat omnia pignora in suo libro, seu bastardello describere, & annotare cum nominibus patronorum, & ea bene conseruare: & habeat pro suo labore deñ. quatuor pro quolibet pignore rempore restitutionis eorum. Et si dicta pignora postquàm fuerint consignata dicto Depositario deperderentur, ipse Depositarius teneatur ad restitutionem æstimationis, & valoris pignorum deperditorum. Et ita se obliget, promittat, & fideiubeat tempore suæ electionis.

De mercede scripturarum, executionum realium, & personalium, & aliorum actorum soluenda officialibus comitatus. *Rubr. 80.*

AD euitandas querelas, & illicitas solutiones, quæ fiunt officialibus comitatus super petitionibus, & executionibus, & alijs actis ciuilibus, pręsenti lege sancimus, ꝙ officiales comitatus de cętero pro petitionibus, & alijs actis corã eis faciẽdis, dc quacunque causa, & quãtitate sint, nõ possint petere, nec accipere pro debitis ciuilibus vltra bononeñ. vnũ pro qualibet petitione, & actu quolibet. Et ita super executionibus, tam personalibus, q̃ realibus ciuilibus habeãt bononeñ. vnũ pro singulo ducato, & vltra nõ petant, nec recipiãt, videlicet vsque ad summã quadraginta ducat. ad computũ quadraginta bonoñ. pro singulo ducato. Et à quadraginta ducat. supra, cuiuscũq; sit quãtitatis, nõ possint petere, nec recipere vltra bononeñ. xxxx. pro executione dictę quãtitatis, quãtacũque sit.

De electione, & officio Barisielli. *Rubr. 81.*

DOmini Priores populi, & Confalonerius iustitiæ, & Regulatores, Capitanei artium, Confalonerij cõtratarum, vnà cum quatuor bonis hominibus per contratã eligendis per dictos DD. Priores, vel maior pars prædictorum, quotiens eis videbitur esse vtile pro Communi, habeãt potestatem, auctoritatẽ, & baliam eligendi, vocandi, & nominandi Barisiellũ in Ciuitate, & comitatu Firmi. Qui Barisiellus habeat secum in dicto officio vnum bonum notarium annorum xxv. maiorem, septem famulos armigeros, & duos equos bonos, & sufficientes. Salarium verò dicti Barisielli esse debeat pro se, familia, & equis prædictis quingentarum lib. deñ. monetæ currentis in Ciuitate, & comitatu Firmi, & cum maiori, & minori salario, & familia, prout prouisum, & ordinatum fuerit per dictos Dominos, & alios supra nominatos, vel per maiorem partem ipsorum. Venire autem debeat dictus Barisiellus ad Ciuitatem Firmi, & in dicta Ciuitate esse per totum suum tempus cum dicta familia personaliter, & equis, omni suo periculo, sumptibus, & expẽsis: manere siquidẽ teneatur ad continuũ exer

citium

citium dicti officij personaliter,& non illud exercere per substitutum. Debeat insuper per nostrũ comitatum,fortiam,& districtum moram trahere,& ire quasi continuè pro suo officio exercendo, & dicto comitatu militare omnibus suis sumptibus,& expensis, nec aliquid ab vniuersitate, vel singularibus personis gratis recipiat. Debeatq. mõstrã facere de dicto notario,familia,& equis Regulatoribus nostri Communis ad omnem ipsorum requisitionem. Insuper debeat,& teneatur cum dicto suo notario,& familia, finito suo officio ad scindicatum stare quinque diebus, & reddere rationem de gestis, & administratis per eum: dummodo non teneatur ipse,& sua familia, & notarius,nisi de furtis, & baractaria. Et quòd si ipse,vel suus notarius, vel aliquis de sua familia ratione sui officij(quod absit) aliqua ratione condemnaretur, non petet, nec peti faciet aliquas repræsalias contra Ciuitatem Firmi, vel comitatum,vel aliquam terram coadhærentem ipsi Ciuitati,vel contra singulares personas earundem,nec vtetur dictis repræsalijs,quibus expresse renunciet nomine suo, & suorum officialium,& familiæ,pro quibus de rato promittat. Et quòd post acceptationẽ sui officij legitimè in opportunis Cõcilijs terræ suæ prædicta reformari faciat:quam reformationem secumportare teneatur in suo aduentu,& Cancellario Cõmunis Firmi debeat præsentare: hac conditione adiecta,ꝙ si durante officio prædicto dictus Barisiellus mori contigerit,(quod absit) salarium sibi promissum pro rata sibi soluetur,& non integrè. Et vltra dictum salarium nihil recipiet,nisi quod ei concessum esset ex forma nostrorum statutorum.Non debeat secum habere aliquem officialem,seu familiarem,qui fuerit ad seruitia sæuissimi tyranni Raynaldi de Monte viridi,vel aliam prohibitionen haberet secundum formam nostrorũ statutorum. Habeatq. dictus Barisiellus ordinariam iurisdictionem inquirendi, procedendi, puniendi,& condemnandi summariè,simpliciter,& de plano, absque processu, vel solennitate aliqua, contra omnem personam,qui,& quæ extraheret grassiam,blada,frumenta,ordeum,legumina de Ciuitate, & comitatu Firmi, & quæcunque alia vetita per formam alicuius statuti,& ordinamenti Ciuitatis Firmi. Et teneatur,& debeat contra prædictos inquirere,& inuestigare, & repertos culpabiles punire, & condemnare. Et habeat, & habere debeat quartam partem pœnæ eius, quam venire fecerit in Communi Firmi ratione prædicta,& ratione inuentionis factæ per ipsum,vel suum officialẽ: ita ꝙ tres partes pœnę veniant in Communi,& reliqua quarta pars sit dicti Barisielli de inuentis per eum, & suum officialem. Si verò non inuenerit ipse Barisiellus dictos fraudantes,& trahentes blada,& grassiam prędictam, sed superuenerit aliquis accusator, vel denunciator, si legitimè probauerit accusationem, vel denunciationem per testes,vel per legitima,& sufficientia inditia,habeat dictus accusator,vel denunciator quartam partem pœnæ, quæ cum effectu veniret in Communi ratione dictæ suæ accusationis, vel denunciationis: ita quòd tres partes remaneant in Communi, & reliqua sit ipsius accusatoris, vel denunciatoris. Item habeat dictus Barisiellus, si caperet, & in fortiam Communis duceret aliquem exbannitum,& condemnatum Ciuitatis Firmi in personam ratione turbationis,vel attentationis turbationis præsentis status liberi,& popularis, centum lib. deñ. de pecunia Communis Firmi pro quolibet condemnato,& exbannito dicta de causa,vel ratione. Si verò capiet alium exbannitum, & condemnatum personaliter alia occasione,vel causa,ꝗ turbationis status, si fuerit condemnatus principaliter,vel sub conditione ad mortem,ita quòd perdere deberet personam,habeat,& habere debeat occasione prædicta à Commune prædicto,& Bancherio Communis quinquaginta lib. deñ. Si verò esset exbannitus, & condemnatus ad perditionem alicuius membri principaliter, vel sub conditione, ita ꝙ executio fieret de ipso in aliquo membro, habeat de dicta pecunia à dicto Bancherio libras xxv. deñ. Si verò caperet, & captum duceret, & in fortiam Communis poneret, & præsentaret aliquem exbannitum,& condemnatum contumacem, & per contumaciam in pecunia quacunque occasione, habeat,& habere debeat duos solidos per libram illius quantitatis, quam cum effectu venire fecerit in Communi ratione prædicta. Et Bancherius Communis teneatur soluere dicto Barisiello prædictas quantitates infra mensem à die executionis factæ de dicto condemnato ad personam,vel membrum, & de condemnato ad pecuniam infra tertiam diem à die solutionis condemnationis faciendæ per dictum condemnatum,pœna dicto Bancherio centum lib. deñ. Volumus tamen, quòd si dictus Barisiellus,vel suus notarius,vel familiaris aliquem offenderet de dictis exbannitis,vel de dictis,qui extraherevellent de comitatu dicta vetita, & resisterent dicto Barisiello, vel suo officiali, vel familiari in eius officio exercendo, ad pœnam aliquam non teneatur. Item teneatur, possit, & debeat dictus Barisiellus punire,& condemnare omnes, & singulos damnum dantes personaliter, vel cum bestijs in possessionibus,& rebus alterius secundum formam nostrorum statutorum,si ipse, vel eius officialis inuenerit damnum dantes,& in fragranti crimine, & habeat quartam partem pœnæ, quam venire fecerit in

Communi ratione dictæ suæ inuentionis, quemadmodum, & perinde habet, & habere debet Iudex iustitiæ Ciuitatis Firmi, non obstante aliquo statuto in contrarium loquente facto, vel fiendo, cui ex presse derogamus. Item volumus, ꝙ omnia lucra supradicta concessa Barisiello de extrahente grassiã, & blada, & lucra de capiente exbannitos supradictos intelligantur repetita, & concessa D. Potestati, Capitaneo, & Iudici iustitiæ, & eorum, & cuiusque ipsorum officiali, & omnibus alijs officialibus Ciuitatis, & comitatus Firmi. Qui omnes, & singuli habeant dicta lucra, si caperent dictos, vel aliquem prædictorum, & inuenirent, prout haberet dictus Barisiellus, si ipse inueniret, vel caperet, vel prædicta faceret. Item volumus, ꝙ nemini liceat in Curia Barisielli in seruitium dictorũ repertorum in aliquo ex prædictis vetitis, maximè in seruitium alicuius extrahentis, vel extrahere volentis granum, bladũ, vel grassiam contra formã nostrorum statutorũ procurare, aduocare, vel aliàs partes suas interponere. Si quis verò litteratus, vel non litteratus in seruitiũ prædictorũ venerit, vel dixerit, ipso facto cadat in pœnam centum lib. deñ. eidem de facto per Barisiellum, vel alium quemcunque officialem auferenda, & Communi Firmi applicanda. Adijcientes huic statuto, ꝙ Grassierij Ciuitatis Firmi non possint, pœna centum flor. auri, alicui concedere licentiam extrahendi grassiam de comitatu Firmi vltra quinque salmas grani, hordei, vel alterius bladi, absque licẽtia DD. Priorũ, & Confalonerij iustitię, & Cernitę de hoc fiendæ, in qua sint Regulatores, Capitanei artiũ, Confalonerius cõtratarũ, & quatuor boni homines per contratam, vel maior pars prædictorũ. Et si aliter fieret, nõ valeat quoquo modo. Et quia iã aliàs in dubiũ extitit reuocatũ, quid sit grassia, & quid appellatione grassiæ cõtinetur, dicimus, & declaramus, ꝙ appellatione grassię cõprehẽdatur, & intelligatur granũ, hordeũ, faba, spelta, & carnes porcinæ viuæ, & mortuę recentes. Alię verò res cuiuscũque generis, exceptis prædictis, appellatione grassię volumus nõ comprehẽdi. Volumus etiã, ꝙ si aliquis in beccharijs Cõis emerit xx. libras carniũ porcinarũ, vel ab inde infra, de Ciuitate, & districtu Firmi liberè eas extrahere possit, & valeat absq; pęna.

De Ciuibus, qui sunt de regimine in officio Prioratus. *Rubr. 82.*

STatuimus pro decore, & vtilitate Reipub. quòd omnes Ciues Firmani, qui sunt in officio prioratus dictæ Ciuitatis, & in alijs officijs Communis, & non habitant familiariter, nec continuam moram trahunt in dicta Ciuitate, vt alij Ciues, exnunc cassentur, remoueantur, & annullentur de pręfato officio prioratus, & de omni alio officio, & beneficio Communis Firmi, & eorum loco remittantur alij Ciues Firmani, qui habitant familiariter, & moram faciunt continuam cum sua familia in præfata Ciuitate Firmana.

De non venientibus ad Cernitam, & Concilium, & de prohibitis venire. *Rubr. 83.*

HAc lege sit cautum, quòd omnes Ciues, qui non venirent ad Cernitam, & Concilium ad requisitionem faciendam, soluant, & soluere teneantur, & cogantur ad soluendum pœnã quinque sol. pro quolibet, & qualibet vice, cum his conditionibus, quòd semper pro vno die antea, vel de sero pro die sequenti illi de Cernita oretenus, vel domi suæ habitationis requirãtur, & Cõcilium de sero proclametur, vt moris est: & die qua dicta Cernita, vel Concilium sit, pulsetur campana ad batochos, & deinde ad extensam. Et facta dicta pulsatione, statim fiat, & fieri debeat requisitio: & illi qui non fuerint reperti stare præsentes ad dictam requisitionem vt supra, punctentur, & sic pũctati dictam pœnam soluere teneantur, & cogantur. Addendo etiam, quòd si eadem die, qua fit Cernita, opus esset congregare dictam Cernitam, tunc requirantur oretenus Ciues: & si non venirent, teneantur soluere dictam pœnã quinque solidorum. Sed si essent requisiti domi, & non oretenus ea die pro eadem die, non teneantur ad pœnã, & etiam non teneantur illi, qui haberẽt iustã, & licitam excusationem non potuisse venire. Et nullus veniat pro altero, nec relinquat, vel remittat vocem suam alicui vllo pacto, sub pœna decem ducat. Qui verò deputati, & descripti non sunt, nullo modo veniãt, & venire possint, sub eadem pœna decem ducat. pro quolibet, & vice qualibet contrafacienti.

Quòd claues Carcerum sint in manibus Potestatis. *Rubr. 84.*

CLaues carcerũ sint penès D. Potestatem nostrũ Firmanũ, & ipse retineat dictas claues, & dimidiũ lucri dictorũ carcerum sit Cõmunis, & aliud dimidium sit dicti Potestatis, qui debeat mittere diem notario DD. Regulatorũ, quo quis fuerit missus in carceribus, & similiter diẽ quo exierit. De carceratis verò à Capitaneo, & eius officialibus executio, & premiũ introitus, & exitus sit Capitanei, sed carceris merces sit militũ sociorũ, & Cõmunis Firmi pro Custodia carceratorũ.

Quòd debitores Communis scribantur in libro speculi. *Rubr.* 85.

DEbitores Communis,qui sunt in Registro Communis,& qui pro futuro erũt,in termino duorum mensium à die contracti debiti proximè futurorum teneantur persoluere eorum debitum,aliter elapso dicto termino scribantur in libro speculi. Et si post talem discriptionem ad speculum dicti debitores extraherentur ad aliquod officium Communis, pro illa vice tantùm cassentur,& non admittantur ad dictum officium extractum,vt supra. Et notarius Regulatorum,sub pœna perditionis salarij mensis, in quo neglexerit hoc facere, teneatur debitores in eo libro annotatos in publico Concilio declarare,vt eorum nomina palàm audiantur.

De facientibus rumorem in Cernitis,& in Concilijs. *Rubr.* 86.

CVm ex trãscursis,& inordinatis motibus in Cernitis, & Concilijs turbatio, & ruina præsentis popularis status apertè immineret,& facilè sequeretur,nisi moderata prouisione occurretetur:ad hoc,vt ciuiliter,& vrbanè,& cum vera charitate secundum leges,& iustitiam viuatur, & cum maiestate in dictis Cernitis,& Concilijs seruato decore stent omnes Ciues, & nõ prorumpant ad inhonestos actus: auctoritate præsentis legis statutum sit,quòd si quis in Cernita,vel Concilio leuaret se de loco suæ sessionis,& iret contra aliquem alium in Cernita, seu in Concilio stantem, seu in dicto loco suæ sessionis staret,& contra aliquem in Cernita,vel Concilio morantem minatetur,seu verba minatoria,vel iniuriosa diceret,aut adminaretur,& aliud faceret contra personam alicuius,aut aliter dictam Cernitam,seu Concilium turbaret,vel etiam si altercarentur,& ad rixam, seu ad manus venirent in dicta Cernita,vel Concilio; cassetur de officijs,& beneficijs Cõmunis. Et DD. Priores, qui pro tempore fuerint,sub pœna xxv. ducat. pro quolibet,& Cancellario Communis sub pœna salarij vnius mensis,si non recordaretur,& protestaretur dictam legem executioni mandari,teneantur,& debeant in illa præsenti Cernita,& Concilio mittere ad partitum ad fabas, dicendo, quòd talis cassetur de dictis officijs,& beneficijs Communis: & quicunque vult,& placet,ꝙ ille talis cassetur de dictis officijs,& beneficijs Communis,reddat eius fabam nigram del sic in bussula: & quicunque non vult, nec sibi placet,ꝙ dictus talis cassetur de dictis officijs,& beneficijs Cõis,reddat eius fabam albã in bussula del nõ:& si pro maiori parte,recollectis fabis,& numeratis,ordinaretur,tũc ille talis cassetur de officijs & beneficijs Cõis,& pro casso in perpetuum habeatur. Si quis autem in dictis Cernita,& Concilio de suo loco se leuaret, & ad alium locum se conferret ad loquendum cum aliquo Ciue, vel aliquo modo loqueretur,vel interrumperet consultorem in arregheria existentem, incidat in pœnam quinque sol.

De exactione condemnationũ,tam maleficiorũ,quàm damnorũ datorũ,& aliorũ debitorũ fiscaliũ. Rub. 87.

AD hoc,vt condemnationes pœnarum,& bona Communi confiscata,& alia debita,tam datiuarum,quàm aliarum rerum fiscaliũ exigantur,& deueniant in Commune; statuimus hac præsenti lege,quòd Regulatores,& eorum notarius teneantur,& debeant cum diligentia,& sollicitudine in principio officij Potestatis, & Capitanei curam gerere, vt dictis Potestati, & Capitaneo, & eorum Curiæ per Bancherium assignentur omnes banniti,& condemnati, & bona dictorũ condemnatorum Communi confiscata,ac etiam omnes debitores Communis,tam datiuarum, quàm aliarum rerum. Et præfati Potestas,& Capitaneus,& sui officiales teneantur,& debeant exigere dictas condemnationes, bona prædicta confiscata, & debitores prædictos: qui Regulatores dum assignatur lista dictorum condemnatorum,bonorum confiscatorum,& aliorum debitorum dictis Potestati,& Capitãneo,& eorum Curiæ, debeant eorum notarium rogare cum præsentia testium,protestando,& assignãdo pro eorũ salario:& si nõ exigerent,ex nunc in eorũ salario cõputentur auctoritate præsentis legis. Et si dicti Regulatores erunt negligẽtes,& nõ obseruarẽt prædicta,ex nũc priuẽtur officio Regularię.

De insignijs Communis non dandis dono Rectoribus. *Rubr.* 88.

HAc lage sancimus,quòd Priores populi non possint,nec debeant in aliqua Cernita,vel Concilio proponere,vel proponi facere,quòd Potestatibus,seu Capitaneis,vel alijs Rectoribus donetur,nec persoluatur stendardum,vexillum,nec insignia Communis: nec aliquis possit arrẽgare,siue consulere,quòd prædicta donentur Potestatibus,& Rectoribus prædictis,sub pœna centum ducat. pro quolibet Priorum,& arrengantium,& priuatione omnium officiorum,& beneficiorum Cõmunis,& Cancellario scribenti,& consentienti pœna vigintiquinque ducat. & priuatione sui officij.

De fauore præstando Ciuibus Firmanis,& districtualibus pro beneficijs consequendis. *Rub. 89.*

CVm vtile,& decorum sit,quod Ciues,& districtuales potius Firmanæ iurisdictionis,& diœcesis, quàm externi beneficijs ecclesiasticis gaudeant,præsenti lege decernimus, quòd postbac sẽper aduersus externos,& forenses Communitas Firmana apud Summum Pontificem,Reuerendissimos DD. Cardinales,Reuerendum D. Episcopum Firmanum,& vbicunque opus fuerit, omni modo,via,& ratione,cum litteris,omni conatu,& totis viribus faueat,interueniat,& opereтur, vt ipsi Ciues,& districtuales potius,quàm alij externi beneficia ipsa consequantur: nec enim conuenit, vt alieni occupent,quæ Ciuium,& districtualium esse debent; & in hoc propterea nihil fauoris omittatur; stante tamen omnino firma lege de scribendis litteris pro beneficijs.

Quomodo possit de maleficijs supplicari,& solutione capitũ solidorũ,& gratijs obtinendis. *Rub. 90.*

NE delicta remaneant impunita,& supplicare volentibus præcludatur via: statuimus,& ordinamus,quòd DD. Priores de cętero non possint, nec debeãt recipere supplicationes super maleficijs,& excessuum pœnis, siue condemnationibus pecuniarijs, nisi prius delinquentes habuerint pacem ab offensis,sub pœna x. lib. deñ. pro quolibet Priore,& Cancellario Cõmunis,& qua libet vice cõtrafacientibus:qua pace habita,& per notarium inde rogatum de ea in dictis supplicationibus manu propria fide facta,dictas supplicationes recipere possint,& eas in Cernitis,& Cõcilijs proponere, & non aliter: solutis tamen prius per supplicantes Bancherio Communis Firmi deñ. sex pro qualibet libra suæ condemnationis pro capitibus solidorum: de qua solutione constare debeat in dicta supplicatione manu dicti Bancherij,seu eius notarij, si pœnę fuerint merè pecuniariæ: sed si fuerint pœnę conditionales,& corporis afflictiuæ,vel membrorum incisiones, tunc solutis per dictos supplicantes prius ducatis duobus monetæ Bancherio prædicto,& habita fide,vt supra, de dictis pace, & solutione,possint recipere,& proponere vt supra: hoc tamen expressè intellecto, quòd in pœnis pecuniarijs, & conditionalibus solutio capitum solidorum nullatenus fieri possit, nec debeat vltra summam duorum ducatorum monetæ,non obstante quòd dicta pœna pecuniaria ascenderet ad maiorem summam, habita ratione supradictæ solutionis sex denariorum pro qualibet libra. Quibus sic supplicantibus non possint fieri gratiæ,neque remissiones beneficiorum,scilicet pacis,& solutionis, & pœnarũ duplicationis,cum quarto pluri incurso,nisi obtineãtur in Cernitis, & Concilijs per quatuor quintos Ciuium ibidem existentium in numero sufficienti congregatorum:cum hac expressa declaratione, quòd super dictis maleficijs,processibus, & condemnationibus dictorum maleficiorum, videlicet pecuniarijs pœnis, non possit supersederi,nec aliquis terminus fieri,nec fieri aliqua alia gratia,nec alia deliberatio,nec concessio,nec donatio alicui Ecclesię,saluo semper statuto de captiuis offerendis, nec remissio alicui religioni, nec alicui personæ, nisi solùm, & duntaxat remissio, & gratia beneficiorum pacis,solutionis,duplicationis pœnarum,& quarti pluris incursi: nec etiam possit remitti beneficium confessionis negantibus maleficia, & contumacibus, & non confitentibus, sub pœna xxv. libr. deñ. cuilibet Priori,Cancellario Communis,Regulatori,& consultori,de facto ab eis,& quolibet ipsorum exigendarum qualibet vice, qua contrafecerint: & Potestas, & eius officiales teneantur, & debeant dictas pœnas exigere, & exigi facere de facto, & sine aliquo processu, & habeant quartam partem dictarum pœnarum, quas deuenire fecerint in Commune tempore quo Bancherius Communis illas recipiet: & si de dictis supplicationibus non obtinerentur gratiæ, tunc volentes iterum supplicare possint, seruata tamen forma statuti sub Rubrica de modo congregandi Concilia circa tempus proponendi: teneantur tamen ipsi supplicare volentes iterum soluere Bancherio Communis supradicta capita sol. Habentes verò gratiam in Cernita,& Concilio de dictis condemnationibus,teneãtur intra mensem à die celebrati Concilij soluere taxam factam per dictam Cernitam,& Concilium Bancherio Cõmunis: quo termino elapso,dictæ gratiæ sint nullæ,& pro nullis habeantur: & non soluentes vt supra,non possint pro dictis eorum condemnationibus vlterius supplicare vllo tempore, & non acceptentur eorum supplicationes,sub pęna x.duc. auri Cancellario Communis,si dictas supplicationes acceptauerit,siue legerit. Item DD. Priores nullo modo possint mandare officialibus, nec eos requirere,vel hortari,vt supersedeant in executionibus factis,tã realibus,quàm personalibus,super condemnationibus prędictis ante deliberationẽ Cernitę: saluo quod si in Cernita obtinuissẽt, & executio fieret post deliberationẽ Cernitę; tunc DD. Priores possint,& debeant facere supersederi,donec fieret Cõciliũ. In pęnis verò cõditionalibus,supplicãtibus vt supra possit dũtaxat remitti conditio, & nõ pęna

pecu-

pecuniaria,nec aliqua pars ipsius,ob quam non solutam pro forma statutorum sit incursum in conditionem, quæ principalis pecuniaria nulla ratione,aut colore dimitti, aut donari possit: & non seruatis omnibus supra specificatis,quicquid factum fuerit super inde,sit ipso iure nullum. Et vt supplicationes expediantur,DD. Priores omni hebdomada in die veneris teneantur,& debeant facere congregari,& coadunari Cernitam,in qua solum legantur, & proponantur supplicationes. In pœnis verò capitalibus statuimus,quòd de cœtero omnes homicidæ,grassatores, seu assassini,proditores,ac etiam fures,& qui ex huiusmodi delictis inciderunt in pœnam capitis, quòd si quando ad manus Communis Firmi,vel eius officialium peruenerint,luant suas debitas pęnas secundum formam statuti. Qui si apprehendi nequiuerint,exulent per integrum decennium computandum à die commissi delicti, & maleficij: infra quod tempus non valeant supplicare,nec modo aliquo audiantur,nec habere possint gratiam vllam in Communi. Verùm si elapso decennio supplicare voluerint,ipsis pateat accessus,habita pace, & fide facta per notarium inde rogatum. Quibus, si fuerint de Ciuitate, non possit fieri gratia pro minori quantitate,quàm centum ducat. auri, & de comitatu, pro minori, quàm de quinquaginta ducat. auri soluendorum cum effectu, nec possit donari illi,aut alteri, nec dimitti, nec compensari: & si in aliquo de prædictis fuerit contrauentum,non teneat ipso iure,sed DD. Priores, qui proponerent,& qui consulerent,& qui scriberent,incurrant pœnam centum ducatorum auri de facto soluendorum,de quibus nulla remissio haberi, aut dari possit.

De custodibus eligendis in Castris riueriæ maris. *Rubr. 91.*

STatuimus, quòd in Castris riueriæ maris eligantur custodes,scilicet in Castro Turris Palmarum decem,in Castro Bucchæblanchæ sex, in Castro Marani decem, in Castro Gruptarum ad mare decem,in Castro Sancti Benedicti quatuor, boni,& legales homines in quolibet dictorum Castrorum, vt dictum est, qui durent per totum annum in, & de locis prædictis: & eligantur per Priores,Confalonerium,& Capitaneum,seu Iudicem iustitiæ,qui pro tempore erunt: qui debeāt, & teneantur die noctuq. sollicitè custodire, & inquirere, quòd nullus de dictis Castris, nec aliunde audeat,vel præsumat emere,vel reponere modo aliquo, tam ex dono, vel deposito,vel aliquo alio ingenio mustum,siue vinum,nec deferre,seu apportare ad aliquod dictorum Castrorum de alijs vineis, vel quod sit de proprijs vineis ipsorum Castrorum, & districtus riueriæ ipsorum Castrorum. Et qui contrafecerit,vniuersitas Castri in centum lib. deñ. & specialis persona in libr. vigintiquinque deñ. & officiales prædicti, si fuerint negligentes in inquirendo, & denunciando, in decem libr. deñ. condemnentur. Et si dolum,vel fraudem commiserint,quilibet ipsorum officialium in lib. vigintiquinque deñ. puniatur, & condemnetur Communi. Insuper in quibuslibet renunciationibus faciendis, vel inquisitionibus per dictos officiales, vel aliquem ipsorum,Capitaneus, seu Iudex,qui pro tempore fuerit,ad prædicta habeat plenum arbitrium inquirendi contra prædictos non denunciantes, & possit inquirere, & eos per omnem modum, & viam, quam voluerit, condemnare contrafacientes secundum formam superius descriptam.



S E C V N D I L I B R I F I N I S.




STATV-



STATVTORVM COMMVNIS FIRMI LIBER TERTIVS

FELICITER INCIPIT.



De officio, & iurisdictione Potestatis, & Capitanei, & eorum Vicarij in ciuilibus causis. *Rubr. Prima.*

POTESTAS, eiusq. Vicarius legum doctor; Capitaneus, eiusq. Vicarius legũ doctor, coniunctim, atque diuisim sint, & esse intelligantur ordinarij iudices in qualibet causa, & iudicio, & negotio ciuili: & habeant statuti huius auctoritate ordinariam iurisdictionem, & plenissimã potestatem, & baliam ciuiles causas, & negotia audiendi, cognoscendi, & terminandi, præcepta, & decreta interponendi, & ea, quæ sunt misti imperij, exequendi: & generaliter omnia, & singula gerẽdi, & faciendi, tam in procedendo, quàm etiam in cognoscendo, & terminando, quæ in prædictis exiguntur, aut ad ipsa pertinere valerent per Ciuitatem Firmi, & comitatum, & districtum.

De citationibus in ciuilibus causis. *Rub. 2.*

IN causis, negotijsq. ciuilibus à vigintiquinque libris supra, citandi modus, & ordo infra tradirus obseruetur. Quando per viam, & modum libelli causa venerit, seu fuerit agitanda, videlicet quòd reus, seu ille, cõtra quem agi desideratur, siquidem fuerit habitator Ciuitatis, & personaliter inuentus fuerit, citetur, & citari valeat pro ipsa die citationis. Si verò nõ fuerit inuentus personaliter, fiat, & fieri possit, & valeat citatio domi habitationis ipsius rei pro prima die iuridica post citationem immediatè sequenti. Si autẽ reus, seu ille, contra quem agi desideratur, fuerit de comitatu, seu districtu Firmi, siue personaliter fuerit inuẽtus, siue domi, quod sufficere volumus, citetur pro secunda die post citationem immediatè sequenti, si iuridica fuerit, vel pro prima die iuridica post illam immediatè sequenti. Contineant quidem supradictæ citationes, vt præfatus reus cõpareat præmissis diebus responsorijs actori de iure. Relationes autem dictarũ citationum fiant, & fieri debeat in scriptis notarijs banchæ. Et possint, & valeant præfatæ citationes fieri simplici verbo Balij, & absque iudicis cõmissione precedente: quã quidem cõmissionem non exigimus quoquo modo. In causis insuper, & negotijs ciuilibus xxv. lib. vel ab inde intra sufficiat, & valeat citatio facta per Balium simplici verbo de reo personaliter, vel domi habitationis ipsius, modo, & forma præmissis. Sed tales quidẽ causas lib. xxv. non excedentes iudices summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij audiant, & cognoscant, ipsasq. intra xx. dies à die primæ citationis terminent, & decidant. Et in talibus causis, & negotijs iudices seruent, & statuant terminum, & terminos pro libito voluntaris, admissis, vel reiectis exceptionibus, de quibus eis videbitur. Et tales causas, & negotia in scriptis, vel sine, prout eis videbitur, valeãt, & debeãt terminare. Iudices autẽ, qui dictas causas in tali termino non terminauerint, pœnam centum lib. dẽi. incurrant qualibet vice, & qualibet die: & nihilominus dictus iudex, vel eius successor dictam causam intra x. dies postea subsequentes terminare teneatur, ad dictã pœnam. Item ad tollendum dubitationes, contentiones, & iurgia, volumus, quòd in quolibet casu, negotioq. ciuili cuiuscunque quantitatis, aut estimationis fides habeatur, & stetur relationi Balij circa

sibi com-

sibi cōmissa,vel ad suum officium,seu ministeriū spectantia. Forenses verò non habentes habitationē in Ciuitate Firmi citentur,& citari debeāt dicto modo, videlicet quòd per Præconem Cōmunis ante portā Palatij dicti Cōmunis,sono tubę pręmisso,alta voce dicatur,quòd talis facit citare talem de tali loco,quòd veniat coram iudice ad respondendū de iure tali,à quo petere intendit certam quantitatē pecuniæ,& res alias intra quintū diem tunc proximè sequentem,vel maiorem iudicis arbitrio,& cum cedula,quæ contineat totum dictum effectū citationis,ponenda in ianua dicti Palatij affixa, ita quòd cuilibet legere volenti innotescat:& talis citatio dicto modo facta plenā habeat roboris firmitatem.

De modo,& ordine procedendi in ciuilibus causis ordinarijs,seu libellarijs. *Rubr. 3.*

IN omni causa,negotioq́. ciuili supra xxv. lib. deñ. ordinariè,seu libellariè agitando,præcedēte citatione rei,vt in superiori titulo continetur, actor in termino dictæ citationis compareat legitimè. Et si quidē reus sic citatus legitimè comparuerit per se, vel alium suo nomine,procuratorio,vel alio quocunque,tunc primò vtrique,seu alteri parti,prout occurrerit expedire,assignetur terminus ad primam diem iuridicam ad accipiendum copiam mandatorum, & opponendū contra personas præfatas: deinde die sequenti post prædicta pronunciet iudex de personis prædictis, vtrum sint legitimę,vel non. Possitq́. etiā quis pro alio defensorio nomine comparere, præstita satisdatione legitima.Et prędicta omnia,& singula circa personas pro alio interuenientes obseruētur circa dilationes, & alia prædicta,si intermedia causæ tunc interuenerint. Sufficiat autem ad probandū quē habere mandatum,si per aliquem ex notarijs bancharum ciuilium fiat fides iudici,etiam solo verbo,quòd habeat mandatum talis persona,prout se habere dicit,& asseritur,& ipse sit inde rogatus: & etiam sufficiat ad probandum quem habere legitimam personam,si per alium,quàm ex notarijs iudicis,fiat fides iudici,etiam solo verbo,quòd talis persona asserens se legitimam personam habere, sit legitimata, & de tali legitimatione ipse notarius sit inde rogatus. Facta autē tali pronunciatione, quando tales personæ comparent in eodem termino, vel primo, quando principales per se comparent,pars actoris tūc coram iudice etiam simplici verbo exponat id,quod petit,seu petere intendit: deinde pars rei tunc interrogetur à iudice,vel notario banchæ,si tenetur ad petita, vel non. Et si quidem responderit, quòd non teneatur ad petita,tunc iudex assignet terminum parti actoris ad dandum libellum,& parti Rei ad recipiendum ipsum libellum pro die tertia tunc proximè sequenti,si iuridica fuerit,aliàs pro prima die iuridica immediatè subsequenti.Et si quidem pars actoris in dicto termino libellū non exhibuerit,neque dederit coram iudice,condemnetur immediatè per iudicem in expensis,iudicis arbitrio moderandis. Et si pars actoris deinde agere voluerit,super priori negotio prædicto ex integro, & de nouo procedatur. Si verò pars actoris libellū exhibuerit,atque dederit in iudicio in termino præfato,tunc parti dicti rei terminus præfigatur,& assignetur duorum dierum in Ciuitate habitatori, quatuor verò habitatori in comitatu,vel districtu,ad legitimè comparendum in termino,& deliberatè respondendum ipsi libello. Actor verò in termino talis citationis debeat legitimè comparere corā iudice in causa processurus,quo sic comparente, si reus legitimè comparuerit in termino,lis contestetur sine alicuius exceptionis obiectu. Omnes autem exceptiones reo competentes intelligantur, & sint eidē auctoritate præsentis legis sine iudicis ministerio reseruatæ,iureturq́. de calumnia, si fuerit postulatū, deinde detur per iudicem vtrique parti terminus trium dierum continuorū ad ponendum,& articulandū, intra quem quælibet pars eius positiones,& articulos præcisè debeat produxisse: quibus productis,pars aduersa,videlicet principalis si præsens fuerit,& alia pars postulet,exposito prius super hoc calumniæ iuramento,respondeat saluo iure impertinentium,seu responsionem non merentium; quibus habeatur pro non responso,ad commodum tamen,& placitum respōdentis,& partis suæ, si responsum esset, seu respōderetur alicui,cui de iure respondendum nō fuisset.Si autem absuerit persona principalis,& pars aduersa hoc desiderauerit,citetur bis per interuallum duorum dierum in qualibet citatione. Et si bis sic citatus per se,vel idoneū responsalem ad respondendū non comparuerit,positiones,& articuli ipso iure pro lectis habeantur,& cōfessatis absque ministerio iudicis. Item si principalis persona,aut respōsalis prædictus verbo iudicis monita, seu monitus ad hoc positionibus, & articulis præmissis non responderit,similiter pro lectis habeantur,& confessatis: deinde detur vtrique parti terminus decem dierum continuorum ad probandum,& probatum habendum pręcisè,& peremptoriè quicquid voluerit, & potuerit de iure,per omnem modum,& speciem probationis,etiam per instrumēta:quo termino decem dierum elapso,publicetur,& aperiatur processus,& vtrique parti terminus quinque dierum præfigatur,& assignetur præcisè,& peremptoriè ad accipiendum copiam,& opponendum,& dicendū con

tra testes,& dicta,& cōtra acta,& producta,& obiecta,& opposita probādum, & probatum habēdum. Quibus quinque diebus elapsis,iudex in causa cum vna partium, vel vtraque concludat, & terminum quinque dierum vtrique assignet ad allegandum: quibus elapsis,sententiā proferat in scriptis in causa prædicta intra alios v. dies:pœna quinquaginta lib. Communi applicanda. Eo saluo,& reseruato, ꝙ si intra dictum terminum quinque dierum post terminum ad allegandum altera partium causam decidi postulauerit de,vel cum consilio sapientis, tunc iudex assignet vtrique parti terminum vnius diei ad dandum sibi in scriptis suspectos, & confidatos de collegio: quibus sic datis, & assignatis, si partes in aliquem concordauerint confidatum,eidem causa committatur consulenda: quæ sint partes iudicis in causa prædicta. Si autem partes dicta die non concordauerint in aliquem confidatum,vel plures de collegiatis,tunc iudex eligat vnum de confidatis,si existat,vel alium pro libito voluntatis: dum tamen non sit de Aduocatis partium, vel nō sit de numero duorum datorum pro suspectis vltra partiū Aduocatos: qui duo pro suspectis valeant nominari,& non vltra: cui sic electo causam consulendam cōmittat: qui sic electus si intra v. dies post assignationem actorum, & puncti, quæ iudex eidem faciat assignari,consilium suum iudici reddiderit, vel dederit in scriptis, iudex secundum consilium sententiam proferat,causamq. decidat,pœna prædicta. Si verò consilium prædictum intra dictum terminū quinque dierum non fuerit eidem iudici assignatum, ipse iudex nullo alio expectato intra alios v. dies per se ipsum sententiam proferat in scriptis, sub dicta pœna. Et in prædictis iudex salarium consultoris, tunc prout sibi conuenire videbitur,decernere possit, & declarare,& à parte petente causam de sapiētis consilio decidi,deponi faciat tunc cum petit,aliàs si hoc negligit,vel recusat,tali suę petitioni assensus,& audientia denegetur. Ita autem iudex in causa prædicta se habeat, & procedat,ꝙ intra sexaginta dies continuos à die talis libelli exhibiti,vbi in causa præmisso modo consilium peteretur sapientis, vel intra quinquaginta dies cōtinuos à die talis libelli exhibiti,vt supra,quando consiliū tale non petitur,præmissam causam per suam diffinitiuam sententiam expediat,terminet,& decidat,pœna ducentarum lib. deñ. pro qualibet vice, qua contrafecerit in prædictis: & nihilominus eandē causam intra alios xv. dies tunc proximè sequentes per sententiam expedire teneatur,sub alia pęna centū lib.deñ. ipso facto Communi applicanda: de quibus omnibus expresè scindicetur finito tempore sui officij. Adijcientes insuper,quòd si extra Ciuitatē iudex prędictus committeret causam consulendam,quam committere possit,& etiā teneatur,si fuerit à parte postulatum,tunc,& eo casu, quando extra Ciuitatem cōmitteretur,vbi supra dicitur de quinque diebus,dicatur intra xx. dies, & dictus terminus quinque dierum in xx. diebus intelligatur,& interim tempora non currant. Et iudex,quādo committeret causam consulendam, eliciat dubia,super quibus est dissensio,& dubijs elicitis, vnà cum actis, & allegationibus mittat dubia consultori, & secundum consilium proferre debeat sententiam. Hoc autem statuto præsenti semper adijcimus, ꝙ dilationes,& termini antedicti, omnes,& singuli continui intelligantur,& sint. Et in eisdem omnibus, & singulis terminis,ac etiā in terminis præfixis ad terminandū dictas causas per sententiam computentur,& currant omnes,& singuli dies:exceptis ferijs repentinis, quas DD. Priores, & Vexillifer iustitiæ, vnà cū Potestate, vel Capitaneo,vel sine,indicerent ex causa euidenti, quas indicere possint huius statuti auctoritate: & exceptis ferijs messium, & vindemiarū, ac etiā exceptis diebus introductis in honorem Dei,contentis in statuto de ferijs. Et ne partes periclitentur,etiā in diebus feriatis prædictis possit iudex prædictos actus iudiciarios exercere, & actus terminos obseruare,si eidem iusta,aut necessaria causa videatur tale quid obseruandi. ¶ Reo autem,vt pręmittitur, ita citato non comparente in termino suæ primæ citationis, vel in termino sibi dato ad recipiendum libellum per se, vel idoneum responsalem,Iudex eum reputet contumacem, & in talem eius contumaciam, producto coram se libello per actorem, vel eius partem, & præstito per partem dicti actoris iuramento,quòd ea,quæ in libello continētur,vera sunt,& veritatē nituntur,sic procedat: pronunciet quidem actorem, & eius partem fore, & esse mittendum in tenutam, & corporalem possessionem bonorum,& rerum rei sic contumacis ex primo decreto, primò de mobilibus,secundò de stabilibus,tertiò de nominibus debitorum secundum mensuram debiti in libello expressi, & declarati,& pro tertio pluri,& expensis. Et pro præmissis exequendis balium in executorem assignet,& det, & tali casu fides habeatur, & stetur relationi balij referentis se non inuenisse de bonis mobilibus, seu immobilibus,de quibus actorem poneret in tenutam,vt successiuè balij executio de vno rerum, vel bonorū genere ad aliud valeat expediri, & peruenire: nec alia solennitas exigatur. Et prædicta cùm actū fuerit actione personali,vel ea,quæ sapiat naturam ipsius. Si autem actum fuerit reali actione,vel mista, tunc iudex reum in termino vt supra non comparentem reputet contumacem, & in talem eius contu-

maciam

maciam pronunciet actorem fore mittendũ in tenutam, & corporalem possessionẽ rei petitę ex primo decreto,& sibi ad hoc det baliũ in executorẽ. Ad purgandum autem contumaciam antedictã post decretum per Iudicem,& Balium deinde datam talem tenutam, cùm actum fuerit actione personali, vel quæ naturã eius sapiat, reus intra xxx. dies continuos comparere valeat coram iudice, parte aduersa præsente,vel citata,& talem tenutam, vel corporalem possessionem petere reuocari qualibet die, etiã feriata, aliter quàm in honorẽ Dei, vel Sanctorum. Qua petitione etiam verbo facta,refectis per talẽ comparentẽ expẽsis legitimis actori,& pręstito fideiussore idoneo de iudicio sisti,& iudicatũ soluẽdo, & etiã facto deposito talium expensarum de mãdato iudicis, & fideiussore pręstito modo pręmisso,Iudex possit,teneatur,& debeat tenutam,& possessionem reuocare,& reum in statum pristinũ instaurare, atque reponere. Si autem reus talis intra dictos xxx. dies continuos non cõparuerit,neque etiam prędicta fecerit,vt dictum est, Iudex ad petitionem actoris adiudicationẽ,& dationem ex secundo decreto rei,vel rerum prædictarum pro prædictis debito,& tertio pluri,& expensis procedat hoc modo,videlicet ꝙ statuat actori terminum,quem decreuerit conuenire,ad docendũ,& liquidum iudici faciendum de debito sic petito, parte aduersa ad hoc personaliter, vel domi monita, vel citata: quo debito sic liquidato,& probato,citetur reus personaliter, vel domi ad ponendũ, & nominandum vnum æstimatorem talis rei, vel rerum pro sui parte. Qui si cõparuerit, antequàm discedat,per iudicem compellatur ad hoc,vel si recusauerit,ipse iudex pro parte eiusdem æstimatorẽ ipsum nominare, & ponere valeat, qui sit de vicinis talis rei,vel rerum,quẽ ad hoc idoneum reputauerit. Alius autem æstimator pro parte actoris ponatur,& nominetur: quos quidem æstimatores iudex cogere,& cõpellere realiter,& personaliter possit,etiam captis pignoribus,& mulcta indicta, talem rem,vel res æstimare,& de æstimatione sibi eorum medio iuramento fideliter, & sine fraude referre: qua æstimatione sic facta, & relata dicto iudici,vel eius notario Bancharum,iudex ad petitionem actoris talẽ rem, vel res pro dicto debito, & tertio pluri, & expensis reo ad hæc personaliter, vel domi citato, per suam interlocutoriam sententiam det, & adiudicet pleno iure, siue reus cõpareat, siue non. Reseruato eidem reo, suisq. hæredibus iure,& facultate recuperandi,& recipiendi eandẽ rem,vel res post dationem,& adiudicationem prędictam intra sex menses, soluto primò actori de debito, & expen. legitimis antedictis taxatis per iudicẽ sine dicto tertio pluri. Elapsis autem dictis sex mensibus, idẽ reus ad hoc nullatenus audiatur: fructus tamen interim intra dictos sex menses perceptos idem actor,qui tenutã, & possessionẽ meruit ex adiudicatione prædicta,lucrifaciat omnino. Sic tamẽ Iudex in prædictis,& circa prædicta se habeat,& procedat,ꝙ intra quadraginta dies continuos post primum decretum,& tenutã exinde secutam numerandos ad secundum decretum perueniat antedictũ: nisi superuenerit prius tertia persona per se, vel aliũ eius nomine impedire volens præmissam adiudicationẽ ex secundo decreto aliquo iure: quo superueniente,iudex eidem terminum statuat x. dierum continuorum peremptoriè,& præcisè ad docendũ,& probandum,& probatum habendũ de iuribus suis per omnem modum,& speciem probationis,quare ad talẽ adiudicationẽ non possit,nec debeat perueniri. Possit etiam dictus Iudex pro suo libito prædictum terminũ inde ad quinque alios dies proximè sequentes prorogare: quibus decem, seu quinque diebus elapsis, talẽ causam contradictionis intra alios quinque dies proximos per suã interlocutoriã sententiam expedire valeat,& debeat terminare,imponendo tali contradictori silentiũ, vel eum admittendo,prout sibi videbitur fore iustum, sub pœna centũ lib. deñ. de quo debeat scindicari. Post datã autem ex primo decreto tenutam,& executionem per baliũ factam in actione reali, vel mista,modo,& forma superius traditis, si quidem reus intra triginta dies continuos tunc immediatè sequentes cotã Iudice cõparuerit per se,vel alium, suamq. contumaciam purgare, & tenutam, & possessionẽ talis rei recuperare voluerit, tunc Iudex refectis expensis legitimis actori, aut de mandato Iudicis depositis, prout taxauerit,& præstito actori,vel alteri recipienti pro eo legitimè fideiussore idoneo de iudicio sisti,& de parendo iudicatis,præsente,vel citata parte aduersa personaliter,vel domi,& quolibet die feriato,dũ tamen in honorẽ Dei, vel Sanctorũ non sit inductus,tenutam, & possessionẽ reuocet antedictam,& reum reponat in pristinum statum. Elapsis autem dictis triginta diebus, reus talis de,& super possessione nullatenus audiatur: sed intra annum continuum post dictos triginta dies immediatè incipiendũ de,& super proprietate talis rei volens agere audiatur,& vlterius non. Sed talis missus, probato,& fide facta Iudici intra xv. dies post lapsum talis anni,parte citata,vel non, ꝙ talis res ad ipsũ pertineat ex causa in libello ipsius expressa, sit aduersus talem reum,& eius hæredes,& successores pleno iure de,& super dicta re in agendo,vel excipiẽdo munitus, & tutus. Si autem actor prædicta non fecerit intra dictos xv. dies,tunc reus prædictus super proprietate audiatur,vt dictũ est, donec dictus actor

dictam fidem Iudici fecerit: siquidem intra dictos triginta dies, aut postea intra dictum annum comparuerit coram Iudice quæcũque tertia persona per se,vel alium,& ius aliquod in eadem re se habere dixerit,& propterea talem tenutam postulet reuocari,quatenus ad se spectet, aut sibi pro suo iure restitui,vel assignari,seu tali in tenutam existẽti super dicta re silentium imponi,iudex tale quod proponenti,vel postulanti terminum x. dierum tunc proximè futurorum statuat,& assignet peremptoriè,& precisè ad probandum,& probatum habendũ per omnem modum,& speciem probationis,etiã per instrumentum quicquid super inde voluerit, & potuerit:quem terminũ Iudex si voluerit, possit inde ad v. dies alios proximos prorogare:quibus elapsis, intra quinque alios dies secundũ sibi probata causã dirimat,& decidat per interlocutoriam pronunciationẽ,seu sententiam,etiã sine scriptis,sub pęna cẽtum lib. deñ. de quo debeat scindicari. Cùm autem Iudex primũ decretum interposuerit modo,& forma superius traditis in actione porsonali,vel quæ naturã sapiat illius; si quidẽ balius in executionem datus retulerit se non inuenire bona mobilia,vel immobilia,vel nomina debitorũ de bonis talis rei cõuenti,de quibus actori dari valeat tenuta sine controuersia,siue retulerit,ꝙ per tertiã personã possidentur talia bona,tũc Iudex facta tali relatione,immediatè cõmittat duobus balijs Cõis,quatenus de bonis talis rei conuenti mobilibus,& stabilibus,& nominibus debitorũ executionẽ faciant, quæ in controuersia nõ sint,& à tertia persona non detineantur: ad quod faciendum terminũ octo dierũ statuat, & pręfigat:qui balij intra duos alios dies,si qua talia bona rei inuenerint,seu sciuerint,referãt in scriptis,aut si non inuenerint, vel nesciuerint,hoc etiã referant verbo,vel in scriptis,& Iudex citatis possessoribus immediatè pronunciet excussionẽ legitimè factã,& viam apertam esse ad hypothecariam ipsi actori contra bonorũ,& pignorũ possessores,si tales balij retulerint se talia bona rei non inuenire, vel non sufficiẽtia inuenire. Et hoc casu actor cõtra talium bonorum rei,seu pignorũ possessores super hypothecaria actione libellum exhibeat,& alia prosequatur,& seruet, prout superius ordinatè describitur: quæ quidem hypothecaria intra terminos supra præfixos decidi valeat,& debeat,& per sententiã terminari. Cùm autẽ quis contra hæredes suã velit intendere actionẽ; si quidẽ actor hæredes sciuerit nominatos,libellũ exhibeat,& cætera prosequatur vt supra: sinautẽ hæredes ignorauerit nominatos, tunc ad petitionẽ talis actoris iudex fieri faciat generale proclama ad banchum iuris,& ad domũ solitæ habitationis defuncti,ꝙ si quis vult esse hæres talis defuncti,contra cuius hæredes,seu bona agi intenditur,& eius bona defendere velit,compareat in iudicio intra duos dies,si defunctus fuerit habitator Ciuitatis, vel quatuor si fuerit habitator districtus, responsurus de iure tali actori, seu petitori: & tale proclama in scriptis in ostio habitationis talis defuncti per balium affigatur,seu applicetur. Comparentibus autẽ hæredibus dicti defuncti,contra eos procedatur secundum formã supra in comparẽtibus traditã. Non comparentibus autẽ per se,vel idoneum responsalẽ,seruetur forma superius tradita contra contumaces. Cùm autẽ contra pupillos,aut adultos, furiosos, vel alios, qui sub aliena tutela, vel cura regantur,vel regi habent,aliquis suam velit intẽdere actionẽ;si quidẽ pupilli,adulti, vel aliæ personæ prædictæ legitimos habeãt defensores,tunc si appareant, procedatur forma superius tradita in comparentibus: sinautem defensores prædicti non appareant, vel non existant post inquisitionem à iudice super inde factam, tunc iudex nõ apparente defensore saltem post primam citationẽ per octo dies expectato,ex suo officio possit,& debeat tali personæ indefensæ ad illam causam duntaxat prouidere de vno defensore,qui ad hoc nominatus,seu assumptus à iudice defensionem talis indefensæ personę subire cogatur,& causam prosequi secundum supra traditam formam vsque ad sententiam inclusiuẽ: & à die, qua talis defensor pro tali persona in iudicio fuerit, termini causarum, & instantiarum præfixi currere incipiant,& non ante. Talis autem sic assumptus, & nominatus ipso iure habeatur,& sit talis personæ defensor legitimus,& pro legitimo habeatur,nec ad satisdationem aliquam,seu confectionem inuentarij astringi possit,& valeat quoquo modo. Sinautem talis nominatus,& assumptus eandem defensionem subire,& suscipere recusauerit,aut neglexerit quoquo modo contra mandatum iudicis,ipso facto de collegio sit priuatus,& artem,seu exercitium,siue officium procurationis,vel notariatus, siue tabellionatus de cætero non valeat exercere, & si exercere præsumpserit contra hæc, in libr. quinquaginta de facto vice qualibet puniatur. Et eodem modo prouideatur tali personæ de Aduocato per iudicem. Et idem per omnia statutum intelligatur, & sit contra Aduocatum,assumptum, & sic nominatum à Iudice,si recusaret,seu negligeret aduocationem talem assumere, & exequi, prout supra de Procuratore dictum est. Et prædicta omnia, & singula supra in hoc statuto contenta locum habeant,prout statuta sunt in præsenti rubrica in causis maioribus vigintiquinque lib. deñ. In causis verò vigintiquinque libr. vel ab inde infra, iudex ad primum, & secundum decretum contra hæredes,

& contra

& contra bonorum, & pignorum possessores, & ad excussionem etiam, nulla solennitate in prædictis obseruata, procedere possit, & valeat secundum modum, & potestatem secundæ rubricæ huius libri loquentis de summa prædicta: & terminos, & dilationes in causis, & negotijs ciuilibus prædictam quantitatem non excedentibus breuiet, prout placet. Quoniã autem subiectorum fauoribus intendimus, & lites breuiare conamur, statuimus, quòd quilibet Rector Ciuitatis omnes, & singulas lites, & causas dictas, videlicet pupillorum, orphanorum, pauperum, peregrinorum, & miserabilium personarum, quas reputare tales iudicis arbitrio, & consciẽtia relinquimus, ac etiam dotium mulierum, rerum Ecclesiarum, mercedum fabrorum, & laboratorum, ac etiam causas laboreriorum, & operum, cuiuscunque quantitatis, aut æstimationis existant, summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, infra triginta dies continuos à die primæ citationis computandos, audiat, terminet, & decidat in scriptis, vel sine scriptis, pro libito voluntatis, & cum ea potestate, modo, & forma, & sub ea pęna, prout, & sicut in secunda rubrica huius libri de quantitatibus xxv. lib. vel ab inde infra disponitur. Itẽ in causa damni infecti, operis noui nunciatione, & etiam in causis, vel controuersijs, quæ fierent de fluminibus, de terminis, de muris communibus, de itineribus, siue vijs, de aquæductu, de riuis, de tigno iniuncto, de glande, seu fructu legendo, de arboribus in confinio positis, de muro reficiendo, de molẽdinis, de grundis, & subgrundis, de protectis, seu stillicidijs, de fenestris, de aspris, de pontibus, de foueis reficiendis, de sequestris fiendis, eorumq. occasione, & de alijs quibuscunque similibus, quæ iudicare similia iudicis arbitrio relinquatur, de vsufructu, vsu, habitatione, de superficiebus, de cursu aquarum, & similibus, & generaliter de omnibus, & singulis seruitutibus realibus, & personalibus, qui bus Rector, & Iudex, coram quo de prædictis, aut eorum aliquo quæstio, seu querimonia, aut requisitio fieret, procedere, cognoscere, & terminare possit, & debeat summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, ac etiam terminis, siue solennitatibus iuris, & statutorum non seruatis, & sine aliquo processu, & si ei videbitur, sola facti veritate, seu informatione habita, inspecta, & considerata. Et possit, si ei expedire videbitur, prædicta oculis inspicere, & partes, inter quas de prædictis quæstio orta fuerit, vel controuersia, cogere ad faciendum compromissum in vnum, vel plures de iure, & de facto coniunctim, & diuisim, ac etiam magistros eligere ad vidẽdum prædicta, & ad referendum iudici secundum peritiam artis suæ: quæ partes si neglexerint, aut recusauerint compromittere, aut etiam magistros eligere ad referendum de prædictis secundum peritiam artis suæ, Iudex ipse, seu Rector magistros, seu arbitros in hoc eligere, & adhibere possit, & cum eis, vel eorum altero ad hoc adhibitis, vel sine, talem controuersiam, vt prædicitur, terminare. Et quicquid in prædictis, vel circa prædicta Iudex decreuerit secundum relationem, vel consensum talium arbitrorum, seu magistrorum, in casu in quo assumpti fuerint, vel ipse solus deficientibus ipsis, huius statuti auctoritate valeat, & teneat, etiam si super inde processus non interuenerit, vel scriptura, nec quoquo prætextu, modo, vel causa valeat retractari. Sic tamen Iudex se habeat in prædictis, quòd infra triginta dies continuos à die querelę, seu requisitionis inde factæ talem controuersiam, pœna centum lib. dẽn. debeat terminasse, Statutis in prædictis minoris temporis metas imponentibus in sua firmitate mansuris. Insuper volumus, quòd in dilationibus, & terminis supradictis, vel alijs quibuscunque dilationibus dandis per aliquem Rectorem, vel Iudicem Cõmunis Firmi, si vltima dies dilationis, vel termini caderet in diem feriatam, sequens dies iuridica intelligatur, & sit de dilatione, & termino supradictis. Adijcientes insuper pro expeditione causarum ciuilium, quòd Collateralis D. Potestatis, Capitanei, & Iudex iustitiæ, & omnes alij officiales præfatæ Ciuitatis, & comitatus iurisdictionem habentes teneantur præcisè, & determinatè seruare terminos, & dilationes statutarias, tam in procedendo, quàm in expediendo, & terminando dictas ciuiles causas. Et nullo modo possint dictos terminos statutarios prorogare, aut alios, nec disponere vltra dispositionem statutorum, sub pęna, & ad pœnam in statutis contentam: & vbi non esset pœna determinata, incidant in pœnam vigintiquinque lib. deñ. ipso facto, si contrafecerint, auferendarum: non obstante quocunque stylo, siue consuetudine hactenus in Curia seruatis. Et Procuratores non possint, nec debeant de eorum voluntate in causis ciuilibus petere, quòd supersedeatur in quacunque parte iudicij, & in quacunque causa, tam principali, quàm appellationum, sub pœna, & ad pœnam vigintiquinque lib. deñ. tam iudici, quàm Procuratoribus contrafacientibus, pro quolibet ipsorum, & qualibet vice, de facto soluendarum, & auferendarum, sine præsentia, consensu, & voluntate principalium. Et si secus factum fuerit, ex nunc sit nullum, & non teneat ipso iure quoquo modo.

De interrogationibus in iudicio faciendis,& de his, quæ ad fundamentum futuri iudicij tendunt. *Rub. 4.*

QVia sæpe antequàm iudicium ordinetur, opus est interrogationes, & responsiones nonnullas in iudicio fieri, ac etiam aliquid præcedere ad futuri iudicij ordinationem, vtputa in rei vendicatione,in iudicio familię hęreiscundæ,communi diuidendo pro socio,& si quis quemquam vt hæredem conuenire voluerit,aut contra bona, seu in bonis cuiuscũque defuncti ius aliquod petere,vel se habere diceret,aut ad exhibendũ agere,vel his similibus:statuimus,& ordinamus,quòd Iudex,seu Rector quilibet Ciuitatis super inde petitus,seu requisitus,ad petitionem petentis,seu requirentis teneatur,& debeat interrogationes facere opportunas, seu congruas in, & super præmissis, & similibus, & partem requisitam ad respondendum cogere respondere summariè, simpliciter, & de plano,sine strepitu,& figura iudicij,& de facto, personaliter etiam, si ei videbitur, præstito tamen per talem petentem,seu requirentem calumniæ iuramento. Ac etiam teneatur,& debeat alia facere,& ordinare Iudex,siue Rector prædictus,quæ in prędictis,vel eorum aliquo necessaria fuerint,aut etiam opportuna. Et non possit idem Iudex,seu Rector statuere,nec etiam pars obtinere dilationem,seu inducias ad deliberandum in aliquo ex prædictis vltra decem dies. Sic tamen Iudex se habeat in prędictis, quòd terminum,videlicet quindecim dierum,ad imponendum finem,& terminum tali negotio, pęna centum lib. deñ. vllatenus non excedat. Hoc autem statutum,& ordinatũ esse volumus, & prouisum, quòd responsio,seu alia,quæ fierent in prædictis,aut eorum aliquo, quò ad alias res, aut ad alias personas,aut negotia,præiudicium aliquod tali respondenti,seu aliud in prædictis opportunum, seu necessariũ facienti,nullatenus generent,seu valeant generare.Si quis autẽ in prædictis,vel eorũ aliquo mandatis Iudicis,vel Rectoris interrogantis,vel aliter disponentis in aliquo ex prædictis cõtumaciter parere, seu obedire recusauerit post mandatum, seu requisitionem Iudicis de eo, in quo interrogatus fuerit,seu aliàs sibi iniunctũ,auctoritate statuti huius habeatur,& haberi debeat pro cõfesso. Nec cõqueri debeant interrogati,seu moniti, siue iussi respondere, vtrũ hęredes existãt,cũ etiã incontinenti, & immediatè ex inuentarij cõfectione possit eis esse consultũ, ne supra vires hæreditarias teneantur.

De ferijs. *Rubr. 5.*

IN causis,negotijsq. ciuilibus,quæ vertentur in Curia Potestatis,aut Capitanei, Iudicis iustitiæ,& appellationum, vel in Curia Consulum Mercatorum Ciuitatis Firmi,dies dicti sint feriati,videlicet dies Natiuitatis D. N. Iesu Christi cum septem præcedentibus, & septem post tertiam diem sequentibus:Dies Kal.Ianuarij:Dies Epiphaniæ cum duobus diebus sequentibus·Dies Carnispriuij cum vno die præcedenti,& vno sequenti:Dies Paschatis Resurrectionis cum septem præcedentibus,& septem post tertiam diem sequentibus: Dies Ascensionis Domini: Dies Paschatis Pentecostes cũ duobus sequentibus: Dies festi Sanctissimi Corporis D. N. Iesu Christi: Dies Assumptionis Beatæ Mariæ virginis cum septem diebus præcedentibus, & septem sequentibus :Dies omnium festiuitatum virginis Mariæ: Dies Concęptionis virginis Mariæ : Omnes dies Dominici: & dies Veneris,& Sabbathi post nonas omnes per totum annum : Dies omnes principales festiuitatum omnium Apostolorum,& Euangelistarum : Quatuor Doctorum Ecclesiæ: Dies omnes festiuitatum Beati Ioãnis Baptistæ: Dies Beati Laurẽtij: Dies Beati Nicolai:Dies Beati Stephani: Dies Beati Martini:Dies Diui Augustini:Dies Beati Francisci: Dies Beati Dominici: Dies Beati Michaelis Archangeli : Dies Sancti Angeli: Dies Sanctæ Catherinæ: Dies Beatæ Luciæ:Dies Beatæ Margaritæ : Dies Beatæ Mariæ Magdalenæ: Dies festi omnium Sanctorum:& dies sequens,quo celebratur officium Mortuorum: Dies Beati Petri martyris : Dies Beati Sauini : Dies Beati Abbatis Adæ: Dies Beati Bernardi : Dies indulgentiæ Beati Martini in Varano decimaquarta Octobris : Dies festi Sanctæ Crucis : Dies Beatæ Annæ : Dies Beati Claudij: Dies Beati Antonij de Vienna: Dies Beati Saluatoris: Dies secunda Iunij,in memoriam exterminationis sæuissimi tyranni D. Raynaldi de Monte Viridi, memoriæ maledictæ : & dies Concionum,Cernitæ, & Concilij, quæ mane ante prandium fiunt, feriati sint, & vesperi agantur causæ, si tempestiuè finiantur Conciones: & tunc iuridicè sedeant Iudices,& tempore Rogationum,siue processionum reddatur ius de sero. Feriæ autem Messium sint, & durent quolibet anno à festo Beati Petri de mense Iunij vsque ad Kal. Augusti,& à Kal. Augusti vsque ad Kal. Septembris sint feriæ Nundinarum Firmanæ Ciuitatis. Feriæ verò Vindemiarum incipiãt à Kal. Octobris,& durent vsque ad finem Octobris. Item omnes dies,quibus ex probabili causa indicerentur feriæ repentinæ,sint feriati. In causis autem,& negotijs duntaxat,in quibus secundum dispositionem statuti po-

siti in Rubr. tertia, seu titulo libri huius, vel secundum dispositionem tituli præcedentis, procedi potest, vel cognosci simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, neq; messium, neque vindemiarum, neque repentinarum ferię supradictæ vendicent sibi locum: saluis etiam semper casibus, in quibus expresse disponitur de causis dictarum feriarum tempore agitandis, in quibus causis prædictæ feriæ nullo modo obstent. In causis verò, seu negotijs criminalibus cognosci valeat, & procedi, ac etiam sententiari, & diffiniri per sententiam quibuscunque diebus, etiam in honorem Dei inductis, seu feriatis. Nec possit cōtra processus, cognitiones, vel sententias criminales aliquid excipi, obijci, vel opponi, nec ab ipsis appellari, seu reclamari, vel de nullitate opponi, nec cōtra querelari, vel supplicari eo prętextu, causa, vel colore, quod actus facti, seu lati, aut acta facta, seu lata fuerint diebus, aut temporibus feriatis. Nullus autem Rector, officialis, vel Iudex Ciuitatis aliquam sententiam absolutoriam vltimis decē diebus sui officij ferre, seu proferre in criminalibus causis, vel negotijs possit, seu valeat quoquo modo; immo tales sententias absolutorias ferendi, seu proferendi ijsdem decem diebus sit eis facultas penitus interdicta, & negotium ex integro terminetur.

De summaria cognitione in causis forēsium, & de damno reficiendo damnum passo per reprasalias. Rub. 6.

OMnes, & singulas causas ciuiles, & negotia, quæ vertentur inter forenses, & Ciues, seu districtuales Firmanos, aut etiam inter forenses adinuicem, Rectores Ciuitatis, eorumq. Iudices cognoscere, diffinire, & terminare teneantur, & debeant summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, omni tempore, exceptis diebus feriatis in honorem Dei, & etiam sine libello litis contestatione, & iuramento calumniæ, & iuris solennitatibus non seruatis, sola facti, siue negotij veritate inspecta, intra viginti dies continuos à die causæ, seu controuersiæ in iudicio deductæ, vel motæ. Et causam, & negotium terminatum, seu quicquid statuerint, seu decreuerint, teneantur, & debeant ad petitionem partis exequi, & executioni mandare de facto, & etiam omni solennitate, & substantialitate omissa, sola facti veritate reperta, realiter, & personaliter, coniunctim, vel diuisim, prout parti placuerit, contra principales personas, & eorū bona, si sint masculi: contra hæredes verò principalium, vel successores eorum, ac etiam contra fœminas, quàmuis principales, realiter tantùm. Volumus autem, quod nullus forensis, seu non subiectus iurisdictioni Communis Firmi in ciuili, vel criminali causa, vel negotio contra Ciuem, vel districtualem Firmanum aliqualiter audiatur, nisi primò fideiussores præstiterit de reficiendo Ciui, vel districtuali expensas in casu in quo succubuerit, ac de iudicio sisti, & iudicatum soluendo, si à tali Ciue, vel districtuali fuerit reconuentus, seu in causa reconuentionis. Et si dictos fideiussores præstare nequiuerit, quod iudicis arbitrio relinquatur, tunc si quid præstare teneretur talis Ciuis, seu districtualis eidem forensi, seu non subiecto, qui se asserat talem Ciuē, vel districtualem prædictum conuenire velle, totum id sic præstandum ad mandatum iudicis deponatur penès aliquem mercatorem Firmanum à iudice nominandum; mansuro quidem tali deposito per terminum iudicis arbitrio statuendum Ciui, vel districtuali antedicto ad probandum de eo, quod in iudicio recōuentionis, quam facit, seu facere vult de eo, Ciuis declarauerit, & expresse dixerit forensem sibi præstare, seu soluere debere, & vsque ad finem super hoc imponendum. Quo negotio finito, tale depositum restituatur, si Ciuis, vel districtualis prædictus non probauerit quod prætendit. Adijcientes, quod pro debitis inter forensem & forensem, extra Ciuitatē, & eius comitatū, & districtum cōtractis, factis, & obligatis ante eorum aduētum, habitationem, moram, & domicilium in ipsa Ciuitate, comitatu, & districtu nō possint Potestas, Capitaneus, & alij officiales Ciuitatis, & comitatus cognoscere, audire, & iustitiam ministrare; sed ipsis officialibus sit penitus denegata potestas, auctoritas, & iurisdictio in dictis causis dictorū forensium; quibuscunque in contrariū facientibus nō obstantibus. Itē si quis Ciuis, habitator, seu districtualis Firmanus occasione repręsaliarū cōcessarū cōtra Ciues, habitatores, seu districtuales Firmi, propter debitū alicuius Ciuis, habitatoris, seu districtualis Firmi, vel eius occasione damnū aliquod passus fuerit; ille, propter quē, vel cuius occasione tale damnū contigerit, seu habitum fuerit, de facto realiter, & personaliter ipsum reficere, & resarcire patienti integrè teneatur.

De causis inter Ciues, & comitatenses in Ciuitate terminandis. Rubr. 7.

OMnes lites, & causæ cuiuscunque generis inter Ciuem, vel habitatorem Ciuitatis Firmi, & districtualem, vel comitatensem Firmanum, seu ibi habitatorem actiuè, seu passiuè fiendæ, seu agitandæ, volumus, & statuimus, quòd in Ciuitate, & foro Firmi debeant agitari, & fieri pactis, seu conuentionibus aliquibus inter Commune Firmi, & homines de aliquibus Castris

comitatus eiusdem initus, seu factis, non obstantibus quibuscunque; quæ quidem, quoad Ciues, vel habitatores prædictos,trahi,seu intelligi nolumus vllo modo. Quod autem aliter factũ fuerit,non teneat ipso iure,& officiales Ciuitatis,sub pœna ducentarum libr. deñ. & vinculo iuramenti, statutum præsens obseruare teneantur omnino.

De testibus,& eorum examinatione. *Rub. 8.*

TEstium examinationem Iudex ipse personaliter faciat,& non alius,si quęstio,super qua testes examinantur,fuerit quinquaginta lib. deñ. vel ab inde supra. Si verò quæstio fuerit à quinquaginta lib. intra, tunc ipse faciat, aut faciendam duobus notarijs Ciuitatis Firmi partibus non suspectis committat,& committere valeat. Ita autem examinatio fiat,quòd testes sui dicti,seu testimonij rationem reddant:& qualibet attestatio cum ratione prædicta redigatur in scriptis. Caueant autem examinatores testium,eorumq. dicta scribentes,ne dictum,seu testimonium testis redigãt, aut redigi faciant in scriptis per hæc verba,dixit vera esse cõtenta in articulo,positione,petitione, seu intentione:sed immo longè,& extensè,atque seriatim quantum se scire dixerit,& prout testificatus fuerit,eius testimonium admittatur,& seriatim scribatur,pœna x. lib. deñ. cuilibet contrafacienti, & pro qualibet vice:& nihilominus testimonium contra huius statuti dispositionem prohibitum, seu receptum nullius firmitatis existat: & iudex ante publicationem attestationum in & super hoc animaduertat. Habeant etiam Rectores,& Iudices in ciuilibus, & criminalibus, seu mistis causis auctoritatem, & potestatem cogendi quoscunque realiter,& personaliter,& alijs remedijs iuris,cum mulctæ impositione ad testimonium perhibendum de facto,& etiam sine processu,vt eis videbitur conuenire.

De confessis. *Rubr. 9.*

SI quis purè in iudicio confessus fuerit aliquid se debere,seu intentionem aliquã partis aduersæ,non aliæ sint partes iudicis,quàm in faciendo præceptum confitenti de soluendo intra decem dies proximos, aut etiam condemnando confitentem, vel contra ipsum pronunciando, prout eidem videbitur conuenire. Si quis autem cum aliquo admisto, aut sub exceptione aliqua, vel cum aliquo adiũcto confessus fuerit in iudicio,iudex eidem pręceptũ faciat, q soluat intra dictũ terminum decẽ dierum,vel ipsum condemnet, seu cõtra ipsum pronunciet,vt præfertur,reseruata eidem potestate probandi, & probatum habendi conditionem admistam, exceptionem, seu adiunctũ prædictũ intra terminum decẽ dierum prædictum precisè,& peremptoriè. Quod quidẽ si probatum fuerit,tale iudicis præceptũ, siue dispositio, vel sententia antedicta nullius valoris existat,sed perinde sit,ac si factũ non esset. Si autẽ probatũ non fuerit tale quid,tale præceptũ,sententia,vel dispositio firma permaneat,& per iudicẽ ex ipsius officio ad requisitionẽ partis realiter, seu personaliter, elapso dicto termino,execurioni mãdetur intra quinque dies proximos sequẽtes, aut etiã postea ad petitionẽ partis,nisi intra dictos quinque dies pars cõfessa docuerit iudici de pacto de nõ petẽdo,seu de solutione super inde facta,aut de transactione secuta: quo casu de prædictis interueniente,cõfessus à iudice absoluatur.

De partitis, & iureiurando. *Rub. 10.*

IN omnibus,& singulis causis,negotijsq. ciuilibus, exceptis illis,de quibus constat publico instrumento, si actor stare voluerit iuramento rei,vel è conuerso de,& super petitione, vel intentione ipsius de veritate super inde dicenda;iudex teneatur,& debeat partitum reo facere, quòd aut iuret,& clarè super inde respondeat eius medio iuramento,aut deferenti referat. Et si is,cui iuramentum delatum est,iurauerit;iudex eius iuramentum sequi teneatur omnino,prout clarè iuratũ fuerit,etiam sine aliqua solennitate processus. Sinautem ipse iurare recusauerit,siue noluerit;tunc iudex deferenti prædicto referat iuramentũ:& prout per ipsum iuratum fuerit,iudex statuat,& exequatur;saluo semper,& reseruato in quolibet casu prædictorum, quòd præstito tali iuramento pars aduersa habeat facultatem,atque potestatem probandi contrarium eius,quòd iuratum fuerit, & partem talem iurantem redarguendi de periurio intra octo dies continuos tunc proximè sequentes, intra quos testes iurasse,& deposuisse debeant,& quæcunque alia probatio,quæ super inde prætenderetur,facta esse debeat. Et siquidem ex talibus probatis constiterit iudici,eum qui iurauerit deierasse,siue periurum fuisse;tunc tale iuramentum nullatenus obsit parti aduersæ,neque obfuisse intelligatur:& nihilominus ille,qui sic deierauerit, seu periurus fuerit, aduersę parti ad expensas, & interesse,& Communi in decem lib. deñ. etiam si postulatum non fuerit,condemnetur. Et ad probandum,& redarguendum

de periurio,

de periurio,vt præfertur,nulla petitio,nullaq. litis contestatio, neque solemnitas aliqua exigatur, sed sola intentio partis porrigatur,deinde probatio fiat vt supra. Et prædicta omnia,& singula locum habeant in causis,& negotijs excedentibus summam,seu ęstimationem quadraginta sol. In causis autem non excedentibus summã,seu ęstimationẽ quadraginta sol. de periurio, seu contra iuramentũ,nullatenus quæratur,nec attendatur,an debeatur,vel non,nec etiã aliud,nisi solũ an iuratũ fuerit:& hoc casu iuramenta plenissimã obtineãt firmitatẽ,nec de periurio circa præmissa quæri valeat,vel cognosci.

De causis, & litibus potentiorum. *Rub. 11.*

NE propter alienam potentiã alterius ius lędatur,statuimus,quòd si quis de Ciuitate,vel districtu Firmi ab aliquo potentiori clerico,vel layco in eius possessionibus, vel iuribus vexatus, aut turbatus fuerit iniustè,Potestas,vel Capitaneus,eorumq. officiales ipsum modis,& remedijs omnibus opportunis defendant, & gubernent in iuribus suis, & tali potentiæ obstent. Sed si quis propter paupertatem non sufficiat ad resistendum tali potentiæ,eidem per Cõmune Firmi ad hęc ministrentur expensæ,pęna centũ lib. den.& vinculo iuramenti Rectori,qui hoc neglexerit obseruare.

De executione publici instrumenti, & scripturæ priuatæ. *Rub. 12.*

SI quis in iudicio aliquod instrumentum publicum non guarentisiatum,seu guarentisiatam executionem per modum guarentisiæ non merens produxerit,ipsumq. contra principales personas,vnam,vel plures in eodem instrumento descriptas,vel earum hæredes,seu successores petierit,seu requisierit executioni mandari occasione debiti,vel alterius rei contentæ in ipso,cui conditio,vel modus non sit adiectus,vel si sit adiecta,purificata extiterit,vel modus impletus; Iudex ad petitionem illius producentis,seu cuius interest,executionem eiusdem instrumenti faciat hoc modo,videlicet quòd citari faciat partem aduersam, quòd intra terminũ, de quo ei videbitur,quinque tamen diebus non maiorem, compareat in iudicio satisfacturus petitori occasione publici instrumenti prædicti contra eum producti,vel ad dicendum causam quare instrumentum productum non debeat executioni mandari: quòd si comparuerit,& terminum ad opponendum contra instrumentum prædictum petierit,iudex ei assignet terminum decem dierum ad opponendum contra ipsum,vnam,vel plures de exceptionibus dictis,videlicet falsitatis,solutionis,pręscriptionis,quietationis,& pacti de non petendo, simulationis,necnon & debiti vsurarij,videlicet illam, vel illas, quam, seu quas probare se velle asseruerit,cùm tale instrumentum postulet sibi dari: intra quem terminum probare, & probatum habuisse debeat precisè, & peremptoriè exceptionem aliquam, vt præfertur. Quo quidem decem dierum termino elapso,iudex publicet,& aperiat processum: in qua publicatione terminum quinque dierũ assignet ad opponendum contra obiecta,& producta,seu probata contra dictum instrumentũ,& ad probandum,& probatum habendum intra eundem terminum. Quo quidem quinque dierum termino elapso,Iudex non expectata, seu admissa probatione alia, si quidem reus defecerit in probatis, tale instrumentum realiter tantùm exequatur,& exequi faciat per res,& bona debitoris in eodem instrumẽto descripti,eiusq. hæredis,& successoris,sine aliqua solennitate: deinde secundũ formam,& modum traditum in tertia rub. huius libri ad vlteriorem executionem procedat. Si verò reus in defensionem suam contra dictum instrumentũ in termino decem dierum prædicta probauerit legitimè,tunc iudex tale instrumentum non exequatur,sed sua pronunciatione interlocutoria exequendum non esse declaret: & in quolibet ex casibus antedictis victum victori condemnet in expensis. Reo autem,vt præmittitur,citato non comparente in termino citationis,iudex ad dationem,& concessionem tenutę eiusdẽ instrumẽti vigore procedat,deinde cętera prosequatur, prout in tertia rub. libri huius continetur. Si quis autem priuatam scripturam,seu apodissam manu debitoris prætensi scriptam, vel etiã non scriptam eius manu, sed tamen ab ipso subscriptam,aliquid purum, seu purificatum continentẽ in iudicio produxerit,ipsiusq. executionem petierit,tali ordine procedatur,videlicet ꝙ reus ex cõmissione iudicis citetur,ꝙ intra terminum,non tamen maiorẽ quinque dierum, in iudicio ad recognoscendũ scripturam,seu apodissam sic scriptam,vt supra productã,personaliter compareat: quo comparente personaliter,iudex eidem præcipiat,ꝙ recognoscat,si apodissa,vel scriptura producta fuerit scripta, vel sub scripta manu ipsius:qui si confitetur,iudex ipsi præcipiat,quòd intra terminum decem dierũ proximorum soluisse,& satisfecisse debeat creditori; reseruato eidem iure quòd intra eundem terminũ probare valeat illã,vel illas de exceptionibus supradictis,quã sibi cõpetere asseruerit: qui si intra dictũ terminũ probauerit,& probatã habuerit defensionẽ suam, tale pręceptũ sit inefficax, & nullius valoris.

Elapso autem dicto termino decē dierum, intra quem non fuerit apposita, seu etiā probata defensio antedicta, tale pręceptum firmū remaneat, & ad vlteriorem realem executionem per res, & bona debitoris, seu eius hęredum, vel successorū procedatur secūdum ordinē traditum in tertia rub. libri huius. Si verò reus negauerit apodissam, seu scripturā præmissam manu eius scriptam, vel subscriptā fuisse; tunc iudex intra tertiam diem post talē negationem fieri faciat comparationem litterarum cum scripturis dicti debitoris, & etiam faciendo ipsum reum scribere, vel etiam quocunque alio modo, prout ei videbitur, faciendo, seu ordinando, vt super inde veritas elucescat: & si iudici constiterit debitorem super hoc dixisse mendacium, eundem cogat realiter, & personaliter, prout videbitur, ad soluendum, seu satisfaciendum actori, non auditis aliquibus iuribus, exceptionibus, seu defensionibus eiusdē rei, quibus propter suum mendacium volumus esse priuatum: & nihilominus iudex talem reum mendacē in lib. centum deñ. de facto, & sine processu aliquo puniat eo ipso. Si autem reus non per se, sed per suum responsalem comparuerit, tunc iudex tali comparenti terminū trium dierum statuat ad faciendum comparere principalem ad cognoscendum vt supra; qui si comparuerit, secum procedatur, & fiat vt supra: si autem non comparuerit principalis in termino antedicto, tunc iudex iterato tali responsali alium terminum eius arbitrio moderandum statuat, & assignet peremptoriè, & præcisè ad idem: qui principalis si comparuerit, secum procedatur vt supra: si autē non comparuerit in termino antedicto, iudex interlocutoriè pronunciet, apodissam, seu scripturam præmissam pro recognita, & confessata habendam fuisse, & esse, & ipsam pro tali habeat: deinde contra reum ad vlteriorem executionem realē procedat, vt in supradicta rub. tertia continetur. Sinautem scriptura, vel apodissa priuata quis vti voluerit contra hæredes debitoris, vel rei, vel aliam tertiam personam; tunc non procedatur prædicta via, sed ordinaria supra in tertia rub. huius libri tradita. Et supradicta de apodissa, seu scriptura priuata locum habeant, siue sit notata, seu subscripta testibus, siue non. Ita autem iudex in prædictis procedat, quòd negotium, seu causam terminet in prædictis intra xxx. dies continuos à die productionis instrumenti publici, vel scripturę, seu apodissæ priuatæ numerandos, sub pœna centun lib. deñ. nisi in casu, quando ille, qui talem scripturam, seu apodissam scripsisse, seu subscripsisse dicitur, sit absens à Ciuitate Firmi, eiusq. districtu, & de hoc quidē iudici legitimè constiterit: quo casu iudex indulgendi maiores inducias suo arbitrio habeat potestatem. Adijciētes insuper, quòd scriptura facta manu propia debitoris cum duobus testibus subscriptis, facta recognitione vt supra, executionem paratam habeat in omnibus, & per omnia, ac si esset instrumentum guarentisiatum.

De executione instrumenti guarentisiæ. *Rub. 13.*

QVicunque se obligauerit alicui ad aliquid dandum, vel faciendum, & notario publico inde rogato, & per eundem instrumento publico super inde confecto scripta fuerint hæc verba, videlicet Ego notarius infrascriptus pręcepi dictis partibus, siue debitoribus, vt prędicta omnia obseruent per modum guarentisiæ, vel similia, seu æquipollentiā verba, guarentisiæ tamen præceptū continentia; Potestas, & Capitaneus, eorumq. iudices coniunctim, & diuisim teneātur, & debeant, viso instrumento guarentisiæ prædicto, eiusq. forma, ad petitionem creditoris, vel eius hæredum, seu successorum, seu alterius ius tale habentis ratione cuiuscunque pecuniæ, vel rei de contentis in tali instrumēto, sine aliqua citatione, vel requisitione fienda de debitore, vel reo in ipso nominato, quolibet tempore, etiam feriato, licet etiā in honorem Dei inducto, exceptis diebus Natiuitatis Dñi, Kal. Ianuarij, Epiphaniæ, Resurrectionis D. N. Iesu Christi, Beati Bartholomei Apostoli, Penthecostes, Assumptionis B. Mariæ, eiusq. vigilijs, & die S. Petri, & Pauli Apostolorum, tale instrumentum executioni mandere realiter, seu personaliter, prout tali petenti placuerit, principalem debitorē, seu reum in eo nominatum, seu constitutum ipsum capiendo, & in palatio, vel carceribus detinendo ad voluntatem creditoris, vsque ad satisfactionem condignam: dummodo à die pręcepti guarentisię lapsi sint decem dies: qui notarius statuti huius auctoritate tale præceptum faciēdi plenissimam habeat potestatem. Liceat autem tali debitori, seu reo capto præstare fideiussores idoneos de nō discedendo de palatio Rectoris, quousque satisfecerit creditori prædicto; quos si præstiterit, in palatio detineatur, & in carceribus nō ponatur, ad voluntatem tamen creditoris. Et si dictus captus de palatio discesserit ante satisfactionē prædictam, illa executio, & eadem forma, & modo fieri debeat contra tales fideiussores, quæ contra ipsum captū fieri debuit, siue potuit, quousque eidem creditori cū effectu fuerit satisfactū, vel eidem creditori expresè placuerit licentiam cōcedere fideiussoribus, vel reo prædictis. Et quæ supra dicta sunt de executione personaliter fienda vigore instrumenti guarentisiæ, locum non habeant vllo modo con

tra

tra fęminas,nec etiam contra hæredes descriptorũ in tali instrumẽto,sed sola realis executio vendicet sibi locũ. Volumus etiam,ꝙ si petens executionẽ instrumenti guarentisię elegerit contra reum,seu debitorẽ in instrumento contentum executionẽ realem,seu in bonis ipsius, aut etiã contra hæredes rei, vel contra fęminã,etiam principalem,petita fuerit executio instrumẽti prædicti,ꝙ tunc prædicti Rectores,eorumq. Iudices executionẽ realẽ faciãt,& facere teneãtur, & debeãt summariè,simpliciter,& de plano,sine strepitu,& figura iudicij,sine libello,litis cõtestatione,iuramento de calumnia,& omni solẽnitate,& substãtialitate iuris omissa:dum tamen semel notificet tali debitori,vel reo,saltẽ domi ipsius habitationis,tenutã de bonis suis fore acceptã:qua denũciatione facta,iudex suo libero arbitrio, sine aliqua citatione, vel requisitione debitoris,vel rei prædicti possit,& debeat ad petitionẽ petentis talẽ executionẽ instrumenti guarentisiæ eidẽ concedere in solutũ,& pagamentũ pro quantitate in tali instrumento contenta,vel etiam pro interesse creditoris,vbi quantitas in eodẽ instrumẽto non reperiretur expressa secundũ ęstimationẽ fiendã de tali re in tenutã accepta per duos ęstimatores de proximioribus vicinis rei acceptę in tenutã ad hoc per iudicẽ eligẽdos,& deputandos,nisi partes cõcordauerint de eis eligendis,& deputãdis.Et si in tali instrumento cõtineretur,ꝙ debitor,seu reus deberet dare,vel tradere tali petenti,vel illi,cuius iure nititur,aliquam rem mobilẽ,siue se mouentem,vel stabilem, seu immobilem;tunc iudex teneatur,& debeat de facto,modo,& forma prędictis ponere petitorem in corporalẽ possessionem talis rei in instrumento contentæ:qui sic missus,& positus in re prædicta in instrumento contenta,ac etiam generaliter missus in possessionem in bonis sui debitoris ex instrumento antedicto,pro debito in eo contento,de licentia iudicis super inde requisiti, sit perpetuò tutus super tali re,in qua sic missus fuerit,& super ea per Curiam Communis Firmi perpetuò defensetur,omni exceptione remota,aduersus debitorem in eodem instrumẽto descriptum,eiusq. hæredes,& successores duntaxat:& de cætero talis debitor, siue reus ad recipiendum bona , & res pręmissas nullatenus audiatur. Volumus insuper , quòd vigore instrumenti guarentisiæ antedicti sit facultas, producto instrumento guarentisiæ de quo supra dicitur,contra personas superius inscriptas,vtendi executione reali,& personali,coniunctim,& diuisim: nec vna electa impediatur,nec sibi via præcludatur eligere aliam, & prius electã dimittere;immo possit pro voluntatis libito variare, donec de contentis in tali instrumento sibi fuerit integrè satisfactum: & contra tale instrumentum non possit nominatus in eo, seu eius hæredes, vel successores,per se,vel alium eius nomine opponere,vel opponi facere, nisi exceptiones dictas, vel alteram de eis,videlicet falsitatis,solutionis,quietationis,seu pacti de non petẽdo: quæ opponi,& probari possint, & debeant per captum vigore dicti instrumenti, vel alium suo nomine intra decem dies à die capturæ nominandos: dummodo tamen interim persona capta nullatenus relaxetur. Et si per probationem alicuius ex dictis exceptionibus apparuerit,ꝙ aliquis iniustè capi fecerit aliquem vigore talis instrumenti,ille qui sic capi fecerit, tali capto expensas omnes , quas huiusmodi occasione fecerit, integrè reficere de facto compellatur : & nihilominus de facto, & sine processu aliquo talis faciens sic capi poenæ nomine centum libras deñ. per iudicẽ soluerẽ compellatur; cuius poenæ medietas sit Cõmunis,& alia sit capti . Et suprascriptæ exceptiones duntaxat,vel earũ aliqua opponi possint, etiã vbi realis executio vigore instrumenti guarentisię fuerit facta,seu petita;dũ tamen intra x. dies à die productionis instrumẽti,siue à die acceptę tenutæ vigore dicti instrumenti opponi debeat,& probari;quę per principalẽ comparentẽ opponi possit,& non per aliquẽ alium eius nomine,nisi prędictus grauiter ęgrotaret,aut aliqua vrgenti necessitate esset absens,quod probari debeat duobus testibus fidedignis; tũc,& eo casu possit opponi per aliũ principalis noĩe.Quisquis autẽ aliquã de dictis exceptionibus aduersus tale instrumentũ guarẽtisiæ,seu eũ,qui illud produxerit,opposuerit,& nõ probauerit,vt pręfertur,in lib.xxv.deñ. de facto sine processu aliquo puniatur,quarũ medietas applicetur actori, alia verò Cõi. Aliæ autẽ exceptiones,oppositiones,siue defensiones similes,vel alię,cuiuscũque generis sint,opponi,vel admitti nõ possint,neq; valeãt vllo modo,neq; etiã iudicis officiũ implorari,vel cõcedi possit vllo modo aduersus tale instrumentũ,vel ipsum per se,vel aliũ producentẽ, sub colore,vel prætextu alterius defensionis,oppositionis,seu exceptionis similis,vel dissimilis supra expręssis . Neque beneficiũ cessionis bonorũ aduersus tale instrumentũ guarẽtisię impetrari,vel peti,neq; etiã admitti,vel recepi valeat vllo modo. Et pręsens statutũ in omnibus,& per omnia prædicti Rectores, & eorum iudices obseruare,& obseruari facere teneãtur,poena centum lib.deñ. pro quolibet contrafaciente,qualibet vice imponenda,& demum de ipsorum salario retinenda. Adijcientes insuper, quòd cessionarij in omnibus,& per omnia in instrumentis guarentisiæ habeant executionẽ paratam,& huius statuti viribus,& priuilegijs,ac prærogatiuis gaudeant,sicut & principales descripti in instrumẽtis prædictis guarẽtisiæ.

De executio-

De executione scripturæ factæ per notariũ deputatũ pro scribendo credentias mercatorũ. *Rub.* 14.

STatuimus,quòd duo notarij legales,& bonæ famæ,maiores xxv. annis,Ciues Firmani extrahantur,& eligantur de numero duodecim, qui debeant poni, deinde extrahi de quodam sacculo, siue marsupio. Et dictorum notariorũ officium sit tale, videlicet ꝙ quilibet eorum vnũ librum centum chartarum bambacinarum vno eodemq. signo signatũ faciat, & teneat;in cuius principio ponãtur anni Domini,cum indictione,& nomine Papę,& Potestatis,qui pro tempore fuerit:& vnus dictorũ notariorũ scribere possit,& valeat omnes credentias,& credita, quæ fierent per aliquem mercatorẽ,siue negoriatorẽ,cuiuscunque conditionis existat,Contratæ Castelli,Pilæ,& S. Martini. Alius autẽ notarius scribere possit,& valeat omnes credentias,& credita,quę fierent per aliquem mercatorem,siue negotiatorem,cuiuscunque conditionis existat,Contratę Florentiæ,S. Bartholomei,& Campiletij occasione suarum mercantiarũ,siue rerũ: cui quidem scripturę manu alterius ex dictis notarijs scriptæ fides plena adhibeatur;dum tamen in ea duorum, vel plurium nomina testium contineãtur : & in qualibet credentia , seu credito per notarium præfatum scribantur anni Domini , indictio, mensis,dies,locus,& factum competens rei gestæ: quæ quidem scripturæ in libro,seu tali quaterno tepertę per Potestatem,& Capitaneum,& cuiuslibet eorum Curiam,necnon per Consules mercatorum Cõmunis Firmi,vt instrumentũ guarentisię executioni mandentur:& omnia,& singula prouisa,& statuta circa executionem instrumenti guarẽtisiæ hic intelligantur,& sint repetita,& in executione scriptutæ præfatæ vendicent sibi locum. Tales autem notarij pro eorum mercede pro qualibet tali scriptura vltra xij. deñ. non possint recipere vsque ad xxv. lib. ab inde verò supra xviij. deñ. tantũ pro qualibet credentia, cuiuscunque quantitatis existat:pro cancellatura autẽ talis scripturę recipere possint solũmodo denarios vi. Volumus insuper,ꝙ de satisfactione,& solutione dictæ credentiæ fides adhibeatur,& stetur scripturæ dicti notarij duos testes continenti,ac etiam scripturæ mercatoris,siue negotiatoris prædicti,etiã testibus,& solennitate carenti:executio autẽ personalis capturæ vigore talis scripturæ peti non valeat,nec concedi, nisi elapsis duobus mensibus à die factæ credentię cõputandis; nisi de maiori, vel minori tempore inter partes conuenerit:quo casu conuentio obseruetur. Talium autẽ notariorum officium vltra annum durare non valeat: & si norarius ad hoc extractus, & deputatus tale quid exercete noluerit,successiuè extrahatur, & deputetur alius loco sui.

Quæ res in tenutam capi non possint. *Rub.* 15.

PAnni de lecto,cuiuscunque sint generis,lectus,lectica, indumenta muliebria, siue virilia, boues, asini, & cętera alia domestica in tenutam nullatenus poni, nec capi possint; nisi iudex expresse, & ex certa scientia causa cognita capi mandauerit. Item nullus Balius occasione pignorandi aliquem alicuius cameram intrare pręsumat,quando in alia parte domus pignora idonea contigerit reperire,pœna centum sol. deñ. de facto exigenda.

De capiendo debitorem suspectum,& fugitiuum. *Rub.* 16.

STatuimus,ꝙ debitore affirmato suspecto, & fugitiuo à creditore,vel altero eius nomine,præstito ei iuramento corporali coram Potestate, vel Capitaneo, vel eorum iudicibus,talem debitorẽ non possidere in bonis cuiuscunque generis valorem sufficientem debito prætenso; item,si per balium Communis Firmi relatum fuerit prædictis Rectoribus non reperiri tenutam bonorum mobilium, vel immobilium prętensi debitoris liberam lirigio,& controuersia,Potestas,vel Capitaneus,vel eorum iudices ex inde requisiti teneantur,& debeant ad petitionem talis creditoris,vel sui procuratoris,seu alterius legitimi administratoris familiam concedere, vel talem debitorem capi facere,& in palatio,vel etiam in carceribus detinere,seu mancipare,donec tali creditori,vel petitori satisfecerit, seu ipsi fideiussores idoneos præstiterit de iudicio sisti, & iudicatum soluendo: si autem talis petitor,seu creditor repertus fuerit fuisse periurus, quia sciebat,aut publicè notum erat, talem debitotem captũ tempore talis capturę possidere bona stabilia,seu mobilia sufficiẽtia ad debirũ prætensũ, in expẽsis legitimis tali capto soluẽdis,seu resarciendis iudicis arbitrio cõdemnetur de facto:& nihilo minus libras x. deñ. Cõi Firmi de facto soluere cõpellatur:saluo,ꝙ si per baliũ relatũ fuerit quod pręfertur,prosit ad excusationẽ à condemnatione,& pœna. Prędicta autẽ,quæ dictã sũt de capiendo debitorẽ vt supra,in masculo tantũ vẽdicẽt sibi locũ:fœmina autẽ pro ciuili debito,duntamẽ honesta,& bonę vitę fuerit,personaliter capi non possit:inhonesta autem,& malę vitę capi possit vt masculus.

De debitore morante in comitatu. *Rubr. 17.*

STatuimus, q̄ Scindici, & Vniuersitates Castrorū, & Villarū districtus Firmi teneātur, & debeāt ad mādata iudicis causarū ciuiliū Ciuitatis, de quibus per litteras constabit, ad petitionē cre ditoris, vel alterius eius nomine in dictis litteris nominati, capere debitorē in eisdem nomina tū morantē in Castro, seu Vniuersitate sua, & ipsum corā Rectore, vel Iudice incontinenti præsentare personaliter, & cū effectu. Scindicus autē, & Vniuersitas, quæ post talia mādata, & requisitionē credi toris super inde factā, mandata Iudicis exequi neglexerit, tali creditori integrū debitū cum expensis, & interesse, legitimis taxādis per Iudicē de facto soluere cōpellatur: reseruato Scindico, & Vniuersitati prędictę iure exigendi à debitore quicq̄d occasione præmissa soluitur. Et prædicta omnia etiā in nobi libus comitatus, quibus talia mādata fuerint destinata, & sic req̄siti fuerint, statuta intelligātur, & sint.

De reuocatione tenutæ acceptæ de bonis alterius, quàm debitoris. *Rubr. 18.*

SI qua tenuta, vel possessio de bonis alterius, quàm debitoris prætensi, aut etiam non seruata forma in tertia rubrica huius libri tradita accepta fuerit, vel obtenta; iudex super inde cogno scens teneatur, & debeat talem tenutam, seu possessionem reuocare, cassare, & annullare, & huiusmodi negotium summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, sine libello, litis contestatione, & calumniæ iuramento cognoscere, & diffinire, & tenutam, seu possessionem sic acceptam reuocare, & eum, qui scienter talem tenutam, seu possessionem acceperit, de facto punire in lib. decem deñ. quarum medietas sit Communis, & alia illius, cuius possessio, vel tenuta sic fuerit capta. Et ad cassationem, reuocationem, & annullationem talis tenutæ, & ad restitutionem, & reintegrationem in statum pristinum sufficiat petitori, seu querelanti exinde probare, rem, vel possessionem sic acceptam tempore talis acceptionis se possedisse, vel saltem de facto tenuisse, vel suam esse iure dominij, vel quasi, vt spoliatus ante omnia ad possessionem, & eius commodum restituatur.

De alienatione pignoris, tam conuentionalis, quàm prætorij. *Rub. 19.*

STatuimus, quòd debitor teneatur, & debeat pignus conuentionale, vel etiam prætorium cum effectu luere intra x. dies, quos iudex ad requisitionē creditoris debitori statuat, & statuere teneatur. Si autē debitor tale aliquod pignus ad mādatū iudicis noluerit luere, soluendo cre ditori integrè debitū, & expensas, liceat creditori per se, vel aliū, obtēta super inde licētia iudicis, cōde cēti pretio vēdere tale pignus: & si quid superest vltra debitū, & expēsas, illud intra tertiā diē debitori prędicto reddat omnino, pęna duorū sol. pro qualibet libra dicti superflui. Et quilibet emptor talis rei aduersus debitorē, suosq́; successores de, & super tali re in agēdo, & defendēdo perpetuò sit securus.

De modo præstandi patrocinium, & de salario patrocinantium. *Rub. 20.*

QVilibet Aduocatus, Procurator, curator ad causas, vel causam, & actor bonam causam, atque iustam se fouere, & defendere iurent. Qui autem iurare iussus, vel monitus recusauerit, nec in causa adesse, nec salarium petere valeat. Si autem præstitum fuerit tale iuramentum, per notarium causæ redigatur in scriptis, & talis scriptura pro plenissima probatione in causa præstiti patrocinij reputetur. Non apparente autem tali iuramento, dum tamen recusatum non fuerit, vel neglectum contra mandatum iudicis, ad probationem patrocinij præstiti probatio semiplena sufficiat. Et quilibet iudex, & officialis Ciuitatis ad requisitionem Aduocati, Procuratoris, curatoris, necnon actoris, vel alterius eorum nomine, teneatur, & debeat, pœna vigintiquinque libr. deñ. cogere, & compellere realiter, seu personaliter clientulum, vel suos hæredes ad soluendum salarium tali Aduocato, Procuratori, seu actori quolibet tempore, etiā feriato, summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, & ordine non seruato, etiā de facto, & sine processu aliquo. Modus autē soluendi sala riū sit talis, videlicet. ¶Quòd Aduocatus in causis ciuilibus, & criminalibus pecuniarijs, seu mistis, in quibus patrociniū præstiterit, habeat sol. quatuor deñ. pro quolibet flor. pro eius patrocinio, & Procurator in dictis causis habet sol. duos pro quolibet floreno. In criminalibus verò corporalibus, vel corporis afflictiuis causis, vel rei inæstimabilis habeat Aduocatus florenos x. Procurator verò v. cum hac declaratione, q̄ salariū Aduocati, quantacunque sit quantitas causæ, non excedat summam decē flor. Salariū verò Procuratoris non excedat summā quinque flor. In secunda verò instantia Aduocatus, & Procurator prędicti habeant dimidiū dicti salarij, si ijdē fuerunt in prima instantia. Si verò alius

Aduocatus,& Procurator fuerit in ſecunda inſtantia,vel à die quacunque,habeat idẽ ſalarium,quod habuiſſet ſi fuiſſet in prima inſtantia. In tertia verò inſtãtia,vel alia quacunque,qui fuerunt in prima ſemper habeãt in qualibet ipſarũ idem ſalariũ,quod habuerunt in ſecunda. Et qui ſolùm fuerunt in ſecũda,habeãt in qualibet alia inſtãtia ijdem dimidiũ ſalarij,quod in ſecunda habuiſſent,ſi fuiſſent in prima. Declarando tamen,ꝙ Aduocatus, & Procurator partis ſuccumbentis habeat dimidiũ tantùm dictorum ſalariorum. Pro ſimplici verò deſcriptione facta ad baſtardellum ad inſtantiã procuratoris, curatoris,vel actoris vſque ad x. ducat. non poſſit peti, neque taxari vltra x. ſol. A decẽ verò ducat. ſupra,quantacunque ſit quantitas,ſalarium non excedat ſol. xx. deñ. Et quæ dicta ſunt in Procuratore,locum habeant in curatore, & actore, & his ſimilibus. Quorum ſalariorum tertia pars in principio cauſæ,tertia in apertura proceſſus,reliqua verò finita cauſa,tam principali,quam appellationis ſoluatur. Et prædicta locũ habeant, ſiue patrociniũ præſtitũ fuerit corã arbitro, aut etiam arbitratore, aut cõmiſſario.Et idẽ modus in ſalarijs prædictarũ perſonarũ ſtatus,vt ſupra in Aduocatis,intelligatur,& ſit pędictis perſonis,arbitris,& arbitratoribus aſsũptis à partibus quibuſcũq. & cõmiſſarijs deputatis.

De non matriculato in iudicium non admittendo. Rub. 21.

ADuocationis,procurationis,curæ,aut actoriæ ad cauſas officium, ſeu miniſterium publicè, & indifferenter Ciuibus Firmanis, & non forenſibus competere debet. Idcirco volumus,ꝙ nullus forenſis,qui non ſit matriculatus,& in matricula Aduocatorum,& Procuratorum Ciuitatis Firmi deſcriptus,admittatur Aduocatus,Procurator,actor,vel curator alicuius.Si autem admiſſus fuerit per iudicẽ ad pędicta,ſi nõ fuerit de partiũ volũtate admiſſus talis forẽſis nõ matriculatus,acti tata per ipsũ nõ valeãt ipſo iure,& iudex,qui talẽ patrocinantẽ admiſerit,cadat in pęnã xxv. lib.deñ.

De officio & mercede Notariorum bancharum. Rub. 22.

NOtarij deputati ad ciuilia iudicia,ſiue in principalibus cauſis,ſiue appellationum,exceptis ſimplicibus contradictionibus,ſeu conſenſibus partium ad actus,ac etiã exceptis actibus,qui ſolo ſimplici verbo partium per ſtatutum aliquod fieri permittuntur,nullatenus poſſint,vel valeant aliquas proteſtationes, vel actus, ſeu acta ſpectantes, ſeu reſpicientes ad perſonas alicuius partium,& per ipſas fiendas ſcribere, vel in actis redigere,niſi prout pars, ad quam id ſpectat, in ſcriptis dederit eiſdem . Quiſquis autem contrafecerit,in lib. decem deñ. parti,aduerſus quam ſcribitur, ſoluendis,& ad intereſſe partis eiuſdem de facto vice qualibet puniatur:& nihilominus ſic factum nõ teneat,nec proficiat ipſo iure parti hoc fieri facienti . Actus autem, qui ſpectant ad iudicem, ſecundum quòd iudici viſum fuerit,ſcribere,& in monumenta redigere teneãtur: & quilibet notarius ad ciuilia acta deputatus teneatur, & debeat omnes, & ſingulas ſcripturas ſibi à partibus exhibitas conſeruare, & in filza reponere,& partibus petentibus inde copiam facere. Item teneatur,& debeat quilibet prædictorum notariorum in qualibet cauſa,in qua acta in ſcriptis recipi debeant, vnum librum, ſeu regiſtrum conficere,in quo ſingulis diebus,quibus prænominata acta celebrantur,dicta acta debeat integraliter ad verbũ,prout iacent,ſcribere,& regiſtrare,pęna vnius ducati auri pro quolibet actu,& qualibet vice contrafacienti,de facto exigenda,& ad intereſſe parti læſæ teneatur:& nihilominus ſecus factum non teneat ipſo iure: pro quo libro,& qualibet ipſius charta,ſeu folio ſcripto,& regiſtrato continente tot verſus , & dictiones infraſcriptas , notarius præfatus habeat , & habere debeat à qualibet partium pro eius mercede de dicta regiſtratione ſol. duos deñ. qua mercede ſoluta notarius ipſum regiſtrũ chartulatum,& in publicam formã per ipſum notariũ redactum iudici exhibere,& relaxare teneatur,donec fuerit per iudicẽ in cauſa iudicatum. Qua cauſa diffinita,& peremptoriè terminata,notarius ipſe tale regiſtrum aſſignare,& relaxare debeat notario DD.Regulatorum,conſignandũ in apotheca,ſeu Regularia Cõis Firmi . Item præfatus notarius cauſæ teneatur,& debeat,quotiens opus ſit, & aliquo modo dubitaretur de tali regiſtro,vel eius parte,iudici exhibere filzam,& acta originalia integraliter,gratis, & ſine aliqua mercede, ſub iam dicta pęna ſibi de facto exigenda qualibet vice, qua contrafactum fuerit . Item quilibet dictorũ notariorũ teneatur ſcribere omnes,& ſingulos dies,& horas vtiles,& quibus iudex,ſub quo ſcribit acta,ſedet ad ius reddendum. Salarium autem dictorũ notariorum tale ſit,videlicet in primis pro relatione ſimplicis cedulæ citationis per baliũ factæ habeat quatuor deñ. & ſi plures in vna cedula citati fuerint , quatuor deñ. pro quolibet habeant : ita tamen , ꝙ ſumma quatuor ſol. non excedat . Pro præſentatione contumaciæ deñ. octo: & ſi plures fuerint contumaces,deñ. quatuor pro quolibet vltra primum:ita tamen,quòd ſumma quatuor ſol. non excedat.

Pro licentia concessa balio,qui det tenutā in contumaciā partis,si pro quantitate xx.sol. vel intra,xij. deñ. & si plures fuerint in vna cedula,iiij. deñ. pro quolibet vltra primum,ita q sex sol. non excedat. A xx. sol. supra vsque ad centum,sol. duos. & si plures fuerint in vna licentia,xij. deñ. pro quolibet, vltra primum,ita q octo sol. non excedat. A centum sol. vsque ad x. lib. sol. iiij. & si plures fuerint, iiij. deñ. pro quolibet vltra primū,ita q x. sol. non excedat. A x. lib. vsque ad quinquaginta, x. sol. A quinquaginta lib. supra vsque ad centum,sex solidos. A centū lib. vsque ad mille,duos sol. pro cē tenario. A mille lib. supra,quantacunque sit quantitas,vel æstimatio,xxxx. sol. & nō vltra. Pro scrip turis autem in eorum libris registratis,non autem in cedulis tantū habitis,quantitates dictas recipiāt, videlicet iiij. sol. pro quolibet folio,seu charta: quod foliū,seu charta ad minus quinquaginta lineas, seu virgulos habeat scriptos,& quælibet linea ad minus xvj.dictiones debeat cōtinere:& si fuerit breuior scriptura,vel prolixior,semper soluatur pro rata.Pro preceptis autem factis in confessos,secundis decretis diffinitiuis sententijs causarum ciuilium, tam principalium,quàm appellationum primarū, & secundarū,non fiat solutio prædicto modo,sed aliter,videlicet pro præcepto facto in confessum,si quā titas non excedit valorem centum sol. recipiat à parte deñ. xii. si verò fuerit maior,nō tamen excedat lib. xxv.sol.ij. si verò fuerit maior,nō tamen excedat lib. quinquaginta,sol.tres:ab inde supra vsque ad centū,sol. iiij. Si verò fuerit maior, cuiuscunque quantitatis,vel æstimationis, recipiat pro quolibet centenario xij. deñ. dummodo non excedat summā xx. sol. Pro secundo decreto recipiat medietatē eius,quod infra dicetur de diffinitiua sentētia. Pro diffinitiua verò sentētia in causa ciuili principali,si valor nō excedat summā centū sol. recipiat pro qualibet parte sol. tres. Si verò fuerit maioris summæ,non tamen excedat x. lib. à qualibet parte recipiat sol. iiij.Si verò sit maior quantitas,nō tamen excedat summā xxv. lib. à qualibet parte recipiat sol. v. Si verò fuerit maior quantitas, non tamen excedat quinquaginta lib. à qualibet parte recipiat octo sol. Si verò fuerit maioris quantitatis, non tamen excedat ducentas lib. à qualibet parte recipiat xx. sol. Si verò sit maioris summæ,non tamen excedat quingentas lib. à qualibet parte recipiat triginta sol. Si verò sit maioris summæ,non tamen excedat mille lib.à qualibet parte recipiat xxx.sol. Si verò excesserit mille lib. cuiuscunque quā titatis,vel valoris fuerit,à qualibet parte à mille lib. supra recipiat sol. x.pro quolibet miliari,dummo do nō excedat summā lib.xx. Et si aliqua partium esset contumax,non propterea plus recipiat à parte presente in omnibus casibus supradictis.Et predicta salaria de,& pro sentētijs sufficiant,siue vna persona,siue plures fuerint ex quacunque parte in causa illa.In causis verò appellationū,pro diffinitiua sententia scribenda,& registranda recipiat tantū ad prædictam rationem, quantū recipi debet de sententia diffinitiua causæ principalis. Itē pro quolibet folio registri in causa appellationis recipiat. iiij. sol. modo,& forma supra loquētibus,& disponētibus de alijs actis, q̄ de sententia diffinitiua secūdo decreto,precepto in confessum. Relique verò solutiones fiēde pro actis, vel scripturis in causis, que neque hic,neq; alio statuto disposite,siue statute sūt,secundū Cōstitutiones generales Prou.March. fiant.

Quòd notarij sint scripti in Collegio,seu Matricula. Rub. 23.

NOtarij,seu tabelliones nullo modo audeant,vel præsumant conficere publica instrumenta,vel rogationem aliquā cuiuscunque contractus,vel testamenti,vel in ea scribere,vel notare,nisi in matricula notariorum Ciuitatis Firmi fuerint descripti, & prius in publico Collegio approbati. Quisquis autē contrafecerit,in lib. xxv. vice qualibet de facto puniatur. Et nullus notarius Ciuitatis, vel comitatus Firmi audeat,vel præsumat contractus,vel rogita, de quibus rogati fuerint, scribere,annotare,vel publicare in aliquo alio loco,libro,vel quaterno alicuius personæ,seu ad instātiam alicuius;sed solum in eius bastardello,seu libro,in quo consueti sunt notarij eorum abbreuiaturas scribere,vel annotare, sub pœna quinquaginta libr. deñ. ipso facto per quemcunque officialem, coram quo denunciatus fuerit,de facto exigenda: & talis contractus non valeat ipso iure,& nullā habeat roboris firmitatem : & possit à quolibet accusari, & habeat accusator quartam partem banni, & teneatur secretus:& hoc locum habeat in futurum.

De abbreuiaturis,& prothocollis Notariorum. Rub. 24.

STatuimus,q quilibet notarius Ciuitatis,& districtus Firmi auctoritate Potestatis,vel sui iudicis,Capitanei,vel sui iudicis publicare,& in publicā formā redigere valeat omnia, & singula prothocolla,acta,& abbreuiaturas cuiuscunq; notarij mortui,absentis,vel infirmi,ad petitionē eius,cuius interest. Et siquidē in talibus abbreuiaturis,seu prothocollis reperitur hoc verbum &c.

possit talis notarius extendere abbreuiaturam,seu prothocollum prædictũ, secundum q̃ notarius, qui talia scripserat,consueuit in simili extendere,seu notare : sinautẽ tale quod simile non reperitur,tunc fiat extensio secundum communem consuetudinẽ aliorũ notariorum Ciuitatis:quicquid autem sic copiatum,publicatum,seu scriptum fuerit,plenissimam obtineat firmitatẽ,aliquo alio non obstante. Statuimus etiam,quòd si in aliquo prothocollo,vel in aliquo instrumento reperiatur erroneè scriptũ Anni dñi M.ccc. cum scribi debuerit tricentessimo,vel aliquid Iudici simili videatur erroneè scriptũ,quo rectè scripto,videlicet M.ccc. vel simili,concordet annus cũ indictione in instrumẽto,seu prothocollo contenta,error,seu obliuio præmissum instrumentum,prothocollum, vel aliam quamcunque scripturam non vitiet vllo modo: immo non obstante tali errore,neque etiã statuto aliquo,vel iure obstante, plenam probationem,& firmitatem faciat,& obtineat. Volumus insuper,quòd si in prothocollis, vel abbreuiaturis alicuius notarij defuncti,absentis, vel infirmi non reperitur, Ego talis notarius &c. seu non reperitur eius subscriptio,dum tamen constet iudici talem abbreuiaturam,seu prothocollũ manu notarij prædicti defuncti,vel absentis scriptam fuisse,ad quod probandum sufficiat sola assertio cũ iuramento duorum notariorum Ciuitatis per iudicem eligendorum,talia prothocolla,siue abbreuiaturæ valeant,& plenã obtineant firmitatem: dum tamen alia substantialia non deficiant. Itẽ statuimus, quòd si in aliquo quaterno, seu bastardello alicuius notarij, videlicet in principio, vel in aliqua alia parte reperiãtur anni Domini,scripturæ,& prothocolla sequẽtes manu eiusdem notarij, in quibus anni non existant,intelligantur factæ sub dicto anno, & millessimo præcedenti. Scripturæ verò præcedẽtes dictum annum,& millessimum,si aliud millessimum non præcedat,intelligantur factæ in millessimo proximè præcedenti:& propter hoc volumus,quòd nullatenus vitientur. Itẽ statuimus, quòd si in aliquo prothocollo,breuiatura,quaterno,bastardello,vel folio reperiatur aliquis contractus, testamentum,vel alia scriptura scripta manu dicti notarij,vel non sua manu scripta, sed sit subscripta manu dicti notarij,talis contractus,testamentum,vel scriptura perinde habeatur,ac si scriptũ fuisset manu notarij subscribentis, & plenissimè valeat, & teneat, nec propterea valeat vitiari. Et prædicta omnia, & singula etiam in præsentibus,& prẽteritis,& futuris per sentẽtiam,vel transactionẽ,vel aliter non decisis,vel sopitis vendicent sibi locum. Volumus insuper,quòd Clerici, seu etiã Presbyteri notarij possint rogari de quibuscunque contractibus,vltimis voluntatibus,vel alijs quibuscunque actibus,quorum scripturis fides prout alijs notarijs habeatur,non obstante quod presbyteri, vel clerici sint. Item statuimus,quòd omnes,& singuli notarij habentes prothocolla notarij iam defuncti,teneantur, & debeant,pœna quinquaginta lib. deñ. pro quolibet, facere inuentarium omnium prothocollorum defuncti,& ipsum assignare notario Collegij notariorũ,seu in Sacristia Fratrũ Prẽdicatorũ: in quo quidẽ inuentario saltẽ nomina contrahentium,seu aliàs disponentium,anni Domini, & dies apponãtur.

De instrumentis iam solutis restituendis. *Rub. 25.*

SI quis instrumentum,vel prothocollum alicuius debiti, vel crediti habuerit, facta solutione, vel remissione debiti, seu crediti in eo contenti, teneatur ad petitionem olim debitoris reddere eidem, vel cui mandauerit, tale instrumentum, vel prothocollum intra decem dies à die solutionis,satisfactionis,seu remissionis factæ computandos, sine aliqua cancellatione, si petitum fuerit, nisi diuersi contractus, seu scripturæ continerentur ibidem. Et teneatur creditor debitori petenti illud facere cancellari debitoris expensis. Si autem creditor tale instrumentum, seu prothocollum amiserit, teneatur suis expensis facere debitori instrumentum quietationis de debito sibi restituto, vel de quo sibi satisfactum est, ita quòd debitor seruetur indemnis: ac etiam promittat eidem, quòd si instrumentum amissum prædictum ad eius manus peruenerit, vel eius restituendi facultatem habuerit, restituet debitori; & si quidem creditor fuerit repertus habere penès se tale instrumentum post solutionem, seu satisfactionem prædictam, & post decem dies prædictos, in lib. decem debitori dandis de facto puniatur : & nihilominus de facto instrumentum reddere teneatur. Item statuimus, quòd si debitor fideiussorem dederit, vel principalem dederit pagatorem, teneatur creditor, facta sibi solutione,seu satisfactione debiti, ipsum intra decem dies proximos absoluere, & liberare, sub pœna vigintiquinque lib. deñ. pro dimidia Commũi,& pro alia dimidia cui instrumentum restitui debuit soluendarum. Item si quis vsus fuerit contra aliquem coram aliquo iudice,vel arbitro in Ciuitate,vel districtu Firmi aliquo instrumento post solutionem,& satisfactionem debiti in dicto instrumento contenti,vel post quietationem inde factam, siquidem de hoc per testes,vel instrumentum quietationis, seu remissionis constiterit,puniatur qui sic vsus fuerit,de facto in eo tanto,quod iam sibi solutum ite-

rum solui sibi falsò petebat, pro dimidia Communi, & pro alia dimidia illi, contra quem productum fuerit instrumentum. Et prædicta locum habeant in præteritis, præsentibus, & futuris. Saluo vnicuique creditori, quòd possit vti instrumento pro eo, quod remanserit ad soluendū:& saluo, quòd in hęredibus, & successoribus vniuersalibus, vel singularibus præsentis statuti pœna non vendicet sibi locū, nisi scienter peterent. Itē si quis partē debiti receperit, teneatur, pœna decē lib. dēn. ad requisitionē debitoris facere debitori quietationem de recepto:& hoc locū habeat etiam in præteritis, & futuris.

De regressu fideiussoris contra principalem. *Rub. 26.*

SI quis Ciuis, vel habitator in Ciuitate, vel districtu Firmi pro aliquo in iudicio, vel extra fideiusserit ex quacunque causa, & pro eo soluerit, Potestas, & Capitaneus, eorumq. iudices, qui ex inde fuerit requisitus, facta per talem fideiussorem de solutione fide legitima, teneatur, & debeat cogere realiter, & personaliter, & etiam carcerare principalem ad petitionem fideiussoris, vel suorum hęredum, vel successorum, omni exceptione, & dilatione remotis, sine libello, litis contestatione, calumnię iuramento, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, de facto, & sine aliquo processu, vt satisfaciat, & soluat fideiussori, aut hæredibus, vel successoribus supradictis de omni eo, quod sic solutum fuerit, & de damnis, expensis, & interesse sibi satisfaciat. Et eodem modo contra hæredes, & successores talis principalis procedatur vt supra. Et bona ipsius principalis sint tali fideiussori, suisq. hæredibus, & successoribus pro prædictis hipothecata, & tacitè obligata. Et omnis venditio, quæ de dictis bonis per Scindicum Communis, vel alium occasione dictæ satisfactionis emanauerit, omnisq. datio in solutum concessa de dictis bonis fideiussori, vel suis hæredibus, vel successoribus prædictis plenissimam obtineat firmitatem.

De arbitris, & arbitratoribus. *Rub. 27.*

ARbitria, siue laycorum, siue clericorum, in scriptis, vel qualitercunque fuerint lata, & facta, firma, & rata maneant, dum tamen super eo compromissum extiterit, siue compromissum fuerit de iure, & de facto in procedendo, & de iure tantùm in sentētiando, siue de facto tantùm, aut de iure tantùm in procedendo, & de iure in sentētiando: à quibus arbitris intra quinq; dies post eorū probationem permittimus appellari. In arbitratoribus autem, & amicabilibus compositoribus cognoscentibus, & terminātibus de facto ex forma eorum compromissi, statuimus, ꝙ eorum arbitramenta, & compositiones reduci possint ad arbitriū boni viri, simplici tamen petitione super inde proposita, sine strepitu, & figura iudicij, & sine processu aliquo, quolibet tempore, & messium, & vindemiarū, & aliarum feriarum, etiā repentinarū, & prout, & sicut cognoscere, & terminare poterāt arbitratores, & amicabiles compositores ex forma eorū compromissi. Quæ quidem reductiones peti valeant intra quintā diem post compositionē factam, seu laudū, vel arbitramentū latum, tam coram iudice ciuiliū causarū, q̃ coram iudice appellationū continuè computandum à die scientiæ, vel notificationis. Elapso autem dicto termino, intra quē talis reductio petita non fuerit, dicta compositio, laudū, seu arbitramentū firmum, ratumq. sit, & habeatur pro iusto, & æquo, & præsumatur ꝙ pars, quæ non petijt reductionē prędictam intra dictum terminū, expresſè, & ex certa sciētia renunciauerit iniquitati, & dolo dicti arbitramenti, & compositionis, & vlterius contra compositionem, & arbitramentū prædictum nō audiatur in aliquo. Itē statuimus, & volumus, ꝙ si duo arbitri, vel arbitratores assumpti discordauerint, possit per eosdem cōmuni concordia assumi tertius. Sinautē de tertio eligendo discordauerint, tunc per Potestatem, vel Capitaneum, vel alicuius eorū Curiam cogantur eligere quē ipse voluerit, vel etiā ipse Potestas, aut Capitaneus eligat eum. Qui quidem tertius aliquo ex dictis modis assumptus, seu electus habeat potestatem sententiandi, laudandi, & arbitrandi, ac si ab ipsis partibus communi consensu fuisset assumptus, electus, vel nominatus. Reductio autem antedicta per iudicem, coram quo petita fuerit, intra quindecim dies post petitionem inde factam debeat terminari. Ipsis autem elapsis, firmum remaneat arbitramentum prædictum, nisi reductio fuerit terminata. Et executioni quidem arbitria, arbitramenta, seu compositiones, & sententiæ prædictæ mandentur, secundum formam traditam circa executionem sententiarum. Qui arbitri, & arbitratores, & amicabiles compositores teneantur, & debeant dicta eorum arbitria, vel arbitramenta, & lauda terminare, cognoscere, & diffinire intra triginta dies continuos à die acceptationis factæ per eos. Volumus insuper, quòd si contingat aliquem ex dictis arbitris se absentare, & verisimiliter sit, ipsum non posse reuerti intra mensem, vel si in compromisso esset certum tempus breue adiectum, ita quòd non sit verisimile arbitrum posse reuerti intra termi-

num appositum in compromisso ad expediendum causam, tunc iudex cogat, & cogere debeat partem, quæ talem arbitrum absentem elegit, alium summariè, & de facto eligere. Et talis sic electus, & subrogatus in locum absentis habeatur, & sit perinde ac si à principio fuisset electus, & acta, seu facta per eum plenam habeant roboris firmitatem.

De compromissis fiendis inter coniunctos. Rub. 28.

SI qua quæstio, aut controuersia inter aliquos adinuicem consanguinitate, vel affinitate coniunctos fuerit vsque ad tertium gradum inclusiuè de iure Canonico computandum, Potestas, eiusque iudex ad requisitionem cuiuslibet partis, vel alterius cuiusque petentis teneatur, & debeat partes sic coniunctas compellere ad compromittendum, & compromissum generale faciendum de iure, & de facto in procedendo, & sententiando in aliquem, vel in aliquos coniunctos, vel amicos communes per ipsos communiter eligendos, ipsos realiter, & personaliter, prout sibi videbitur, compellendo ad prædicta intra quinque dies proximos, postquàm super inde fuerit requisitus, sub pœna centum lib. deñ. tali Rectori, vel Iudici, scindicatus tempore auferenda de facto. Quod quidem compromissum tales arbitratores, & amicabiles compositores teneantur intra tres dies proximos à die, qua electi, seu nominati, siue assumpti fuerint, acceptare, & demum diffinire, & terminare teneantur omnino intra mensem continuum à die acceptationis factæ computandum. Ad quod faciendum per quemcunque Rectorem, vel iudicem cogi possint, & valeant, atque debeant ad petitionem cuiuscunque partis personaliter, & realiter de facto. Qui si discordauerint, ad electionem tertij procedatur, vt in statuto superiori continetur. Et eorum lauda, sententiæ, seu arbitramenta, & compositiones ad arbitrium boni viri reduci possint, & valeant eo modo, prout in statuto superiori ptoximo continetur. Adijcientes insuper præsenti statuto, & statuto præcedenti de arbitris, quòd si intra triginta dies prædictos non expedierint per sententiam causam eis compromissam quomodocunque, instantia compromissi sit perempta, & super dicta causa nõ possint vlterius aliquid facere, nisi de voluntate partium aliud maius tempus esset in compromisso appositum: quo elapso, sit dicta instantia perempta, vt supra. Et arbitri, qui non expedierint intra dictum terminum, non debeant à partibus aliquod salarium, vel commodum percipete: & si receperint, teneantur illud partibus restituere, ad pœnam dupli, de facto per officialem Communis ab eis exigendam. Et præsens statutum locum habeat in præteritis, præsentibus, & futuris, dummodo per sententiam non decisis, & terminatis. Et causa prædicta sic compromissa, quæ non fuerit intra tempus pet sententiam terminata, vlterius compromitti non possit, nisi fuerit de partium voluntate, & pars aliqua ad compromittendum cogi non possit, non obstante statuto loquente, quòd consanguinei cogantur ad compromittendum, vt supra, cui expresè derogamus in casu præmisso.

De rerum communium diuisione. Rub. 29.

STatuimus, & ordinamus, quòd quisquis in communi hęreditate, vel alicuius rei ex alia causa communis, stare, vel detineri noluerit, & diuisionem petierit, Potestas, eiusque Iudex, Capitaneus, eiusque Iudex, qui ex inde fuerit requisitus, ad petitionem, seu requisitionem cuiuscunque hæredis, vel socij, teneatur, & debeat cogere realiter, & etiam personaliter alium cohæredem, vel socium, vnum, seu plures, ad diuisionem faciendam, summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, sine libello, litis contestatione, & calumniæ iuramento, sola simplici petitione super inde facta in actis. Et Rector, seu Iudex ex inde requisitus, pœna quingentarum libr. deñ. teneatur intra viginti dies continuos à die talis petitionis huiusmodi negotium terminare: & hoc postquàm iudici constiterit; sola informatione super inde habita, rem esse hęreditariam, vel aliàs communem. Pupilli ramen, & adulti non nisi cum auctoritate tutorum, vel curatorum diuisionem petere possint. Item fratres maiores, fratres suos minores quatuordecim annis ad diuisionem aliquam prouocare non valeant, nisi impetrata super inde à iudice licentia, & obtenta, quam ipse concedere valeat, si ei videbitur. Et in quolibet casu diuisionis fiendæ maior tempore diuidere, & partes congruas facere teneatur: & minor electionem habeat capiendi, & eligendi. Et si verteretur in dubio de eorum ætate, quis sit minor, Iudicis arbitrio relinquatur. Et prędicta circa diuisionem faciendam obseruentur modo, & forma prædictis. Et hoc locum habeat, etiã si peteretur

diuisio inter eos,qui nō essent adinuicē consanguinitate,& affinitate coniuncti. Et prædicta ita obser uētur,quando partes pro indiuiso in re,vel hæreditate æquæ sunt. Sinautem inter eos partes hæreditatis,vel rei impares essent, tūc habens maiorē partē partes facere,& habenti,vel habētibus minorē electionē dare,seu facere teneatur.Hoc insuper addentes,q̃ si forte ille,cui contigit facere diuisionē, vt supra,fecisset diuisionē non æquam,& iustā,sed malo dolo,& in fraudē,& damnū alicuius,cui contingebat accipere partem, liceat ipsi querelāti facere diuisionē æquam,& iustā,si velit,& ille accipiat.

De muris communibus faciendis. *Rubr. 30.*

SI quis iuxta domum sui vicini habuerit domum suam clausam inter se, & vicinum prædictum de assidibus, vel pariete cannarum, vel vincorum, vel similium, & aliquis ipsorum voluerit murum facere inter ipsos, teneatur alter vicinus prædictus ad requisitionem cupientis murum facere intra duos menses post requisitionem murum facere, seu fieri facere in altum ad minus tantum quantum talis clausura protensa fuerit: dum tamen expensæ inter ambas partes decem librarum deñ. summam non excedant,& vicinus insuper non sit pauper. Intelligatur autem esse pauper,si eius bona non valeant vltra centum lib. deñ. Et hoc statutum Rectores exequi teneantur.

De habentibus arbores in alieno,& de arboribus impedimentum vicino præstantibus. *Rub. 31.*

SI quis eius arborem in alieno solo habuerit, teneatur dominus arboris ipsam arborem vendere domino soli,& ille è conuerso emere teneatur iusto pretio per duos vicinos eligendos concorditer declarando. Item si quis arborem supra vicini solum vmbram,seu impedimentū vicino præstantem habuerit,teneatur ipsam remundare,& ramos pendentes supra terrenum vicini incidere,ne præstet impedimentum.Et idem intelligatur de arbore in confinio,vel supra viam posita impedimentū vicino,vel alteri præstante.Item si quis,cuiuscunque ætatis,vel sexus,habuerit aliquam coccham mensuræ vnius modioli,& dimidij,vel minoris numeri iuxta aliquem vicinum ipsi à duobus partibus,cogatur illi,cui melius adiacet tale terrenum,vendere: & ille è conuerso emere iusto pretio per duos vicinos communiter eligendos declarando. Et hoc locum non habeat,vbi quis cocchā iuxta Ciuitatem, vel Castrum aliquod per sexaginta cannas habeat, vel si in ea cum tota familia sua habitet. Item non habeat locum hoc statutum in facientibus tales cocchas studiosè in fraudem statuti huius, vendendo partē terreni,vt coccha fiat:huius autē statuti beneficio clerici vti valeant quoquo modo.

De societatibus, colligantijs, & rebus communibus, & ipsarum rerum petitione. *Rub. 32.*

SI quis Ciuis,vel districtualis Firmanus aliquam colligantiam,vel cōtractum societatis,vel colligantiæ cum aliquo fecerit,vel inierit de,& super mercibus deferendis per mare,vel per terram:ille, qui tales merces receperit,intra xv. dies postquàm ad Ciuitatem Firmi peruenerit, teneatur ponere rationem cum eo,qui sic deferendas merces dederit,& eidem res,& pecunias debitas reddere cum effectu,secundum eorum conuentiones,omni exceptione remota. Ad quarum conuentionum obseruationem recipiens ad petitionem dantis realiter,& personaliter compellatur: & si obseruare neglexerit,in xxv. lib. de facto vice qualibet puniatur. Et omnes Rectores Ciuitatis teneantur,& debeant quæstiones,& causas super inde mouendas summariè,simpliciter,& de plano,sine strepitu,& figura iudicij cognoscere,& intra xxx.dies continuos terminare, pęna centum lib. deñ. de suo salario. Item si quis in passagium,seu peregrinationem iuerit, & ibi fuerit mortuus, vel aliàs,quo minus redire valeat,impeditus,& aliquas res aliquibus eius socijs,vel nūcijs tradiderit, vel ipsæ res quo modocunque ad eos peruenerint,teneātur tales socij,vel nuncij,vel etiam alij prædicti easdem res successoribus mortui,vel impediti,vel illis,qui in eius domo remanserint,sine interpellatione,& sine mora reddere cum effectu intra octo dies,postquàm ad Ciuitatē redierint: recepta tamen cautela idonea de indemnitate,& de rato. Et prædicta etiam in omnibus recommendationibus de quibuscunque rebus factis inter mercatores Firmanos extra Ciuitatem,& districtum Firmi locum obtineanr.Et in prędictis omnibus,& singulis quilibet Rector,& Iudex Ciuitatis,vt supra,procedat,cognoscat,terminet, & decidat, ac etiam condemnet in pœna supradicta: cuius pœnæ medietas sit Communis, & alia medietas sit partis. Item statuimus,quòd fratres,& socij habentes bona communia, credentias,& debita facientes possint,etiam alter ipsorum suo,& fratrum,& sociorum nomine, auctoritate præsentis statuti à debitoribus petere,atque exigere,siue de debito appareat instrumentum,siue non,& siue vnus sit alterius procurator,siue non: dum tamen tali debitori,vel talibus debitoribus cum idoneis fideiussori

bus caueatur de indemnitate, & de rato habendo per absentem ad sensum sapientis ipsorum. Et prædicta locū habeant, quādo plures fratres, vel socij in vno instrumento, vel contractu contineantur, vt gestum per vnum, vel cum vno, per alium ratum, & gratum debeat habere: nec absens contra id, quod per talem fratrem, vel socium gestum fuerit, venire valeat vllo modo. Adijcientes prædictis, ꝙ si quis acceperit aliquam recommenditiā, & iuerit, & portauerit vltra mare, videlicet vltra gulfum, de dictæ recommenditiæ lucro habere debeat quartam partem, & quòd recipiens dictam recōmenditiam ire debeat expensis toties dictæ recommenditiæ, videlicet victus pro se, & vnico famulo, ac etiam redire; ad quas expensas conferre debeat accipiens dictam recommenditiam pro rata mercantiarum suarum, & aliarum, quas ipse portabit in dicto itinere, nisi aliud conuenerit inter partes. Et hoc locum habeat in futuris: & vt omnis materia scandali sopiatur, & veritas elucescat, statuimus, ꝙ quotiens quæstio aliqua esset inter duos mercatores, vel alios artifices, vel quoscunque alios, & inter eos verteretur in dubiū de aliquibus datis, vel receptis hincinde, & per aliquā partiū prædictarū peteretur editio, vel exhibitio libri, in quo esset scripta ratio inter eos, tunc iudex cogat, & cogere debeat talē habentem librū, & hæredes suos ad exhibendum librum prædictum, realiter, & personaliter, omni solennitate iuris omissa: dummodo cōstet talem, contra quem petitur, prædictum librum habere. Et si aliter fides haberi non possit, per sacramentum clarificetur, deferendo sacramentum dicto tali affecto, si librum penès se habeat de prædictis.

De emancipationibus liberorum. *Rub. 33.*

EMancipationes liberorum coram D. Potestate, vel Capitaneo, vel alicuius eorum Vicario in Palatio eorum residentiæ fieri statuimus. Et aliter factæ non teneant ipso iure.

De tutoribus. *Rub. 34.*

CIrca tutorum prouisionem hoc statuimus, quòd siquidem pater in testamento, vel alia quacunque vltima voluntate tutores filio suo, vel filijs suis ordinauerit, tales descripti, seu ordinati, tutores existant, & cæteris legitimis, & datiuis præferantur. Qui tutores teneantur idoneè satisdare, licet eorum fides sit ab ipso testatore approbata. Mater etiam potestatem habeat filio impuberi, vel filijs in eius testamento, vel alia vltima voluntate tutores ordinandi, si pupilli patrem non habeant. Et hoc, si bona pupilli, vel pupillorum vltra centum lib. non valeant. Deficientibus autem prædictis tutoribus in testamento, vel alia vltima voluntate ordinatis, perueniatur ad legitimos hoc modo, videlicet. Primò enim matri, deinde auiæ secundum ordinem, quæ legitimæ censeantur, & cæteris præferantur, & eis deferri volumus, & per se tutelam administrare. Et hoc, si bona pupilli, vel pupillorum centum lib. non excedant. Sinautem supra centum lib. valeant, tunc mater, vel auia secundū ordinē vnà cum magis idoneo agnato pupilli, vel pupillorū tutrix existat, nō attenta proximitate, sed inspecta idoneitate tantùm. Sinautē mater, & auia non extarent, hoc ordine ad legitimos perueniatur, videlicet ꝙ iudex facta inquisitione de legitimis, illum ex eis tutorem ordinet, qui magis idoneus reperiatur, proximitate non attenta: qui sic ordinatus tutelam per iudicē suscipere cogatur remedijs opportunis: Vbi autem legitimi non existunt, tunc iudex cum consensu DD. Priorum, & Vexilliferi iustitiæ de bonis idoneis hominibus, inquisitione facta, vnum, vel plures idoneos, prout sibi melius videbitur, tutores decernat, & ordinet, cogatq́. eum, vel eos tutelam suscipere remedijs opportunis. Et prædicta tam ex officio suo, quàm etiam ad cuiuscunque petitionem iudex executioni mandet. Ante verò quàm tutores ad administrationē accedant, de bonis omnibus, & rebus, & debitis, & creditis pupilli inuentarium faciant bona fide, & sine fraude: & alia faciant, ad quæ de iure tenentur, intra decem dies, post quàm tutores dati fuerint. Vbi autem mater, & auia tutrix ad secunda vota transire voluerit, tunc ad legitimos perueniatur, si extant: aliàs autem ad datiuos perueniatur, seruato modo, & forma superius designatis. Si quis autem à tutela se excusare voluerit, huius rei facultatem habeat intra octo dies continuos, à die nominationis, seu ordinationis computandos, intra quos peremptoriè, & precisè suam escusationem probasse, & probatam habuisse debeat cum effectu. Quæ autem reputari debeant excusationes legitimæ, solius iudicis conscientiæ, & dispositioni relinquatur, dispositione iuris communis non obstante circa hæc quoquo modo.

De furiosis, mentecaptis, prodigis, mutis, & similibus, & eorum curatoribus. Rub. 35.

MVtl, & surdi, qui aliàs non sanę mentis existunt, curatores habere debeant dũtaxat ad causas. Eorum verò negotia, & bona ipsi per se, non autem curatores prædicti liberè per omnia administrent. Furiosis autem, & mentecaptis, & ijs, qui mentis imbecillitatem patiuntur; necnon prodigis manifestis Iudices Ciuitatis iurisdictionem habentes cum diligenti inquisitione constituant curatores ad eorum negotia, & bona administranda, & facienda. Qui quidem curatores, præstitis idoneis fideiussoribus, seu fideiussore, & medio iuramento cauere debeant de negotijs prædictorum benè, fideliter, & legaliter exercendis, & faciendis vtilibus, & inutilibus prætermittendis, & de reliquis restituendis: saluo semper, quòd in iudicio, & extra vti valeat veritate. Et si qua persona, etiam non coniuncta alicui de prædictis sub curatore manentibus, querimoniam alicui Rectori, vel Iudici exposuerit, quòd curatores alicuius de prædictis fraudem, culpam, vel negligentiam in ipsa cura commiserint, vel committerent; talis Rector, vel Iudex summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, etiam omni solennitate, & substantialitate iuris omissa, super inde se informet. Et sola rei fide, & veritate habita contra tales curatores, ipsos de facto à cura debeat remouere. Talium autem curatorum illud salarium sit, & statuatur, quod iudici visum fuerit fore æquum.

De præscriptionibus. Rub. 36

OMnes, & singuli Ciues, seu habitatores Ciuitatis Firmi, vel eius comitatus, siue districtus, qui aliquam rem mobilem cum titulo tenuerit, & possederit sine controuersia spacio triennali, sint super inde tuti vsucapione. Si quis autem rem mobilem, vel immobilem, siue per se, siue inter se, & suos auctores spatio viginti annorum continuorum tenuerit, & possederit sine titulo, dum tamen sine lite, & controuersia, sit tutus præscriptione temporis prædicti, & huius statuti auctoritate pro vero domino, & possessore talium rerum habeatur. Item si quis rem aliquam immobilem sine lite, & controuersia decennali tempore possederit iusto titulo inter præsentes, etiam inter se, & suos auctores, sit tutus perpetuò super inde. Et prædicta, vel aliquod prædictorum in rebus ecclesiasticis, vel ad ecclesias pertinentibus, aut contra ecclesiasticas personas, aut aliàs in præscriptionibus de iure priuilegiatas, aut contra furiosos, vel mentecaptos nullo modo vendicent sibi locum. Item etiam contra pupillos, vel probabili, vel necessaria causa absentes à Ciuitate Firmi, & eius districtu, supradicta statuta, vel eorum aliquod non vendicent sibi locum; sed immo totum tempus minoris ætatis, & absentiæ prædictæ de prædictis præscriptionibus detrahatur, & non cucurrisse intelligatur. Si quis autem in futurum aliquem sibi ad aliquod debitum obligauerit, seu obligatum habuerit, & tale debitum à die quo contractum fuerit intra viginti annos non petierit, seu aliàs illud agnitum non fuerit per debitorem medio tempore, ab inde in antea tale debitum nullatenus peti possit, & instrumento super inde confecto vti non valeat, sed præsentis legis auctoritate debitum præsumatur per debitorem fuisse, & esse legitimè solutum. Item si quis aduersus aliquem aliquod instrumentum debiti, vel aliquam priuatam scripturam manu debitoris scriptam notatam trino teste, vel non, habuerit, seu confici fecerit, & debitum in instrumento, seu scriptura contentum intra decem annos à die talis debiti contracti numerandos viuente debitore in eo contento non petierit in iudicio, tale instrumentum, seu talis scriptura, quæ intra dictum tempus in vita debitoris non fuerit executioni mandata, seu in iudicio petita, non possit postea aduersus hæredes, seu successores debitoris defuncti executioni mandari, nec ex inde aliquid agi, vel peti. Prædicta verò contra pupillos, aut furiosos, vel mentecaptos, siue contra absentes probabili, & necessaria causa, aut contra personas ecclesiasticas, vel aliàs de iure priuilegiatas locum non habeant vllo modo. Prædicta insuper, & quodlibet prædictorum, quæ prædictas metas pręscriptionũ inducunt in instrumentis guarentisię non vendicent sibi locum, nisi demum elapsis viginti annis inter præsentes, & triginta inter absentes à die celebrati contractus: quibus annis elapsis, vt supra, dicta instrumenta guarentisiata sint penitus præscripta, & pro cassis, & nullis habeantur, & intelligantur, etiam si iurata fuerint: in quibus, & alijs instrumentis iuramentum non impediat præscriptiones. Quibus præscriptionibus decursis, iudex non possit talia instrumenta exequi, pœna decem ducat. auri Communi Firmi de facto soluendorum, & auferẽdorum à dicto iudice, & alijs officialibus secus exequentibus pro quolibet, & qualibet vice.

Item summa æquitate moti volumus,& præsentis legis auctoritate decernimus, ꝙ omnia quæcunque tempora cuiuscunque vsucapionis,seu præscriptionis decursa,siue lapsa tẽpore tyrannidis D. Raynal di de Monte Viridi,videlicet à die tertia Septembris anni Domini M. CCCLXXVI. vsque ad diem vigesimamquintã inclusiuè mensis Augusti anni Domini M. CCCLXXIX. subducantur,& detrahã tur de medio,& subducta,& detracta intelligantur, & sint auctoritate legis huius de tẽpore vsucapionis,& præscriptionis prædictæ,& ex nunc tantum temporis, quantum dicto tempore tyrannidis prædicti fluxit,restitutum intelligatur,& sit. Adijcientes insuper,quòd patrocinia,& salatia Aduocatorũ, & Procuratorum intra triennium peti,& exigi queant;& elapso triennio præscribãtur,& petentes nõ audiantur modo aliquo. Item,ꝙ operarij,& mercennarij,qui conducuntur ad diẽ, & diurnam operã, debeant intra annum petere eorũ mercedem,& pretium à die operæ, seu operis facti, missi,& dati per eosdem operarios. Et similiter famuli,& pactuales,qui cõducunrur per mensem, vel per maius tẽpus, teneanrur,& debeant petere,& exigere mercedem,& salarium ipsorum intra duos annos proximè futuros post finitũ tẽpus eorũ cõductæ:& elapso dicto tẽpore,vt supra præfixo,dictis operarijs,mercẽnarijs,famulis,& pactualibus ex nunc auctoritate pręsentis legis pręscribãtur,& pręscripta sint ipso iure: & sic de cętero nullo modo,vel via cõtra eorũ patronos,& cõductores pręd ici operarij diurni,& famuli,& pactuales agere,& petere possint;sed penitus sit præclusa via amplius petẽdi,& agendi prædictis.

De ementibus rem stabilem. *Rub. 37.*

SI quis aliquã rem stabilem emerit,& ipsam rem ipse, aut eius hæredes, vel successores per se, vel sui auctoris,vel prædecessoris tẽpore vnà simul computato tenuerit,vel possederit sine cõtrouersia per decem annos continuos à tempore emptionis,& possessionis acceptæ numerandos,pacificè,& quietè,sine lite,& controuersia; talis res non possit ab eo,vel eius hæredibus, vel successoribus peti,auferri,vel auocari eo prætextu,occasione,causa,vel colore,quòd de dicta re facta fuerit prius aliqua donatio,venditio,cessio,vel quiuis alius contractus per eundem venditorem alicui alteri Ciui,comitatiuo,districtuali,vel forensi;non obstantibus verbis in tali primo contractu appositis, scilicet quam rem constituit se emptoris,donatarij,vel aliter contrahentis precario nomine possidere, vel à quibuscunque verbis,aut actibus similibus,vel æquipollentibus. Item si quis primò vni,vel pluribus,deinde alij,vel allis rem aliquam vendiderit,donauerit,vel aliàs cesserit,vel alienauerit; ille,seu illi intelligantur,& sint in tali re potiores,qui prius veram, & realem possessionem dictæ rei nacti fuerint,non autem qui fictam,vel precariam tantum habuerint. Et huius statuti dispositio in omnibus,& singulis casibus huius rubricæ locum habeat, & obtineat,ac etiam ius,& effectũ tribuat,siue quis possideat,& se tueri velit,siue cũ à possessione quoquo casu,vel modo ceciderit,& ad ipsam rem, vel possessionem obtinendam agere velit. Et hoc statutum locum habeat ad præsentia,præterita, & futura.

De rebus publicè emptis, vel à Pyratis. *Rub. 38.*

ITem si quis Ciuis,aut comitatiuus habitator Firmanus,aut comitatiuus, vel districtualis Firmi palàm,& publicè,de die quidem,non de nocte,& in loco non suspecto aliquam rem mobilem ab aliquo forense emerit,& pretium se soluisse eius sacramento asseruerit, atque probauerit, iurauerit q. nesciuisse rem talem furto fuisse subtractam: etsi talis res à tali emptore euincatur, euincens pretium restituere non teneatur,nisi aliter Iudici ex aliqua causa visum fuerit. Si quis verò rem mobilem,vel se mouenrem quamcũque emerit ab armigeris,seu stipendiarijs,aut pyratis,seu cursarijs,& veniret fortè aliquis,qui esset dominus, & patronus dictæ rei; tunc, & eo casu emptor dictæ rei teneatur restituere dictam rem,& perdat pretium solutum in emendo rem prædictam.

Quòd propter ineptam petitionem quis non succumbat in causa ciuili. *Rubr. 39.*

STatuimus,& ordinamus,quòd nemo deinceps cogatur edere actionem in aliqua petitione, siue libello; sed tantum competens factum competenti causa proponat: & propter ineptitudinem petitionis,seu ineptam petitionem non succumbat.

De simulatis contractibus reprimendis. *Rub. 40.*

SI quis rem aliquam vltra centum solidos valentem, aut aliqua bona, vel partem ipsorum ex causa donationis inter viuos, vel causa mortis, vel in premium emancipationis, vel ex causa vẽditionis, vel alterius cuiuscunque contractus,aut quocunque titulo lucratiuo inter viuos,

vel non

vel non lucratiuo per se,vel alium receperit,siue instrumentum confectum fuerit super inde,siue non, & talem titulum habuisse se ostenderit post mortem illius,à quo habuit de tali re,vel bonis,quæ ille,à quo habuit talem titulum,habuerit,& possederit tempore suæ vitæ vsque ad tempus mortis; talis contractus,seu titulus,huius statuti auctoritate nullius valoris existat,nisi coram Potestate,vel eius Iudice,Capitaneo,vel eius Iudice,sciente,& certiorato eo,qui talem cõtractum,vel titulum confecisse dicitur, ostenderit, & insinuari,& publicari fecerit,& per vnum ex notarijs dicti Potestatis, vel Capitanei subscribi in dicto contractu,& instrumento inde confecto fecerit. Et non prosit talem contractũ, aut titulum recipienti,quòd ille, qui ipsum confecit, confessus fuerit, seu constituerit se eius nomine precario,vel aliter possidere,seu quòd talem rem,vel talia bona in conductionem receperit, sed immo sit ei opus veram,& corporalem possessionem in vita illius,qui talem titulum, vel contractum fecerit, ac etiam tempore mortis eiusdem nactum fuisse,vel habere per se,vel eius hęredes: aliàs quicquid secus factum fuerit,non teneat ipso iure.

De alienationibus rerum Minorum. *Rub. 31.*

VEnditiones,donationes,alienationes,remissiones,cessiones,quietationes,aut trãsactiones quarumcunque rerum,actionum,vel iurium sub quacunque forma,titulo,contractu,vel conceptione verborum à puberibus minoribus vigintiquinque annis fiendæ, non aliter valeant, neque teneant, nisi super inde talium minorum corporale interuenerit iuramentum, & ibidem affuerit, seu interuenerit præsentia,& cõsensus expressus saltem duorum proximorũ consanguineorum,si existant,vel si non,saltem duorũ affiniũ proximorũ masculini sexus,si existant,& præsentes sint,vel fęminini sexus xxv. annorũ,vel vltra,credito de tali cõsanguinitate, vel affinitate solo iuramẽto prætendẽtiũ se consanguineos,vel affines prædictos;aut deficiẽtibus talibus consanguineis,& affinibus,iudicis pręsentia,auctoritas,& cõsensus duorum vicinorũ talium minorũ plenissimè sufficiat.Debeat etiã consensus,& auctoritas curatoris dicti minoris puberis,si curatorẽ habuerit,interuenire.Si verò alienationes supradictæ,vel aliqua ipsarũ fierent ab impuberibus,& pupillis; tunc,& eo casu solennitates supradictæ interueniant,& interuenire debeant,ac etiã consensus, & auctoritas tutoris,& iudicis semper,& in omni casu:& aliter factæ à dictis minoribus,& pupillis nõ valeãt ipso iure,& dolosè factæ,& extortæ præsumantur. Si quis verò minor xxv. annis,maior verò xiiij. industriosus, qui aliàs cõsuetus esset publicè mercari,agere,& mercantiã exercere,inueniatur; tũc liceat tali minori omnia facere,quemadmodum & maiori, & gesta per ipsum,licet fuerint solennitates prædictæ omissæ,nullatenus irritentur.

De alienatione rerum dotalium. *Rub. 32.*

VEnditiones,seu quęcunque alienationes rerum dotalium ęstimatarum,vel inęstimatarũ, quas vir fecerit,non aliter valeant, nisi infrascriptis seruatis, videlicet ꝙ vxor cum consensu duorum proximorum consanguineorum tali venditioni, seu alienationi consentiat, & ipsam firmam habere,atque tenere promittat,& instrumento super inde omnimodo conficiendo, quod omnino confici exigimus,atque volumus,exprimatur cambiũ, quod vxor à marito recipit: quod quidẽ cãbium esse debeat tempore talis venditionis,seu alienationis æquè bonum, vt res dotalis alienata, vel vendita,& res immobilis in Ciuitate Firmi,vel eius districtu posita. Itẽ si vir rẽ aliquã suæ vxori obligatam,vel hypothecatam pro re dotali,vel dote vxoris vendiderit,alienauerit,vel obligauerit,talis vẽditio,obligatio,vel alienatio non aliter valeat, neque teneat, nisi mulier consenserit, & ipsam firmam habere iurauerit,ac etiam tot alia bona marito supersint tẽpore consensus,& iuramenti prædicti,quę ipsi mulieri pro dote restituenda,& creditoribus viri ipsius idoneè sufficiant. His autẽ omnibus,& singulis non interuenientibus,neque vxori,neque suis hæredibus, aut successoribus præiudicium valeat generari.Liceat autem vxori res suas dotales pro sua,aut etiam mariti, vel filiorũ necessitate, de qua legitimè constet,ac etiam res parafrenales, nulla subsistente causa, vel necessitate,alienare,vel etiam obligare,etiam sine cambio aliquo.Item liceat vxori consentire viro suo alienanti,seu obligãti res ipsius viri tali vxori pro dote hypothecatas,si viro suo,& filijs ipsius viri sui vrgens necessitas, & causa immineat,de qua iudici legitimè constet: duo tamen cõsanguinei talis vxoris proximiores, si existãt, aliàs vnus consentiat,& consentire debeat alienationi,vel obligationi prædictæ,aut nullo consanguineo existente,iudicis auctoritas, & consensus, ac etiam auctoritas, & consensus curatoris ei dandi ad hoc,si mulier maior sit,plenè sufficiat quoad hoc.Vbi autẽ minor sit,interueniente ipsius iuramento, & insinuatione in actis,vnà cum prædictorum consanguineorum consensu,plenissimam obtineat firmitatem.

tatem. Non extantibus vero dictæ vxoris consanguineis prædictis, iudicis auctoritas cum consensu curatoris ei dandi ad hoc in omnibus, & singulis casibus præmissis pleníssimè valeat, & sufficiat. Item statuimus, ordinamus, & adijcimus prædictis, quòd vxor possit res dotales, & parefrenales, & res sibi pro dotibus obligatas vendere, & viro suo vendenti consentire, etiam sine cambio aliquo, & sine aliqua alia solennitate statutorum, & sine præsentia consanguineorum, si viro suo, & filijs suis, ac etiam sibi mulieri vrgens necessitas immineatur, de qua necessitate iudici constet: & si iudex decreuerit necessitatem, & causam subesse, & quòd legitima, & necessaria necessitas, & causa subsit vendendi, vel consentiendi, tunc vxor prædicta vendere, & consentire valeat, alio non exquisito; & contractus sic per eandem celebratus plenam sortiatur roboris firmitatem.

De sponsalibus, & lucro sponsi, & sub cuius administratione sponsa, eiusq. bona regantur. *Rub. 43.*

QVoniam contractis sponsalitijs nonnulla onera sustinentur à sponso, statuimus, & ordinamus, quòd quandocunque inter maiores septennio sponsalia contracta fuerint, siquidem sponsa patre careat, sponsus à die sponsaliorum contractorum omnes, & singulos fructus dotis conuentæ, seu constitutæ lucretur omnino. Item statuimus, quòd si sponsa patrem non habuerit, sed sub tutore regatur, aut tutore indigeat; siquidem sponsus patrem habeat, omnis tutela eiusdem sponsæ ad eius socerum, patrem videlicet sponsi, deuoluatur omnino, & sibi res, & bona omnia, & singula dictæ sponsæ sint huius legis auctoritate commissa, & in inuentario redigantur: ad cuius inuentarij confectionem iudicis præsentia vnà cum duobus proximioribus consanguineis dictæ sponsæ, si extant, vel cum vno debeat adesse, & interuenire. Si autem sponsus patre caruerit, bona eiusdem sponsæ per eius sponsum, si maior xx. annis existat, confecto per eum inuentario, vt supra, administrẽtur omnimodo. Et si contigerit inter ipsos sponsalia dissolui; neque pater sponsi, neque ipse sponsus ad redditionem fructuum, seu prouentuum dotis prædictæ dumtaxat aliqualiter teneatur; sedimmo eiusdem sponsi lucro cedant omnino, propter onera, quæ (vt prædicitur) supportari contingit.

De restitutione dotium. *Rub. 44.*

COntracto matrimonio per verba de præsenti, mutuoq. consensu, etiam si carnalis copula sequuta non fuerit, siquidem matrimonium morte mulieris non extantibus filijs, vel filiabus communibus fuerit dissolutum, maritus medietatem dotis lucretur, & reliquam restituere teneatur. Et siquidem dotem non receperit, sed promissa, vel conuenta sibi fuerit, possit maritus prædictus dimidiam talis dotis à promittente, vel suo hærede petere, & consequi. De alia autem mulier possit pro sua voluntate testari. Res autem pro cunctio, seu pro arredo tantùm datas, maritus, seu alius eius nomine nullatenus restituere compellatur, sed ipsas lucrifaciat, omnibus pactis dotalibus, aut legibus in contrarium loquentibus non obstantibus quibuscunque. Vbi autem mulier decedens ex altero matrimonio tantùm filios, vel filias reliquerit, vir quidem tertiam partem dotis, & totum cunctium, & arredum lucretur, reliquas verò duas partes restituere teneatur omnimodo. Et vltra prædicta maritus de bonis, vel dote vxoris occasione cuiuscunque pacti inter eos conuenti nil possit habere, retinere, vel petere, nisi tertiam vel dimidiam, & cunctium superius prænotatas. Quibus dimidiæ, seu tertiæ vxor nullum grauamen inter viuos, vel in vltima voluntate possit opponere. Et præsenti statuto renunciari, seu contrafieri non valeat vllo modo, etiam si iuramentum apponatur: & si secus fieret, non teneat vllo modo. Si verò vxor relictis filijs, vel filiabus cõmunibus suum virũ prædecesserit, ipse vir de dote, seu cunctio nil restituere teneatur, sed filiorum communium sint, masculorum primò, quibus non existentibus, fœminarum; non obstante quocunque pacto in instrumento dotali apposito, etiam iuramento vallato, in quo continetur, quòd si filij extiterint, & intra certum tempus decesserint, seu quocunque modo, vel pacto alio non obstante. Et hoc ad præterita, præsentia, & futura non decisa transactione, vel sententia, aut lite non pendente, trahatur, & habeat locum. Vbi autem mulier relictis filijs ex vtroque matrimonio, videlicet priori, & posteriori, decesserit, dos eius, & id cunctij, quod superest, inter filios masculos, vel fœminas, vt supra, præcedentis, & sequentis matrimonij secundum capita ęqualiter distribuatur, & diuidatur. Liceat autem eidẽ vxori in dictis tribus casibus de dicta dote, & cunctio, videlicet de tertia parte pro eius anima disponere pro libito voluntatis, non obstante quocunque pacto dotali in instrumento apposito, aut etiam donatione propter nuptias, quæ tali dispositioni non valeat præiudicare vllo modo: & idem seruetur in vidua. Vbi autem matrimonium morte viri dissolui contigerit; siquidem dos in pecunia, vel rebus mobilibus, vel

se mo-

se mouentibus fuerit, tunc hæredes viri, vel quicunque alius, qui conueniendus sit pro restitutione dotis,& cunctij,ad talem restitutionem faciendam habeat annum à die mortis viri computandum, & non vltra;& interim ab hæredibus viri alatur,prout æqnum iudici visum fuerit. Si verò dos in bonis stabilibus,seu immobilibus fuerit;tunc intra xv. dies numerandos,vt supra,dotis prædictæ restitutio fiat.Et hoc casu cunctium, siue æstimatum, siue inæstimatum, non possit repeti, quoad rem, vel æstimationem,nisi duntaxat illud,quod extabit tempore mortis viri, nisi pretium cunctij in dotem computatum fuerit.Et si filij communes remanserint post mortẽ viri,vigore pacti donationis propter nuptias in instrumento dotali contenti vxor nil petere possit. Sinautem filij communes non remanserint;tunc secundum pactum conuentum petere possit,& habeat. Volumus etiam,& ordinamus, quòd dissoluto matrimonio morte viri,mulier non possit habere,retinere,petere, vel lucrari aliquam vestẽ nuptialem, & ad ornatum,sed tantùm vsuales quotidianas vestes, aut lugubres debeat habere,attenta qualitate personarum.Item vltra prçmissa mulier de bonis viri nil possit petere,retinere,vel lucrari.

De vltimis voluntatibus. *Rub. 45.*

Testamenta omnia,& singula manu publici,& legalis notarij scripta, habentia quatuor testiũ nomina in Ciuitate, trium verò in comitatu, tabellione non computato in numero testium, etiam si testes rogati non sint,huius legis auctoritate,valida,& autentica plenissimè habeantur,& sint, & per quemlibet Rectorem, & Iudicem Ciuitatis executioni mandentur, ac si solennitates, & omnes substantialitates iuris haberent, & eorum vigore agi, & consequi valeant, & defendi, dum tamen testator de iure communi sit habilis ad testandum. Item si quid filio, vel filiæ,vel alijs descendentibus, aut etiam ascendentibus, quibus de iure communi iure institutionis relinquendum est, in dicto testamento telictum sit quoquo relicti titulo, omisso iure institutionis, tale testamentum nihilominus valeat, & teneat, nec eo prætextu irritari, aut inualidari valeat quoquo modo, sed si minus legitima sit relictum, agi possit ad supplementum. Item si quis coram quinque testibus in Ciuitate, & quatuor in comitatu, etiam non rogatis, qui sint masculi, & omni exceptione maiores,suum condiderit testamentum, volumus, & ordinamus, quòd tale testamentum, seu vltima voluntas testibus prædictis probata, perinde valeat, & teneat, & executioni mandetur, vt supra dictum est de testamento in publicam formam redacto, ac si legitimus numerus testium eidem fuisset adhibitus, & solennitates aliæ legitimæ affuissent. Item si duo, vel plura testamenta vnins appareant, volumus, quòd semper vltimum conditum, etiam aliquo de modis superius præmissis, seu scriptis, priori præualeat, non obstante quòd prius factum etiam quantumcunque solennizatum, & iuramento vallatum existat,aut etiam verba derogatoria quantumcunque sint in eo apposita, vel descripta. Volumus insuper,quòd testamenta,codicilli,seu donationes causa mortis, & quæcunque aliç vltimæ voluntates pias causas concernentes manu tabellionis scriptæ, & duorum testiũ etiam non rogatorum nomina continentes,plenissimè valeant,& teneant,& executioni mandentur, ac si omni iuris solennitate,& substãtialitate legitimè vallatæ fuissent.Item codicilli, & quæcunque alia vltima voluntas ante testamentum, vel post à tabellione scripti, trium testium masculorum nomina continentes,aut etiam à tabellione non scripti,sed quatuor testibus masculis probati,valeant,& teneant.Item donationes causa mortis trium testium numero probatæ,plenissimè valeant, & teneant, ac si omnes solennitates legitimæ eis adessent.Insuper statuimus,quòd si quis manu propria testamẽtum, codicillos, donationem causa mortis, vel aliam quamcunque vltimam voluntatem scripserit, quàmuis talis scriptura neque testibus subscriptis, neque in tali vltima voluntate contentis, neque etiam tabellione iuuetur, neque solennitates,neque etiam substantialitates legitimas habeat,neque hæredis institutionem contineat;plenissimè nihilominus valeat,& teneat, & executioni mandetur secundum eius continentiam,& tenorem.Et tale testamentum præualeat cuilibet alteri prius facto, quantumcunque etiam solenni iuramento vallato, siue etiam quæcunque derogatoria verba continenti, dummodo iudici constet,vel per testes,vel probationem idoneam,quòd testamentum, codicilli,donatio causa mortis,vel quæcunque alia voluntas vltima prædicta,scriptum, seu scripta fuerit manu sic testantis,codicillantis,aut aliam vltimam voluntatem condentis: cuius quidem rei fidem,& probationẽ iudex ex suo officio,etiam sine ordine,& solennitate quacunque,recipere valeat,sola veritate attenta. Volumus etiam, quòd rupto testamento agnatione posthumi,legata, & fideicommissa particularia in eo contenta,valeant,& teneant. Hoc autem generaliter statuimus,quòd Rectores Ciuitatis, eorumq. iudices ad ciuilia deputati,videlicet qui ex inde requisitus fuerit, teneantur, & debeant suprascriptas

vltimas voluntates,necnon quascunque alias legitimè ordinatas obseruare,& obseruari facere,& executioni mandare summariè,simpliciter, & de plano,sine strepitu, & figura iudicij. Addentes insuper, quòd testamenta,& codicilli, & qualibet aliæ vltimæ voluntates tempore pestis cõdita,& ordinata,si tribus testibus fidedignis fuerint comprobata,valeant,& teneant pleno iure,ac si omnes solennitates, & substantialitates iuris,tam ciuilis,quàm municipalis,adhibitæ fuissent, non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus.

De hæreditatibus,& legatis factis hospitali Sanctæ Mariæ Charitatis, & laborerio Sanctæ Mariæ Episcopatus,& alijs hospitalibus. *Rub. 46.*

CVm multæ,& innumerabiles causæ rebus incidant mortalibus, propter quas homines iugiter id quod habent,detinere non possunt,& propter magnam mortalitatẽ præteritam, videlicet in anno Domini M. CCC. XXXXIX. multi, & varij homines volentes eorum condere testamenta,codicillos,siue vltimas voluntates, cessauerunt habere copiam iurisperitorum, & etiam notariorum scribentium testamenta, codicillos,& vltimas voluntates, occasione mortalitatis prædictæ; idcirco statuimus, & ordinamus, quòd quælibet vltima voluntas decedentis, quæ probaretur saltem per duos testes,etiam non rogatos,& omne testamentum,codicillum,& vltima voluntas, seu quęcunque alia scriptura manu propria testatoris cum testibus,vel sine,vel manu cuiuscunque notarij,in qua reperiretur aliquod legatum,vel hæreditas,purè,vel sub conditione, vel appareret hæredem esse hospitale prædictum Sanctæ Mariæ nouellæ de Charitate,vel pauperes ipsius,vel aliquod altare fiendum,seu factum in dicta Ecclesia Sanctæ Mariæ, vel legatum eidem factum de quibuscunque bonis, pecunia, seu rebus, per quam scripturam manu propria ipsius testatoris, seu per quemcunque notarium,non obstante quòd iuris solennitas desit , seu de iure valere non posset propter solennitates iuris deficientes;dummodo appareat de voluntate testatoris,& disponentis vltimam voluntatem aliquo ex modis prædictis, vel in præsentia duorum testium, ex tunc ostensa scriptura manu propria testantis, vel cuiuscunque alterius notarij visa, & lecta, seu receptis dictis duobus testibus ad minus prædictis;quilibet iudex iurisdictionem habens super dicto testamento,codicillo,seu vltima voluntate executioni mandet piam voluntatem testatoris,summariè,simpliciter, & de plano, sine strepitu,& figura iudicij,etiam de facto. Et si aliqua bona,pecunia,seu res defuncti disponentis dicto tempore mortalitatis,vel post,possiderentur,vel detinerentur per quoscunque,etiam si de dicta Fraternitate essent,per dictos modos,seu aliquem prædictorum,seu aliquo modo quocunque,dicto hospitali,& pauperibus restitui faciant cũ effectu à possidentibus,vel detinentibus quibuscunque. Et scriptura scripta manu propria testatoris,etiam manu cuiuscũque notarij per modum testamenti,codicilli,vel cuiuscunque alterius vltimæ voluntatis,facta dicto tempore mortalitatis hospitali prædicto, & pauperibus ipsius de quibuscunque bonis,pecunia,seu rebus,valeat,& teneat,& plenam obtineat iuris, & roboris firmitatem, non obstantibus quibuscunque positis sub titulo de testamentis, seu alijs quibuscunque positis sub quibuscunque alijs titulis de iure Canonico, & Ciuili in contrarium loquentibus in prædictis,& quolibet prædictorum. Et prædicta non intelligantur in causis,& quæstionibus decisis, & determinatis. Volentes, quòd prædicta locum habeant in præsentibus, præteritis, & futuris. Et quod supra dictum est de hospitale Sanctę Mariæ,idem dicimus, & statuimus in Ecclesia Sanctę Marię Episcopatus Firmi,& in quolibet alio hospitali existente in Ciuitate,& districtu Firmi.

De legatis pijs locis,vel ad pias causas factis. *Rub. 47.*

RElicta Ecclesijs, vel alijs pijs locis, aut cuicunque personæ ad pias causas, de quibus constet manu notarij publici,vel manu relinquentis,seu disponentis in vltima voluntate ad pias causas,vt præfertur, etiam si talis vltima voluntas neque testes subscriptos contineat, neque alios;dum tamen constet manu talis scripturam scriptam,seu conditam esse eo modo,quo supra scribitur in titulo de vltimis voluntatibus circa fidem habendam, quòd vltima voluntas sit manu ipsius testatoris, vel aliam vltimam voluntatem ordinantis, seu concedentis; Rectores, & Iudices ciuilium causarum Ciuitatis Firmi teneantur, & debeant facere solui, & executioni mandari intra decem dies continuos à die instrumenti producti coram eis,& requisitionis super inde factæ,nisi intra eosdem decem dies legitima defensio super inde allegata fuerit, & probata. Vbi autem neque manu tabellionis publici,neque manu ipsius relinquentis,sed aliter de talibus relictis constet,seu constare dicitur, causa super inde mouenda intra viginti dies continuos,etiam omissis quibuscunque solennitatibus statu-

torum,& iuris,terminetur omnino. Eademq. in omnibus,& per omnia in relictis ad ædificationem, vel refectionem pontium statuta intelligantur, & sint.

De inuentario conficendo. *Rub.* 48.

STatuimus,& ordinamus,quòd hæres ex testamento,siue ab intestato à die qua hereditatem adierit,vel se immiscuerit eidem,inuentarium conficiat de bonis,& rebus debitis, & creditis hæreditarijs,& legatis relictis,quæ ad eius notitiam peruenerint;etiam non vocatis creditoribus, debitoribus, & legatarijs, intra quindecim dies continuos à die prædicta exclusiuè numerandos,huius statuti auctoritate, etiam sine ministerio cuiuscunq; iudicis, vel Rectoris. Elapso autem dicto termino, siue hæredes inuentarium confecerint intra dictum terminum, siue non, tanquàm verus hæres cogatur respondere de iure creditoribus,& legatarijs, alijsq. cum volentibus conuenire, non obstantibus prædictis, vel alicui prædictorum legibus,seu constitutionibus ad inuentarij confectionē maius tempus indulgentibus,seu de ipsius inuentarij dilatione loquentibus. Tale autem inuentariū, siquidem coram iudice fiat per vnum notarium præsentibus saltē duobus testibus,scribi, seu fieri valeat,& sic factum plenissimè teneat. Sinautem alibi quàm coram iudice fiat,debeant interesse eius cōfectioni duo notarij poblici,& tres testes ad minus,& alter dictorum notariorum scribat inuentarium alter verò se subscribat: & tale inuentarium auctoritate præsentis statuti plenissimam obtineat firmitatem. Fideicommissarij verò,seu executores in vltima voluntate relicti,seu ordinati,seu per iudicem subrogati,intra quindecim dies à die quo se sic relictos, ordinatos, vel subrogatos sciuerint, de bonis defuncti inuentarium conficere teneantur:& ante ipsius confectionem officium sibi iniuctum nullatenus audeant exercere. Possintq. infra dictos quindecim dies idem officium recusare: quibus elapsis, nisi sic recusauerint, modis omnibus illico exercere cogantur, & ad id obligati existant his, quorum interest,huius legis dispositione.

De successionibus ab intestato. *Rub.* 49.

STatuimus,& ordinamus,quòd ad conseruationem cyppus domus,& familiæ,& quia per masculos familiæ nōminātur,& conseruantur,quòd de cœtero si contigerit aliquem,vel aliquā decedere ab intestato superstitibus filijs descendentibus, vel ascendentibus, vel trasuersalibus agnatis masculis vsque in tertium gradum de iure Canonico computandum,filiæ fœminæ,ac etiā mater,& sorores,& omnes aliæ fœminæ,tam descendentes,quàm ascendentes,quàm etiam transuersales,& tam de linea masculina,quàm feminina,& omnes agnatæ fœminæ,& omnes cognati,siue masculi, siue fœminæ,excludātur ab omni successione,& hæreditate sic morientis,& tam à bonis successionum,&hæreditate dotantium,quàm non dotantium,& dicti masculi succedant.Fœminæ verò,quas contigerit superesse, & quas sic præmoriens tenebatur dotare de iure, quæ dotatæ non essent, dotentur ad declarationem Potestatis,& Priorum competenter, attenta qualitate personarum, & dignitate domus, & facultatibus patrimonij, extraiudiciali informatione, absque aliquo ordine iudiciario. Sed fœminæ non dotatæ à matre non superstitibus filijs masculis in bonis maternis succedant in legitima: quibus masculis existentibus, in dimidia legitimæ succedant in dictis bonis: in dote autem seruetur statutum supra de restitutione dotium. Et si contigerit matrem sic decedentis superesse,debeat ipsa mater in bonis filij,vel filiæ,seu aliorum,vel aliarum descendentium,si sine filijs decesserint,habere dimidiam partem legitimæ, & dimidiam legitimæ auia paterna,matre non existente. Et intelligatur decedere intestatus, vel intestabilis in omnibus casibus præmissis,siue minor,& intestabilis decedat,siue maior,iure communi,statutis,decretis,& reformationibus, & alijs quibuscunque in contrarium non obstantibus. Volumus etiam prædictum statutum posse allegari ad interpretationem testamentorum,& decedentium cum testamento.

De executione sententiarum causarum ciuilium. *Rub.* 50.

EXecutiones sententiarum in causis ciuilibus latarū, & promulgatarum à iudice, vel iudicibus Communis Firmi, Consulibus mercatorum, arbitro, vel arbitratore, vel alio quocunque officiali auctoritatem habente, à quibus non fuerit appellatum, reclamatum, vel de nullitate dictum intra tempora, intra quæ licet appellare, vel petita non fuerit in integrum restitutio,vel reductio ad arbitrium boni viri intra dicta tempora,vel si fuerit intra dicta tempora ap-

pellatum,reclamatum,vel de nullitate dictum,vel petita fuerit reductio,vel in integrum restitutio, & fuerit sententia per iudicem appellationis confirmata,vel tempora fatalia fuerint transcursa,ita q prima sententia remaneat firma;fiant,& fieri debeant à Rectoribus,& officialibus Communis Firmi modo,& forma inferius annotata, videlicet. Quòd producta sententia coram iudice, citetur pars, contra quam lata fuerit,quòd intra terminum trium dierum in Ciuitate, vel quinque in comitatu veniat, & compareat coram iudice,ad dicendum,& monstrandum causam quare sententia prædicta exequi non debeat contra eam: qua non comparente intra dictum terminum,vel comparente,& non cotradicente, exequatur dicta sententia realiter, & personaliter ad voluntatem creditoris: nec aliquo modo audiatur condemnatus,donec integraliter fuerit creditori satisfactum secundum formam sententiæ productæ. Si verò parsaduersa comparuerit,& contradixerit executioni,& petierit copiam sententiæ productæ,& dixerit se velle aliquid obijcere cōtra sententiam,tunc sibi terminus quinque dierum statuatur ad opponendum,probandum,& probatum habendum quicquid voluerit contra eam. Et non possit opponi contra dictam sententiam nisi exceptio falsitatis,solutionis,& quietationis,& non aliæ exceptiones, etiam similes. Quibus quinque diebus elapsis,procedatur in causa prout, & sicut proceditur in instrumento guarentisiæ,pronunciando sententiam exequendam,vel non, prout iudici videbitur fore iuris,condemnando producentem sententiam,si exceptiones prædictæ, vel aliqua ipsarū fuerit probata,vel proponentem dictas exceptiones,vel aliquam ipsarum,si nō probauerit,sicut in statuto de executione instrumentorum guarentisiæ continetur : & victus victori in expensis condemnetur. Adijcientes huic statuto,quòd si per iudicem fuerit pronunciatum sententiam exequendam,à dicta pronunciatione nō possit appellari,reclamari,in integrum restitutio peti, vel reductio ad arbitriū boni viri,nec iudex retardare debeat executionem aliqua ex dictis causis,vel alijs quibuscunque,pœna centum lib. den. tempore scindicatus eidem auferenda,& Communi Firmi applicanda.

Secundum quæ iura causæ ciuiles,& negotia debeant terminari. *Rub. 51.*

STatuimus, & ordinamus,quòd in omnibus, & singulis causis,negotijsque ciuilibus decidendis,& terminandis, Rectores, & iudices Ciuitatis Firmi primò, & ante omnia attendant, atque seruent statuta, & ordinamenta Ciuitatis Firmi; deinde successiuè in eorum defectum Constitutiones generales Prouinciæ Marchiæ; tertiò,& deinde successiuè in earum defectum ius ciuile,& commune; quartò, & deinde in eius defectum ius canonicum: quibus omnibus, & singulis deficientibus,consuetudines Ciuitatis Firmanæ à iure non improbatæ debeant obseruari.

De represalijs concedendis. *Rub. 52.*

STatuimus,& ordinamus,quòd si qua persona forensis,siue Communitas,vel locus non subiectus inrisdictioni Communis Firmi, obligata, seu ogligatus esset alicui Ciui Firmano, seu alicui habitatori Ciuitatis,vel districtus Firmi, vel alicui Communitati ipsius Ciuitatis ex contractu,vel quasi,siue ex maleficio,vel quasi, vel alia quacunque causa, siue in aliqua terra, sen in aliquo territorio alicuius terræ extra districtum Firmi damnum datum fuerit Ciui Firmano, vel habitatori ipsius Ciuitatis,comitatus, vel districtus, vel alicui Communitati ipsius Ciuitatis, vel res alicuius prædictorū fuerint derobbatæ per aliquē, seu aliquos,& in terra, seu territorio extra districtū, & territorium Ciuitatis Firmi,vbi aliqua obligatio de supradictis contracta, seu quasi contracta fuerit, seu aliquid de prædictis commissum fuerit, denegata fuerit iustitia Ciui Firmano,seu habitatori Ciuitatis,comitatus,vel districtus prædicti,seu Communitati ipsius Ciuitatis Firmi prædictæ; per Potestatem,seu officiales terræ,seu territorij antedicti, si exinde facta, sen proposita fuerit querimonia, seu querela DD. Prioribus populi , & Vexillifero iustitiæ Ciuitatis Firmi , & eis de , & super dictis fides , seu confirmatio facta fuerit per vnum testem idoneum de veritate deponentem , seu per tres testes super inde de publica voce, & fama deponentes , præstito coram eis corporali iuramento de , & super prædictis per talem querelantem prædictum , seu alium eius nomine, hoc ordine procedatur , videlicet , quòd DD. Priores , & Vexillifer iustitiæ ad requisitionem talis querelantis teneantur , & debeant litteras destinare nomine Communis Potestati , seu officialibus terræ , seu territorij antedicti pro restitutione , & satisfactione condigna eidem querelanti facienda. Quæ quidem litteræ , si causa , seu questio fuerit de quantitate , sen valore decem librarum , vel ab inde intra , semel tantùm debeant emanere. Postquàm autem dictæ litteræ emanauerint , vt supra , siquidem dictis Dominis Prioribus , & Vexillifero non constiterit de restitutione , vel de

satisfactione prædicta intra terminum, quem ad hoc duxerint præfigendum, tunc lapso dicto termino, Potestas, seu Capitaneus, qui pro tempore fuerit in Ciuitate Firmi, intra octo dies post dictū terminum immediatè sequentes, de licentia, & voluntate DD. Priorum populi, & Vexilliferi iustitiæ dictæ Ciuitatis, qui pro tempore fuerit, teneatur, & debeat dare, & concedere tali querelanti prædicto repræsalias, & licentiam apprehendendi, & arrestandi personas, & res terræ, seu territorij suprascripti, & hominum ipsius, vsque ad satisfactionem condignam ipsius querelantis pro principali sorte, & pro ipsius expensis, & interesse. Vbi autem quæstio fuerit de quantitate, seu valore excedente decem libr. deñ. tunc facta querela, seu querimonia vt supra, ac etiā facta fide, seu informatione, & iuramento præstito, modo, & forma prædictis, DD. Priores populi, & Vexillifer iustitiæ ad petitionem talis querelantis teneantur, & debeant litteras destinare modo, & forma præmissis. Et siquidem intra terminum per eos præfixū, vt supra, non constiterit eis, quòd eidem querelanti condigna restitutio facta fuerit, tunc elapso dicto termino teneantur, & debeant ad requisitionem querelantis prædicti, ad terram, seu territorium antedictum, & regētes ibidem destinare ambasciatores eorum, expensis Communis, de, & pro restitutione fienda, vt supra, semel tantùm. Et siquidem tales ambasciatores non retulerint, ꝙ restitutio fuerit idoneè facta, ipsi DD. Priores, & Vexillifer iustitiæ, qui pro tempore fuerint, vinculo iuramenti, & pœna centum lib. deñ. pro quolibet teneantur intra octo dies post reditum dictorum ambasciatorum ad requisitionem talis querelantis proponi facere in generali Concilio, & specialiter de repræsalijs concedēdis contra personas, & bona hominum terræ, seu territorij antedicti pro sorte, & expensis, & interesse ipsius querelantis. Et quicquid in dicto Concilio fuerit obtentum, auctoritate huius legis valeat, & executioni mandetur. Et nullus Ciuis Firmanus, vel districtualis audeat, vel præsumat defendere quoquo modo pro suis, vel alio modo quocunque res hominum, terræ, seu territorij antedicti apprehensas, seu arrestatas ad petitionem dicti querelantis occasione dictarum repræsaliarum: saluis semper pactis habitis inter Commune Firmi, & Commune Rauennæ, Pisauri, Fani, Senogaliæ, & aliarum terrarum. Repræsaliæ verò olim per DD. Priores, & Vexilliferum iustitiæ cum consensu Cōcilij generalis, vel specialis, seu deliberatione eiusdem Concilij concessæ valeant, & teneant, & firmæ perdurent. Concessæ verò aliter, vel alio modo sint cassæ, & nullius valoris auctoritate præsentis statuti, sed de nouo secundum formam superius scriptam concedi possint, & valeant. Pro eo verò, quòd aliquis Firmanus, seu habitator ipsius, vel sui districtus in Ciuitate Venetiarum, vel alibi contra formam statutorum, vel cōsuetudinem illius loci emerit res aliquas, & propterea illas amiserit, seu ipsæ res sibi ablatæ fuerint, nullæ repræsaliæ concedantur. Item si aliqua terra à Ciuibus, seu habitatoribus, seu districtualibus Firmanis aliquod quarantesimum, seu quattragesimum, vel aliquid simile quacunque occasione accipiat, tantundem in Ciuitate Firmi, ab omnibus, & singulis eiusdem terræ occasione simili accipi possit, & valeat. Item si in aliqua terra prohibeatur, seu non permittatur mercatoribus, seu Ciuibus, aut habitatoribus Firmanis de ipsa, vel ipsius territorio aliquid extrahere, illud idem aduersus homines eiusdem terræ in Ciuitate Firmi, & eius territorio obseruetur. Hoc autem in præsenti statuto adijcimus, & obseruari immobiliter statuimus, quòd nullus occasione repræsaliarum apprehendere, seu arrestare, vel aliter impedire valeat deferentem aliquod bladum ad Ciuitatem Firmi, seu deferri faciētem, nec etiam tale bladum ad ipsam Ciuitatem, vel in ea delatum apprehendere, arrestare, seu impedire audeat quoquo modo. Item quilibet habens repræsalias concessas teneatur, & debeat quicquid occasione repræsaliarum acceperit, arrestauerit, seu ad eum peruenerit, facere scribi in charta pecudina per notarium Bancherij: & si secus fecerit, totum illud in duplū reddere compellatur, & nihilo minus in pœnam decem lib. deñ. Communi Firmi applicandarum incidat ipso facto. Item quicquid occasione repræsaliarum apprehensum fuerit, seu arrestatum cum litteris DD. Priorum, vel Potestatis, seu Capitanei, vel alicuius eorū Iudicis, & in præsentia alicuius prædictorū, facta tamen prius subhastatione, vendi possit, & valeat ad requisitionem eius, cui repræsaliæ sunt concessæ, & aliter non. Item Potestas, seu Capitaneus nullo modo valeat, seu audeat impedire quemquam, quo minus repræsalijs sibi cōcessis vtatur. Item si quod Castrum, seu Communantia, seu Vniuersitas districtus Firmi res, seu possessiones alicuius Ciuis, seu comitatensis, seu habitatoris Firmi occuparet, vel vasallos alicuius prædictorum in alicuius eorum præiudicium receptaret, vel aliter de bonis alicuius eorum teneret, Potestas, & Capitaneus, & quilibet eorum, sub pœna ducentarum lib. deñ. teneatur, & debeat Ciui, atque comitatensi, vel habitatori prædictis dare, & præstare auxilium, consilium, & fauorem, sufficienter, quousque prædictæ possessiones vasalli, seu res liberè relaxentur, & in pristinum reponantur. Et hoc capitulum, seu statutum in qualibet parte sui inuiolabiliter obseruetur.

Quòd DD. Priores populi, & Vexillifer iustitiæ possint aptare omnes repræsalias. *Rub. 53.*

ITem statuimus, & ordinamus, quòd DD. Priores populi, & Vexillifer iustitiæ Ciuitatis Firmi, qui pro tẽpore erunt, possint, & debeant aptare omnes, & singulas repræsalias, quas Ciues Firmani habent contra quoscunque homines, & personas, & possint cum eis componere, contra quos repræsaliæ sunt concessæ, cum Concilio, & sine Concilio, ad eorum arbitrium, & voluntatem. Et quòd idem intelligatur de repræsalijs datis contra Commune, & homines Ciuitatis, & districtus Firmi. Et possint represæsalias omnes in pace ponere, ita quòd omnes, & singuli, contra quos repræsaliæ sunt datæ, possint, & debeant securè venire ad Ciuitatem Firmi.

De præscriptionibus contra Iudæos. *Rub. 54.*

IVdæus, qui habet, vel in futurum habebit aliquem personaliter obligatum pro aliquo debito, de quo apparet publicũ instrumentũ guarentisiatũ, vel non guarentisiatũ, vel apodissa, seu scriptura manu debitoris scripta, vel aliàs quomodocũque de debito appareret, & tale debitum dictus iudæus à dicto suo debitore à die contracti debiti intra quinque annos cõtinuos tunc proximè sequentes non petierit, seu illud debitum agnitum non fuerit per debitorem illo medio tempore, tale debitũ nullatenus petere valeat, neque possit, & omni careat actione, præsumaturq. debitum fuisse per debitorẽ solutũ, sitq. dictus debitor aduersus dictum iudæũ præscriptione quinque annorũ præsentis legis auctoritate munitus. Quod locum habere volumus in præteritis, præsentibus, & futuris.

De iuramento Iudæorum. *Rub. 55.*

CVm contingat iudæum debere iurare de veritate super aliqua lite, causa, vel controuersia, & de forma iuramenti ipsius fuerit aliàs dubitatum, volumus, & hac perpetua lege sancimus, quòd quotiescunque iudæus, vel iudæi iurare deberent de veritate dicenda, in causa, lite, vel controuersia prædicta, officialis, coram quo præstari debet iuramentũ prædictum, mãdet iudæo, vel iudæis, qui præstare debent iuramentũ de veritate dicenda, quòd ponat manũ supra scripturis hæbraicis, & manu semper in dictis scripturis retenta per iudæum iurare debentem, dicat officialis prædictus dicto hæbræo, siue iudæo ista verba, videlicet: Io tale officiale di Fermo te tale giudeo (nominetur nomen iudæi) congiuto per lo nome di Dio del cielo, & della terra, Dio d'Israel, per quello Iddio, che comãdò al popolo suo d'Israel, Io son il tuo Dio, che ti trassi di terra d'Egitto, & di casa di seruitù, per quello Iddio, che ti comandò Non giurare il nome di Dio tuo à falsità, che non magnifica Iddio colui, che giura il nome suo à falsità. Et se cõfermarai, & confessarai la verità à le parole ch'io ti dirò, sopra le quali debbi rispondere la verità, giunga sopra de te, & sopra li heredi tuoi tutte le benedittioni che furono scritte nelli cinque libri della legge che Dio dette à Moisè nel monte Sinai. Et se tu pergiuerai, & non mi ditai la verità, & præuaricarai al detto giuramento, & alle scritture tue corporalmente, possan venire, & vengan sopra di te, & dell'herede tuo, & sopra l' herede del herede tuo tutte le bestemmie, le quali si contengono nel libro di Moisè, & non cessi da te gotta, ne lepra, ne palo in mano, & non ti perdoni Iddio se preuaricarai al detto giuramento che ti metta da canto à male da tutti li hebrei d'Israel con tutte le bestemmie del patto, che sono scritte nel libro della legge di Moisè. Et questo sacramento debbi fare senza alcuno inganno, & non pensi in questo sacramento nessuna malignità, ne malitia, se non come Dio commise. Et post prædicta narretur factum, super quo debet responderi per iudæum: & aduertat officialis super responsione fienda, ita quòd clarè veritas habeatur.

De trium iudicum causis. *Rub. 56.*

SVper causis pupillorum, orphanorum, viduarum, piorumq́ue locorum, & miserabilium personarum, ne dicti pupilli, orphani, viduæ, piaq́ue loca, & miserabiles personæ in iuribus eorum lædantur, nec opprimantur, & propter litigiorũ dispendia dissipentur, nec dictæ causæ in longum deducantur; statuimus, & ordinamus, quòd DD. Priores præsentes, & qui pro tempore erunt, in prima instantia causarum ad omnem petitionem, & requisitionem dictorum pupillorũ, orphanorũ, viduarũ, piorumq. locorũ, & miserabilium personarũ, seu aliorũ nomine ipsorum ad præfatos DD. Priores in prima instantia causarum recurrentium, & confugientium, teneantur, & debeant conuocare, &

conuocari facere coram eis D. Poteſtatem,ſuumq; collateralem,& D. Capitaneum, vel iudicem iuſtitiæ præfatæ Ciuitatis Firmi. Quibus conuocatis, & congregatis coram præfatis DD. Prioribus, præmonitis,& vocatis etiā partibus,iudiciū,litē,& cauſam habentibus,ipſi DD. Priores per Cancellariū Cōmunis deferri faciant,& mandent iuramentū,manibus tactis ſcripturis ſuper Miſſali,& Crucifixo in dicto Miſſali depicto, vt dictas cauſas, ſeu lites ſimul, & coniunctim intra menſem continuum ſummariè,diebus feriatis,& non feriatis,ſine litigio,ſtrepitu,& figura iudicij,ſimpliciter,& de plano, viſa tantùm,& inſpecta veritate facti, videant, cognoſcant, & de iure terminent, & decidant,remotis odio,amore,timore,prece,pretio,& omni humana gratia:& corā præfatis DD. Prioribus ſententiēt, & ſententiam dare, & ferre teneantur, & debeant intra menſem prædictum à die præſtiti iuramenti proximè futurum,ſub pœna xxv.ducat.pro quolibet ipſorum, ſi negligentes fuerint, & contrafecerint. A qua ſententia,tanquàm vltima,& peremptoria,partes appellare,reclamare,opponere, ſeu de nullitate dicere nullo modo poſſint,nec valeant;ſed roboris firmitatem, & paratam executionem dicta ſentētia,quæ pro vltima,& peremptoria habeatur,& auctoritate præſentis legis intelligatur, ſemper,& omni tempore habeat,& exequatur,omni ordine,& iuris ſolennitatibus omiſſis,ſtatutis, ordinibus,reformationibus,conſtitutionibus,& legibus quibuſcunque in contrarium facientibus non obſtantibus. Et ſi præfati DD. Priores in prædictis negligentes fuerint, & non obſeruauerint prædicta ad ipſorū officium ſpectantia,etiam incurrant pœnam.xxv.ducatorum pro quolibet ipſorum, tempore eorum ſcindicatus auferendorum, etiam Cameræ Communis Firmi applicandorum: de quibus ſpecialiter tempore eorum ſcindicatus ſcindicentur.

Quòd ſupplicationes ſuper ciuilibus cauſis non acceptentur in Cernita. *Rub. 57.*

HAc ſalubri lege ſancimus,quòd DD. Priores,qui pro tempore erunt,non poſſint, nec valeāt in ciuilibus cauſis in Cernitis,nec Concilijs aliquas ſupplicationes proponere,tractare, vel deliberare,& non acceptentur modo aliquo ſupplicationes prædictæ ſuper dictis cauſis ciuilibus, ſub pœna xxv. ducatorum auri, pro quolibet dictorum Priorum contrauenientium, & Cancellario,ſi dictas ſupplicationes legeret: ſed dictæ cauſæ ſemper remittantur D. Poteſtati, vel D. Capitaneo,vt iuſtitiam faciant.

De debitore contumace exbanniendo. *Rubr. 58.*

QVotieſcunque aliquis debitor citatus ſecundum formam noſtrorum ſtatutorum contumax fuerit,& non reſpondiderit in iudicio per ſe,vel idoneum reſponſalem creditori,vel ſuo procuratori,ad cuius petitionem fuerit citatus,& fuerit per Balium Communis relatio facta iudici,quòd inuenire non poteſt tenutam de bonis talis debitoris ſufficientem ad quantitatem petitam; exbanniri poſſit,& debeat,ſi creditori prædicto,vel ſuo procuratori placuerit. Et Poteſtas, & ſui officiales teneantur dictum talem contumacem exbanniri facere in quantitate petita. Et ſi infra menſem continuum à die dicti banni comparuerit, & contumaciam reuocauerit, præſtando fideiuſſorem idoneum de iudicio ſiſti,& iudicatum ſoluendo, & expenſas actori refecerit, ad bannum minimè teneatur. Elapſo verò menſe prædicto,non audiatur,nec de banno eximatur,donec ſatisfecerit integraliter creditori de debito,& expenſis. Adijcientes, quòd per hoc ſtatutum non intendimus derogare alicui ſtatuto huius voluminis diſponenti de modo procedendi contra reum contumacem; ſed dicta ſtatuta in eorum robore permaneant,& procedi poſſit ad primum,& ſecundum decretum contra reum,ſecundum formam ſtatuti,& ad bannum prædictum;& vnum per aliud non tollatur, donec creditori fuerit integrè ſatisfactum:& poſſit debitor prædictus exbannitus capi,& detineri in perſona,elapſo termino banni prædicti,& relaxari non debeat,donec ſatisfecerit,vt præfertur.

Quòd quando partes contrahunt,de florenis intelligi debeat,non autem de ducatis,& è conuerſo. *Rub. 59.*


STatuimus,& ordinamus, quòd quando contrahent viciſſim, & promittunt partes inter ſe vna pars alteri aliquam quantitatem pecuniæ,paruam,vel magnam,vel loquantur in florenis,vel de florenis,intelligatur,& intelligi volumus de xl. bononenis argenteis. De ducatis verò de bono auro,& de medio carractero,& non de floreno gigliato, vel alio floreno, niſi expreſsè inter partes dictum fuerit, quòd non intendunt de ducato,ſed de floreno gigliato,vel alio floreno.

TERTII LIBRI FINIS.




STATVTORVM COMMVNIS FIRMI LIBER QVARTVS

FELICITER INCIPIT.



De quibus maleficijs, & delictis per inquisitionem procedi possit. *Rubrica* 1.



AB omnibus, & singulis Rectoribus, & officialibus præsentibus, & futuris Ciuitatis Firmi, eiusq. comitatus, & districtus hoc præcipuè volumus, & statuimus obseruari, videlicet q de maleficijs, seu delictis quibuscunque, cuiuscũque sint speciei, vel generis, commissis quomodocunque, & qualitercunque ante annũ Domini. M. CCC. LXXIX. & diẽ xxiiij. mensis Augusti eiusdem anni, neque per viam, & modum accusationis, neque denunciationis, neque inquisitionis, coniunctim, vel diuisim, neque aliter qualitercũque audeant, vel præsumãt cognoscere, vel procedere, vel se intromittere: Immo de prædictis commissis ante supradictum annum, & diem dicti anni sit eis penitus præclusa, & interdicta facultas cognoscendi, procedendi, & puniendi. Quicquid autem secus, vel contra factum fuerit, non teneat ipso iure huius statuti dispositione: & nihilominus contrafaciẽs, vel fieri faciens quoquo modo pœnam mille flor. auri ipso facto incurrat. De commissis verò à dicto anno, & die citra, & de committendis in futurũ, statuimus, & ordinamus, q Potestas, eiusq. Iudex maleficiorum coniunctim, & diuisim habeant iurisdictionem ordinariam, & potestatem, & baliam procedendi per viam, & modum inquisitionis, ex eorum mero officio, etiam nulla præcedente denunciatione per Scindicum facta, de & super omnibus, & singulis maleficijs, criminibus, & delictis commissis in Ciuitate Firmi, vel eius comitatu, & districtu, vel etiam extra inter Ciues, seu districtuales Firmi inter se commissis tempore sui officij, vel ante intra annum proximum: de, & super verò furtis, & robarijs semper, & quandocunque, statuto aliquo in contrarium loquente non obstante, nisi aliàs esset processum, cognitum, vel sententiatum de prædictis. Exceptis delictis verborum iniuriosorum, & etiã reimproperij, & delictis percussionum, vel adminationum manu vacua, pede, vel quocunque humano membro tantùm, sine alicuius instrumenti, vel rei interuentu; nisi tales percussiones in collo, vel à collo supra factæ essent, vel ex inde sanguis exiret, seu ossis, nerui, & membri, vel officij membri fractura, seu debilitatio perpetuò duratura sequeretur, vel mors. Et exceptis delictis inter parentes, eorumq. filios, vel filias, vxorem, fratres ex altero, vel vtroque parente coniunctos inter se, vel inter sorores adinuicem, vel inter fratres cum sororibus (vt præfertur) coniunctis, vel alios coniunctos adinuicem cõsanguinitate, vel affinitate vsque in tertium gradum consanguinitatis, vel affinitatis de iure Canonico computandum, vel per dominum, vel dominam, patronum, vel patronam in seruum, vel seruam, famulũ, vel famulam cõmissis; nisi tale delictũ fuerit, ex quo ossis, nerui, membri, seu officij membri fractura, vel debilitatio perpetua, vel cicatrix enormis in facie, vel mors sequeretur,

vel fieret,

vel fieret, vel tale delictum fuerit, ex quo, seu pro quo pœna corporalis, seu corporis afflictiua principaliter, non autem in modum conditionis per formā statuti huius voluminis imponeretur, siue posset imponi, vel nisi fierent, vel committerentur contra aliquem officialem Communis Firmi, & eius comitatus, vel districtus: in quibus quidem omnibus, & singulis casibus per inquisitionem procedi, & cognosci valeat de delicto, tali coniunctione, seruitio, seu famulatione non obstante, nisi per aliquod statutum in dictis casibus, aut eorum aliquo contrarium caueretur expressè. Ac etiam exceptis omnibus, & singulis alijs casibus, & delictis, de quibus per formam alicuius statuti huius voluminis reperiretur denegata potestas inquirendi, seu per inquisitionem procedendi, vel cognoscendi. Per modum verò accusationis, seu denunciationis iniuriati, seu iniuriam passi principaliter, de omnibus, & singulis maleficijs, criminibus, & delictis indistinctè tempore eorum officij, vel intra annū proximum ante cōmissis, de furtis verò, & robarijs semper, & quandocunq; procedere, & cognoscere possint, & valeant dicti Rectores, eorumq. Iudices, coniunctim, & diuisim. Delinquentes verò, secundum formam, & modum, seu permissionem statutorum huius Ciuitatis debeant condemnari, & puniri. Ipsæ verò sententiæ per principalem Rectorem, non eius iudicem, vel officialem aliquem proferantur, nisi quatenus huius voluminis statuto aliquo permissum specialiter reperiatur.

Quòd Scindici Castrorum, & Villarum possint, & debeant denunciare maleficia. *Rub. 2.*

Bene prouisum fore cognoscentes, sancimus, quòd Scindicus quilibet vniuersitatis Castri, vel villæ cuiuscunq; Ciuitatis, & districtus Firmi, & etiam Scindicus Castri Portus Sancti Georgij teneatur, possit, & debeat referre, & denunciare infrascriptis D. Potestati, vel Capitaneo, vel eorum Curiæ, & iudici maleficiorum omnia, & singula maleficia, & delicta, quæ committi contigerit in Castro, vel Villa, vel in territorio Castri, vel Villę, vel Vniuersitatis, quæ ipsum constituit, intra x. dies à die commissi maleficij, vel delicti numerandos, pœna x. lib. den. à quolibet contrafaciente, & vice qualibet exigenda de facto. Et contineat, & continere debeat dicta denunciatio, seu reclamatio delinquentes quotcunq. sint, & delicta, & contra quem commissa sunt, cum tempore, & alijs solennitatibus opportunis, & cōsuetis. Pro cuius rei executione quælibet Vniuersitas Castri, vel Villæ comitatus, & districtus Firmi, intra octo dies initij cuiuslibet officij Capitanei, vel Potestatis teneatur constituere, & ordinare, & mittere ad Curiā Potestatis, & Capitanei Scindicum suū pro prædictis exequendis, cum sufficienti mandato, & cum eo duos Massarios idoneos, qui sint de dicta Vniuersitate, & plenè, & solenniter fideiubeant pro Scindico antedicto, pœna vigintiquinque lib. den. à qualibet Vniuersitate negligente exigenda de facto.

De modo, & ordine procedendi in criminalibus causis, vel mistis. *Rub. 3.*

Circa criminales, vel mistas causas talis modus, & ordo seruetur, videlicet quòd exhibita denunciatione per simplicem denunciatorem, vel accusatione per accusatorem in iudicio coram Rectore, vel eius iudice maleficiorum, iuret denunciator, ac etiam accusator prædictus, se ad sicdenunciandum, vel accusandum non calumniæ causa procedere; & insuper se denunciare secundum sibi relata, & audita, si simplex denunciator est: si accusator, iuret etiam se posse accusationem probare; & quòd accusat secundum veritatem tantùm; & quòd accusationem prosequetur vsque ad finem secundum formam statuti: & insuper præstet fideiussores, vel fideiussorem idoneum, & approbatum coram iudice, de prosequendo, & probando accusationem per eum productam secundum formā statutorum, & de soluendo pœnam in statutis præsentibus contentam, si contrafecerit, quo facto, vt præfertur, Rector, vel Iudex maleficiorum eodem die mittat copiam talis accusationis, vel denunciationis clausam, & sigillo Rectoris, vel Iudicis sigillatam ad Cancellarium Communis: deinde dictus Rector, vel Iudex maleficiorum citari faciat talem accusatum, vel denunciatū, personaliter, vel domi eius solitæ habitationis, aliquibus eius vicinis, vel familiaribus, vel duobus alijs testibus præsentibus, per publicum baliū Cōmunis Firmi, quòd intra terminū duorum dierum Ciuis, vel habitator Ciuitatis, habitator verò in comitatu, vel districtu iiij. dierū compareat coram eo ad se excusandū ab accusatione, vel denūciatione contra eū producta. Quæ citatio emanet, & fiat in scriptis, cū tenore expressoma leficij contēti in tali accusatione, & vel denunciatione accusato vel denūciato personaliter, vel domi eius habitationis præsentibus vicinis, vt supra, per dictū baliū, relaxetur eidē cedula: & aliter nō possit citatio fieri in maleficijs. Et hoc, quando proceditur cōtra Ciuem, vel habitatorem Ciuitatis, vel comitatus, vel districtus. Cùm verò proceditur contra forensem habitatorem extra districtum Firmi, in

diœcesi tamen Firmana in causa criminali, Iudex, vel Rector hoc ordine citet, videlicet per eius litteras continentes tenorem maleficij, & delicti citet illum, contra quē sic proceditur, quòd intra quinque dies, vel plures, prout Rector, vel Iudex decreuerit secundum loci distantiam, compareat corā eo ad se excusandum, & defendendum à denunciatione, vel accusatione contra eum producta. Quæ litteræ per publicum balium Communis Firmi mittantur ad Terram, vel locum diœcesis Firmanæ, vbi ille, contra quem proceditur, habitationem, seu residentiam facit, vel vnde oriundus est: & præsentetur per eundem baliū Rectori, Iudici, vel officiali illius Terræ, vel loci, de quo dictum est, vt citatio ad notitiam eius, contra quem proceditur, valeat peruenire: quòd si balius retulerit Iudici, se dictas litteras præsentare nequiuisse propter itineris periculū, vel alio casu, qui eius accessum impedierit, prædicta citatio ad portas palatij Rectoris, vel officialis fieri valeat per edictum, cum tenore maleficij, vt supra. Et in omnibus, & singulis suprascriptis stetur per Rectorem, & Iudicem relationi balij antedicti circa sibi commissa. Cùm verò contra forensem de extra Firmanam diœcesim proceditur in criminali causa, citetur ille, contra quem proceditur, per balium Communis Firmi, in scriptis per litteras continentes tenorem maleficij, de quo proceditur, affigendas ostio palatij residentiæ Rectoris, vel Iudicis procedentis, cum termino quinque dierum, vel plurium, prout Rectori, vel Iudici videbitur: intra quem terminum ille, contra quem proceditur, comparere possit, & valeat ad se excusandum, & defendendum. Et idem modus in omnibus, & per omnia seruetur in mittendo copiam, & citando, quando per inquisitionem tantum merè ex officio proceditur. Et si aliter citatio fieret, non valeat sententia, quæ sequeretur ex inde. Saluo semper eo, quod per statutum prouisum est infra sub rubrica, Quòd propter defectum solennitatis criminalis sententia non reddatur inualida: cui per hoc nullatenus derogetur.

Quomodo procedatur in criminalibus contra comparentem. *Rub. 4.*

DEnunciatus, accusatus, & inquisitus comparens coram Rectore, vel Iudice post citationem de eo factam, præcisè, & purè, sine alicuius exceptionis obiectiōn, accusationi, denunciationi, vel inquisitioni suo medio iuramento respondere teneatur, confitendo, vel negando factum, de quo proceditur, in totum, vel in partem, prout ei videbitur, clarè tamen, & apertè: Et omnes exceptiones sibi competentes intelligantur, & sint sibi sine alicuius iudicis ministerio in processu causæ reseruatæ. Qua responsione sic facta, si delictum, de quo proceditur, tale sit, ex quo merè, & purè imponenda sit, vel veniat pœna simpliciter pecuniaria, relaxetur talis denunciatus, accusatus, vel inquisitus, præstito vno fideiussore, vel pluribus approbatis per approbatorem, de soluendo condemnationē, quā fieri continget exinde. Si verò delictum tale sit, de quo proceditur, propter quod imponi possit, vel debeat pęna corporalis, seu corporis afflictiua principaliter, nullatenus debeat relaxari, sed immo carceribus debeat mancipari, vt sumatur de eo suppliciū in casu cōdemnationis, vel dimittatur secuta absolutione, à qua nō fuerit appellatum. Vbi verò veniret imponenda pęna corporis afflictiua, nō principaliter, sed in defectū pęnæ pecuniariæ, seu cōditionaliter, tunc si talis denunciatus, accusatus, vel inquisitus soluere voluerit, & soluerit Bancherio Communis Firmi quantitatem pecuniæ occasione maleficij, seu delicti taxatam, seu imponendam per formam statutorum, sub conditione recuperandi in casu in quo ipsum absolui contingat, & de tali solutione Rectori, vel Iudici docuerit per scripturam manu notarij Bancherij, & ab ipso Bancherio subscriptam, debeat in continenti à Rectore, vel Iudice relaxari: & contra dictam formam, vel modum nullus Rector, vel officialis aliquem accusatum, denunciatum, vel inquisitum, in carceribus, vel palatio detinere possit, vel audeat per se, vel per alium, pœna ducentarum libr. denī. pro quolibet, & qualibet vice. Et facta per denunciatum, accusatum, vel inquisitum responsione, vt supra, Rector, vel Iudex maleficiorum assignet reo terminum x. dierum proximorum ad excipiendum, & opponendum quicquid vult, & potest ad omnem suam defensionem faciendam, & producendum omnia iura, & ad probandum, & probatum habendum per testes, & instrumenta, & omne aliud genus probationis, quicquid vult, & potest. Et idem terminus assignetur, & assignari debeat accusatori, vel denunciatori, quando denunciator, vel accusator existat die dictæ responsionis, vel sequenti personaliter, vel domi suæ habitationis, vel loco quem elegerit pro citationibus de eo fiendis. Elapsis verò dictis decē diebus, Rector, vel Iudex publicet, & aperiat totum processum, & statuat reo, & accusatori, vel denunciatori, quando existat, terminum quinque dierum proximorum ad accipiendum copiam totius processus, & dicendum contra, & opponendum, & te probandum quicquid vult, & potest, vel maiorem terminum ipsius iudicis arbitrio: intra quem terminum contra personas testium, & eorum dicta, & contra instrumenta producta, & reliquum processum opponi, & probari possit,

ri possit,& valeat per vtranque, seu alteram partium, & non postea. Et Rector,vel Iudex,& notariu maleficiorum,facta dicta publicatione,faciat partibus copiam omnium prædictorum,sub pœna duc tarum lib. deñ. pro qualibet vice. Elapsis verò quinque diebus prædictis,vel pluribus,quos iudex st tuerit ad prædicta, Rector, vel Iudex maleficiorum publicè faciat fieri bannimentum, quòd quilibe habens facere in Curia maleficiorum,intra tertiam diem proximam veniat iura sua,si qua habet,alle gaturus. Quibus terminis sic elapsis,Rector,vel Iudex,& Vicarius eius,quando Rector propter infir mitatem, vel aliam probabilem causam impeditus esset, vel interesse non posset in Concilio ad profe rendum sententiam,pronunciare,& terminare debeat per sententiam criminalem,causam, & proces sum,secundum formam,seu permissionem statutorum. Ante tamen quàm dicta sententia proferatur Rector,vel Iudex die præcedēti publicè banniri faciat,quòd quicunque habet aliquid facere in Curia occasione alicuius maleficij compareat die post bannimentum immediatè sequenti ad Concilium, sententiam auditurus.Et tale bannimentum auctoritate præsentis statuti valeat, quantum citati o peremptoria legitimè facta de partibus ad sententiam audiēdam.Ita autem procedatur, & taliter, quòc semper intra quadraginta dies à die excusationis numerandos in cōparentibus, in contumacibus autem à die primæ citationis computandos omnes processus per ipsum Rectorem, seu Iudicem initiati per sententiam terminentur omnino. Processus verò sui præcessoris intra duos menses à die initiati sui officij terminare omnino debeat. Elapsis verò terminis antedictis,Rector,vel Iudex eius, qui prædictos processus non terminauerit,non habeat vlterius iurisdictionem cognoscendi super ipsis,seu eos aliqualiter terminandi, sed immo per eius successorem tales processus non finiti intra vnum mensem à die introitus sui officij computandum omnino debeant terminari. Rector verò, & Iudex maleficiorum,qui in prædictis negligens fuerit, per Iudicem appellationū, vel eius Scindicos in pœnis, quæ ex talibus processibus, quos finire neglexerit, poterant resultare, & nihilominus in quinquaginta libris deñ. vltra,omnino debeant condemnari. Insuper ne quis carcerum tedio inueniatur modo aliquo grauari, statuimus,quòd nullus occasione alicuius maleficij,vel delicti detineri possit personaliter in carceribus,vel palatio de mādato alicuius Rectoris,vel officialis Communis Firmi,seu per ipsos, non præcedente accusatione,denunciatione,vel inquisitione legitima, seu contra permissionem supra traditā, vltra decem dies à die qua in fortiam,seu potestatem talis Rectoris,vel Iudicis venerit, numerandos: intra quos Rector,vel Iudex per inquisitionem,accusationem, vel denunciationem procedere possit. Et vltra dictum tempus non formata inquisitione, nec accusatione, vel denunciatione producta contra talem in eius fortia constitutum ipsum detinere non audeat vllo modo, pœna quingentarum lib. deñ. à quolibet contrafaciente, & qualibet vice ipsius scindicatus tempore auferenda: sed datis per talem detētum fideiussoribus,vno,vel pluribus idoneis,seu approbatis,vel etiam oblatis tali Rectori, vel Iudici, & per eum non receptis de repræsentando talem detentum ad mandata Rectoris, vel Iudicis sub certa pœna non excedente lib. CCC.deñ. nec amplius quàm semel soluenda,elapso dicto termino decem dierū,omnino debeat relaxari propriæ libertati,sub dicta pœna. Et ad obuiandū officialium calumnijs,& cautelis,statuimus,quòd si constiterit per testes,vel instrumenta, seu probationes alias,aliquem sic detentum relaxatum fuisse vna die,& deinde eadem,vel sequenti reperiretur in fortiam dicti Rectoris,vel Iudicis,vel alicuius eorum,non intelligatur fuisse relaxatus,seu restitutus suæ libertati ille,qui prius detentus,& postea relaxatus reperiretur, iterato sic detentus. Sed dictus Rector,vel Iudex contrafaciens prædictam pœnam nullo modo euitet:& nihilominus talis detentus omnino relaxetur,vt supra.

Quomodo procedatur in criminalibus contra contumacem. *Rub. 5.*

EX quo accusatus,denunciatus,vel inquisitus citatus fuerit modo,& forma superius traditis,si in termino assignato,seu præfixo non comparuerit ad mandatum Rectoris,vel Iudicis, vel ad citationem de eo sic factam,ex tunc elapso dicto termino Rector,vel Iudex talem sic citatum exbanniri,& in banno poni faciat publicè de tota Ciuitate Firmi, & eius comitatu:& districtu per publicum Præconem communis in ea quantitate,vel pœna,qua condemnari deberet,vel posset accusatus,denunciatus,vel inquisitus;& eidem assignet in eodem banno terminum trium dierum proximorum,vel maiorem eius arbitrio; in quo termino dies banni dati nullatenus computetur. Quo banno sic dato,& facto,Iudex,vel Rector ipsum bannum notificari faciat in scriptis,per vnum balium Communis Ciui,vel habitatori in Ciuitate, vel destrictuali habitatori in comitatu personaliter, vel domi eius solitæ habitationis;reliquis verò ad ostium palatij Rectoris,vel Iudicis: quæ notificatio sic facta

plenè sufficiat,& à die talis notificationis terminus dicti banni incipiat,die notificationis minimè cõputato; intra quem terminum si talis in banno positus,seu bannitus coram Rectore, vel Iudice in iudicio comparuerit,cum eo procedatur modo,& forma traditis in titulo præcedenti. Si vero non comparuerit,seu comparere neglexerit in termino dicti banni,ex tunc elapso dicto termino nullatenus audiatur à Rectore,vel Iudice,nisi ad maleficium,de quo proceditur totaliter confitẽdum, nisi iudici visum fuerit ipsum admittere ad negandum. Et qui nullatenus coram Rectore, vel Iudice comparuerit in termino banni,vel postea ante sententiam,auctoritate præsentis statuti sit, & reputetur contumax, & habeatur pro confesso, & conuicto de maleficio,de quo proceditur contra eum,& dicto termino banni elapso condemnari valeat,alio vlterius non expectato. Et in omnibus, & singulis casibus præsentis statuti stetur per Rectorem,& Iudicem relationi Præconis, & balij circa sibi commissa.

Vt nemo inuitus accusare cogatur,& de non admittendo denunciatorem secretum. *Rub. 6.*

FRaudibus priuatorum, & iudicum obuiare cupientes, statuimus, vt nullus accusare cogatur inuitus: Item vt nullus secretò,vel priuatim accusans,vel denuncians admittatur, sed immo palàm, & publicè eius nomen in scriptis debeat apparere, nisi quatenus specialiter statuto aliquo huius voluminis reperiatur fore prouisum, pœna centum lib. den. officiali contrafacienti vice qualibet imminente. Et tamen contra hoc factum,& quicquid inde sequeretur,non teneat ipso iure.

Quòd minores,& filij familias habeant legitimam personam in criminalibus,& de beneficio ipsorum. R. 7.

GEneraliter statuimus,vt minores xxv. annis,& filijfamilias, maiores tamen xiiij. annis, etiam sine consensu curatoris, vel patris in criminali iudicio stare valeant, & legitimam personam habeant actiuè,& passiuè,siue per accusationem,siue per denunciationem,vel inquisitionem criminalis causa agitetur. Adijcientes prædictis,quòd minores xiiij. annis delinquentes,tamen maiores decem puniantur, & condemnentur in medietate pœnæ, qua puniuntur alij maiores xiiij. annis. Minores verò decem annis delinquentes Rectoris arbitrio puniantur: dum tamen medietatem pœnæ non excedat,delicti,& persona delinquentis,& persona in qua delinquetur,conditione pensata.

Quomodo, & quando in criminalibus causis procurator, tutor, vel curator, & pater pro filio admittatur. *Rub. 8.*

HAc lege sancimus, quòd in maleficijs, seu criminalibus causis nullus procurator pro alio admittatur actiuè,vel passiuè,vbi ex maleficio,de quo proceditur, imponi deberet, vel posset principaliter,vel conditionaliter,seu in defectum pœna corporalis,seu corporis afflictiua:nisi facta excusatione,vel responsione per principalem,contra quem proceditur, & tunc admitti valeat procurator ad cæteros actus vsque ad sententiam inclusiuè. Liceat autem cuilibet procuratorio nomine,vel defensorio nomine alterius in omnibus,& singulis casibus,vbi principaliter statuta est pœna pecuniaria,quamuis conditionaliter,seu in defectum sit corporalis,seu corporis afflictiua,comparere ad maleficium confitendum, & cum hoc ad pœnam pecuniariam soluendã nomine eius,pro quo ita compareret.Pater verò pro filio vno,vel pluribus,cuiuscunque sexus,vir pro vxore, tutor, vel curator pro pupillis non adultis,vno,vel pluribus, cuiuscunque sexus, ad accusandum tantùm, non ad excusandum admitti possint,& debeant,etiam in casibus supradictis:sed excusatione facta per principalem,ad cætera possit admitti,vt de procuratore dictum est. Pro bannito verò, vel in banno posito, cuiuscunque conditionis,vel sexus sit, nullus quocunque nomine admittatur, nisi ad producendum instrumentum pacis, in casu in quo reus releuaretur ex pace secundum formam præsentium statutorum:dum tamen producens tale instrumentum pro bannito prædicto ante omnia soluerit in Communi.xii.den. pro qualibet libra illius quantitatis,vel summæ, quæ vigore pacis de condemnatione dimidianda,seu detrahenda est.In pœnis verò merè simpliciter pecuniarijs imponendis, actiuè, & passiuè, procurator, & alij prædicti,nomine quo supra in criminalibus causis ad singula admittantur, præterquàm pro bannito,vt dictum est:ad negandum autem nullatenus admittantur nomine quo supra.

De abolitione concedenda. *Rub. 9.*

ITem hac lege sancimus,vt nullus Rector,officialis,vel Iudex alicui abolitionem cuiuscunque accusationis,vel denunciationis concedat quocũque colore, nec aliquis accusator per se,vel alium petere valeat quoquo modo, pœna centum lib. Rectori, vel Iudici concedenti, & vi-

gintiquinque lib.deñ.suo, vel alieno nomine petenti: & tamen id quod factum secus est, non valeat ipso iure. Excepto, & saluo, quòd de accusatione contemptus mãdati, turbationis, vel inuasionis possessionis, vel tenutæ abolitio peti possit, & valeat vsque ad sententiam exclusiuè, vel per vnam diẽ ante lectionem sententiæ, solutis quinque solidis prius Communi per talem petentem pro quolibet accusato, & fide facta de solutione per bullam Bancherij Cõmunis, vel eius notarij, quam notarius maleficiorum in actis debeat registrare, pœna decem lib. deñ. Quo facto, iudex pronunciet non esse vlterius procedendum. Et eo modo sit, & esse intelligatur finitus talis processus, & vlterius procedi non possit per Rectorem, vel iudicem super dicto processu; aliàs ipso iure non valeat quod secus fieret. Addendo corrigimus, quòd satisfacto, & volente creditore, etiam post latam sententiam, vel bannũ latũ, quandocunque abolitio peti possit, & valeat, ne dum ante sententiam in permissis, vt supra, solutis primò quinque solidis Bancherio Communis per petentem dictã abolitionem pro quolibet condemnato. Excepto tamen, quòd dicta condemnatio non esset prius soluta dicto Bancherio.

Quòd mulieres non cogantur intrare Palatia. *Rub. 10.*

LEge præsenti sancimus, quòd nulla mulier bonæ famæ per aliquem Rectorem, vel officialem aliquo modo, seu colore quæsito cogatur intrare palatium, pœna xxv. lib. deñ. Rectori, vel officiali cuilibet contrafaciẽti. Saluo, & reseruato, quòd in omnibus criminalibus causis, in quibus pœna corporalis, vel corporis afflictiua imponi posset, vel deberet mulieri occasione accusationis, inquisitionis, vel denunciationis contra eam præcedentis cogi possit vt masculus, ac etiam carcerari. Excepto etiam, si esset de delicto aliquo condemnata: quo casu etiam vt masculus cogi valeat, & constringi. In alijs verò casibus, & actibus, tam ciuilibus, quàm criminalibus sufficiat mulierem in aliqua Ecclesia coram iudice, vel officiali comparere ad parendum mandatis ipsius.

De processibus non initiatis per vnum Rectorem initiandis, & terminandis per alium. *Rub. 11.*

MAleficia, & delicta cupientes puniri, sancimus, quòd Capitaneus, & Potestas, eorumq; Curia teneatur, & debeat intra quinque dies à die notificationis sibi factæ initiare processum de, & super maleficio sibi denunciato. Quòd si ille, cui prius notificatum fuerit, intra dictum terminũ non fecerit, alter officialis, vel eius Curia intra alios quinque dies post denunciationem, seu notificationem sibi factam processum super inde initiare debeat, & postea vt iuris fuerit terminare: dũ tamen maleficium tale sit, de quo Rector talis, vel iudex eius potestatem habeat inquirendi ex mero ipsius officio. Quia verò quandoque contingit oriri controuersiã inter Rectores adinuicem, & inter partes occasione præuentionis in procedendo, vel cognoscendo de delictis, statuimus, quòd ille intelligatur, & intelligi debeat præuenisse in procedendo, & cognoscendo de delicto, qui prius copiam accusationis, denunciationis, vel inquisitionis de delicto eodem Cancellario Communis miserit: de quo stari debeat simplici verbo Cancellarij antedicti, & ipsius declaratio attendatur, nullo alio vlterius exquisito.

Qui admitti possint in criminalibus ad testimonium, & de testium examinatione. *Rub. 12.*

NE probationum facultas modo aliquo angustetur, statuimus, quòd in omnibus, & singulis criminalibus causis, cuiuscunq; sint modi, vel generis, tã fœminæ, q̃ masculi, ad testimonium perhibendum admittãtur, & habiles reputentur: dum tamen testis masculus, vel fœmina sit maior quindecim annis, & omni exceptione maior, anteq̃ testimoniũ perhibeat: & quilibet testis cuiuscunque sexus in criminali causa iuret præsente parte monita, vel citata legitimè, contra quã partẽ inductus, seu productus est. Et cuiuslibet testis dictũ, & testimonium in criminali causa per notariũ maleficiorum scribatur extensè, prout testificatur, non autem scribendo per talem, vel similem modum, videlicet dixit vera esse contenta in accusatione, denunciatione, inquisitione, seu articulo: nec etiam scribendo, dixit vt alius testis, vel simili modo, pœna notario sic scribenti contra prohibitionem huius statuti decem lib. deñ. pro qualibet vice: & nihilominus talibus scripturis fides nullatenus adhibeatur. De fide verò, & idoneitate testium, dispositioni, reputationi, seu arbitrio iudicis relinquatur.

De tormentis. *Rub. 13.*

OMnibus Rectoribus, iudicibus, & officialibus inhibemus aliquem ponere, seu poni facere ad tormentum aliquod, nisi legitima inditia præcedant de delicto contra torquendum secundum iuris cõmunis dispositionem, pœna quingentarum lib. deñ. cuilibet contrafacienti, & vice qualibet.

De sententijs criminalibus in Concilio proferendis, & per quem proferri possint. Rub. 14.

PRoferri, & promulgari sentētiæ condemnatoriç, & absolutoriç in causis criminalibus in Cōcilio generali in Palatio Communis, & populi more solito, & etiam diebus feriatis in honorem Dei possint, & debeant, in quibus crimen, seu delictum, de quo quis cōdemnatur, vel absolui tur, exprimatur: Et die præcedenti ipsas sententias præcedere debeat bannum pro sententijs antedictis. Quæ quidem sententiæ per notarium maleficiorum legi valeant, & perinde vim, & efficaciam habeant, ac si per Rectorem principalem, vel iudicem legerentur: dummodo ipsis lectis Rector principalis, non eius Vicarius viuæ vocis oraculo pronunciet, se ita sententiare, se ita ratificare, vel confirmare, vt lectum est. Saluo, quòd si Rector infirmitate, vel alia causa in Concilio interesse non possit ad sententias proferendas, per eius Vicarium proferantur, vt de Rectore dictum est.

Quando, & quæ sententiæ non possint proferri in criminalibus. Rub. 15.

QVocunque tempore sui officij possint Rectores Ciuitatis Firmi quascunque criminales ferre sententias; exceptis sententijs absolutorijs de criminibus, vel delictis, quas vltimis decem diebus sui officij nullatenus per se, vel alium proferant, vel proferri faciant, pœna centum lib. deñ. à quolibet contrafaciente vice qualibet auferenda: & tamen sentia sic latā absolutoria non teneat ipso iure, & negotium de nouo ex ijsdem actis debeat per sententiam terminari.

De beneficio confessionis, & pacis. Rub. 16.

RAtioni conuenire noscentes, ordinamus, quòd si aliquis, contra quem de crimine proceditur, in prima sui respōsione, seu excusatione, quam fecerit coram iudice de maleficio, seu delicto, de quo proceditur contra eum, sponte, ac purè, & simpliciter confessus fuerit crimen, vel delictum, de quo proceditur contra eum, in condemnatione fienda de ipso quarta pars pœnæ originalis pecuniariæ pro maleficio statutæ minuatur. Si verò habuerit etiam pacem ab illo, contra quem delictum commissum est, & instrumentum talis pacis produxerit coram iudice in publicam formam per vnam diem ante latam sententiam, altera quarta pars dictæ originalis pœnæ similiter minuatur. Et si tantum pacem habuerit, vt supra dicitur, & ipsam prædicto modo praduxerit, pars quarta tantum præ dictæ pœnç statutæ minuatur. Et hoc in pœnis omnibus pecuniarijs limitatis, & taxatis. In pecuniarijs verò in totum, vel in partem arbitrarijs, dicta beneficia, vel alterum, quod reus habuerit, & de eis docuerit, vt præfertur, post sententiam latam tantùm possint, & debeant reseruari, & huius statuti au ctoritate reseruata intelligātur, & de quantitate in sententia contenta dicta beneficia minuantur. Et prædicta beneficia, vel eorum aliquod non habeant locum in casibus, in quibus de delicto statur relationi officialis, vel familiæ Rectoris. Statutis quidem nostri huius voluminis prædicta beneficia, vel eorum aliquod admitti inhibentibus in suo robore permansuris, quibus per hoc statutum nullatenus derogetur, neque præiudiciū generetur. Et insuper statuimus, quòd si pęna pecuniaria haberet an nexā corporalē, aut corporis afflictiuā in modum conditionis, eadem conditio, & pœna, etiam præsup positis, seu locum habētibus beneficijs confessionis, & pacis prædictis, adijciatur, & vēdicet sibi locū.

In quibus casibus pax operetur, vel non. Rub. 17.

STatuimus, & ordinamus, quòd in omnibus criminalibus causis, in quibus pœna delicti per formam statuti præsentis voluminis est merè pecuniaria, vel etiam habet annexam in modum conditionis pœnam corporalem, vel corporis afflictiuam, pacis beneficium reo prosit, dum tamen de eo constet, & producatur, vt supra traditur in titulo præcedenti, nisi aliud, seu contrarium statuto aliquo huius voluminis sit expressum in aliquo casu. In pœnis autem merè personalibus, vel corporis afflictiuis, nec confessio, nec pax proficiat quoquo modo.

De pœna dimidianda hominibus Castrorum, & villarum comitatus, & districtus Firmi. Rub. 18.

VOlumus, & ordinamus, quod pœnæ merè, & simpliciter pecuniariæ, ac etiam limitatæ, & deter minatæ per statuta huius voluminis, siue sint pecuniariæ, & in defectum conditionales, & corporis afflictiuæ, quæ non sunt arbitrariæ; neque in totum, neque in partem in ipsa senten tia, seu condemnatione dimidientur per Rectorem hominibus comitatus, & districtus Firmi, si alium de comitatu, vel districtu, & in ipso comitatu, atque districtu offenderent. Pecuniariæ verò arbitrariæ

in totum,vel in partem,ſiue habeant,ſiue non habeant annexam pœnam corporalem,ſeu corporis afflictiuam in modum conditionis,prædictis hominibus ſic delinquentibus,ſeu offendentibus,vt præfertur,poſt ipſam ſententiam,ſeu condemnationem dimidientur,& dimidiatæ intelligantur,& non ante. In pœnis autem per ſtatuta huius Ciuitatis cōnſtitutis propter damna data,verba iniurioſa,vel reimpropetatoria,blaſphemias,ſeu maledictiones Dei,& Sanctorum,vel turpe,ſeu importunum iuramentum per Deum,vel Sanctos eius factum,ſeu iuratum,vel aliter in Dei,vel Sanctorum dedecus,vel contemptum factum,aut dictum;qualeſcunque pœnæ ſtatutæ ſint,& in pœnis conſtitutis propter delicta, de quibus ſtatur relationi officialis, vel familiæ Rectoris, dimidiatio in hoc ſtatuto contenta non habeat locum in hominibus antedictis. Homines inſuper de Portu Sancti Georgij propter maleficia per eos cōmiſſa in omnibus,& per omnia tractentur,& puniantur circa criminalia tanquàm Ciues.Et hoc ſtatutum locum habeat in præteritis,præſentibus,& futuris:quæ pœna ſic dimidiata intelligatur,& ſit pœna originalis delinquentibus ſupradictis,& pro originali omnimodo intelligatur,& reputetur.

De duplicatione pœnarum. *Rub. 19.*

HAc lege ſancimus, ꝙ pœnæ pecuniariæ præſentium ſtatutorum, ſiue ſint merè, & ſimpliciter pecuniariæ limitatæ,& determinatæ,ſiue ſint pecuniariæ in totum, vel in partem arbitrariæ, ſiue ſint pecuniariæ principaliter, & ſecundario corporales, ſiue habentes annexam pœnam corporalem,ſeu corporis afflictiuam,duplicentur,& duplicari debeant, licet non ſit expreſſum per Rectores,quando maleficia,vel delicta commiſſa fuerint noctis tempore, videlicet poſt Solis occaſum, & ante Solis ortum, vel ſi commiſſa fuerint in præſentia DD. Priorum populi, & Vexilliferi iuſtitiæ Ciuitatis Firmi,vel alicuius ipſorum durante eorum officio. Volentes etiam, quòd vltra dictam duplicationem percutiens aliquem in præſentia DD. Priorum populi in palatio eorum reſidentiæ, teneatur,& debeat de facto ad ſoluendum ducat. quinquaginta auri Communi Firmi,& in carceribus ponatur,& donec cum effectu perſoluerit minimè liberetur de dictis carceribus,& etiam ad exemplar aliorum ſi dictus delinquens eſſet de regimine,& officio prioratus,ex nunc auctoritate præſentis legis priuetur in perpetuum omnibus officijs,& beneficijs Communis Firmi:& ſi talis delinquens intra terminum vnius menſis à die talis commiſſi delicti non perſoluerit dictam pœnam quinquaginta ducat.auri,manus dextra ſibi amputetur, & per Poteſtatem, ſeu Capitaneum dictæ Ciuitatis,& Curiam ipſorū prædicta exequantur,& executioni mandentur de facto,& ſummariè, omni iuris ſolennitate omiſſa,conſtito de delicto vt ſupra cōmiſſo: & andem pœnam incurrant DD. Priores,ſi inter ipſos aliquis de dictis Prioribus modo ſupradicto percuteret alterum de dictis Prioribus, ad hoc, vt Magiſtratus dignitas non deturpetur: Vel in præſentia alicuius Rectoris,ſeu eius officialis Ciuitatis,qui ſit forenſis: vel ſi commiſſa fuerint in aliqua Eccleſia,vel in oſtio Eccleſiæ alicuius,ſiue in Ciuitate,ſiue in comitatu: dum tamen intra corpus Eccleſiæ, vel in oſtio, vt præfertur: Vel ſi commiſſa fuerint in aliqua iſtarum dierum, videlicet prima Kalendarum Ianuarij,prima Epiphaniæ Domini, Sancti Antonij de menſe Ianuarij,Purificationis B. Mariæ de menſe Februarij; prima die Quadrageſimæ,vel quocunque die veneris de menſe Martij; die Annunciationis B. Mariæ virginis; dominica oliuarum,quacunque die hebdomadæ ſanctæ; die Paſchatis Reſurrectionis Domini, vel aliquo de tribus ſequentibus poſt ipſum diem; die Penthecoſtes,vel aliquo ex duobus ſequentibus poſt ipſum diem, die Aſcenſionis Domini: die prima Kal. Maij: die Natiuitatis B. Io: Baptiſtæ: die quocunque nundinarum: die Aſſumptionis B. Mariæ virginis de menſe Auguſti, vel eius vigilia: die B. Bartholomæi Apoſtoli: die Natiuitatis Beatæ Mariæ de menſe Septembris: die feſti Omnium Sanctorum: die Beatæ Catherinæ: die Beatæ Luciæ: die Natiuitatis Domini,vel eius vigilia: die Beati Stephani: die Beati Ioannis Euangeliſtæ. Et ſi commiſſa fuerint vltimo menſe regiminis Poteſtatis, vel Capitanei; vel ſi commiſſa fuerint contra aliquem ad domum,vel in domo eius ſolitæ habitationis,vel ad apothecam,vel ſtationem propriam,vel conductam iniuriati,vel in ea,vel ad eius poſſeſſionem,vel in poſſeſſione propria,vel cōducta,vel propè dictam domum, apothecam, ſiue poſſeſſionem per quinque pedes ad pedes Communis: Exceptis in furtis,& in eorum ablatione,quòd propter rationem loci non duplicentur: Vel ſi commiſſa fuerint in Palatio reſidentię DD. Priorum, vel Vexilliferi iuſtitiæ, vel in Palatio reſidentia D. Poteſtatis, vel D. Capitanei, vel iudicis iuſtitiæ: Vel ſi commiſſa fuerint in præſentia alicuius officialis cuiuſcunque Caſtri Communis Firmi, in domo tamen, vel loco eius reſidentiæ pro ſuo officio: Vel ſi commiſſa fuerint in Girifalco, vel in Platea Sancti Martini in quacunque parte amplitudinis, quatenus claudunt cathenæ viarum, & quatenus eſt ab angulo domus iudicis iuſtitiæ recta linea

versus Geronem vsque ad muros ipsius Geronis: Et quatenus est à domo Iacoboni Vannis, vel ab angulo ipsius versus Geronẽ vsque ad muros Geronis:& etiã sub porticu Ecclesiæ Sãcti Martini:& generaliter quatenus est ipsa amplitudo vsque ad angulos viarum inclusiuè, per quas intratur in amplitudine plateæ prædictæ:& vsque ad muros, seu parietes, qui sunt circũcirca, vel in via publica quacunque, qua igitur à Girifalco versus plateam Sancti Martini recta via, vel in quacunque via, seu strata magistra Cõmunis Firmi, videlicet à platea Sancti Martini versus portam Sancti Iuliani, vel Sancti Marci, vel Sanctæ Luciæ recta via: vel in aliqua dictarum portarum, in platea de medio, vbi sunt speciariæ, vel ab ipsa platea recta via vsque ad portam Sancti Francisci, vel in ipsa porta, vel à porta Sancti Francisci vsque ad Portum Sancti Georgij recta via per viam maris: vel in platea dicti Portus, vel in aliqua porta dicti Portus, vel in strata dicti Portus, quæ incipit ab Ecclesia Sancti Georgij in dicto Portu recta via, vsque ad portam, per quã itur ad Castrũ Turris palmarũ; vel in riua maris, quatenus se protendunt muri dicti Portus versus mare intra palatam: vel in via publica, qua itur à platea Sancti Martini vsque ad Ecclesiam Sancti Dominici recta via versus domum hæredum Vannis Gulielmi Anselmi: vel à dicta domo in via publica vesus portam Sanctæ Catherinæ recta via, vel in porta Sanctæ Catherinæ: vel in foro Belmontis. Et non possit pœna aliqua duplicari, nisi semel, licet duo, vel plura de prædictis simul concurrãt. Et ne Rectores, vel officiales circa duplicationem dubitẽt, vel in incerto vagentur, fiat duplicatio hoc modo, videlicet quòd si pœna esset pecuniaria simpliciter, limitata, determinata, ac etiam certa, cumulent in sententia pœnam simplicem cum additamento, seu duplicatione insimul. Si verò esset pecuniaria arbitraria in totum, vel in partem, tunc prius exprimant in sententia pœnam simplicem delicti, deinde adijciant & tantundem, exprimendo etiam quantitatem ratione additamenti, seu duplicationis. Et si pœna pecuniaria haberet annexam corporalem, seu corporis afflictiuam per modum conditionis; tunc eadem conditio sit, & adijciatur in pœna duplicata, quæ esset, & adijceretur, seu apponi deberet in simplici pœna. Vbi autem per formam statuti alicuius pro aliquo maleficio commisso in aliquo ex suprascriptis locis certa pœna, & determinata inueniretur statuta; tunc ratione talis loci duplicatio prædicta non fiat illo modo. Pœnæ verò quorumcunque Ciuium comitatensium, vel forensium delinquentium in ipsis Castris comitatus, videlicet in palatijs residentiæ officialium ipsorum Castrorum, & coram ipsis officialibus, & in plateis, & ianuis Castrorum prædictorum duplicentur, & duplicari debeant per quoscunque officiales, & cognitores delictorum prædictorum.

De mulctis, & earum modis. *Rub. 20.*

ITem ad hoc, vt metu pœnæ Rectoribus, & officialibus credatur, & ipsi, & quilibet eorum plenariè possint eorum officia exercere, statuimus, quòd Potestas, & capitaneus, & quilibet eorum habeant potestatem mulctandi, & puniendi extra ordinem, & de facto in quantitatem ad quinquaginta vsque libras deñ. inclusiuè, indicendo videlicet mulctam pro primo præcepto vsque ad decem lib. deñ. pro secundo vsque ad xxv. pro tertio vsque in quinquaginta. Et si ille, cui tria præcepta cum mulctarum impositione facta fuerint, pateretur propter suam inobedientiam, vel contumaciã, Parlamentũ, vel Conciliũ congregari: nec ante fuerit obediẽs Rectori prædicto, à quinquaginta libris vsque ad cẽtum puniri possit de facto Rectoris arbitrio. Iudices autem dictorum Rectorũ, eorumq; milites pro medietate dictarum quantitatum mulctandi habeant facultatem, videlicet pro primo, secundo, & tertio, & pro rata dictarum quantitatum, supradicta forma seruata. Et alia præcepta cum mulcta, & pœnæ indictione, vt supra, per Rectores, iudices, & milites prædictos emanare possint contra quemcunque vsque in quantitates prædictas, & simul, & semel in vna voce. Notarij verò dictorum Rectorum vsque in viginti solidos deñ. mulctandi habeant facultatem; dum tamen contra vnam personam solam non nisi semel tantùm mulctam pro die vna possint indicere, sed immo semper vnius diei interuallum inter vnum præceptum & aliud debeat esse. Alij autem officiales Ciuitatis secundum modum sibi traditum per statuta de ipsorum officio loquentia mulctandi habeant potestatem. Semper autem in scriptis adijciatur causa per tales Rectores, iudices, seu officiales, quando mulctas, seu pœnas prædictas imponunt: & non valeat prædictum modum transcendere; immo si secus fecerint, ad modum prædictum reductum esse intelligatur. Et quod factum erit contra supradictum modum, non teneat ipso iure, sed Rector, vel officialis contrafaciens in pœnã centum lib. deñ. incidat eo ipso, & parti ad interesse teneatur. In exercitu verò, vel caualcata, prædicti Rectores potestatẽ habeãt mulctas, & pœnas quascunque de facto, pro eorum arbitrio imponendi, seu infligendi; & non tantùm vi-

tum viuæ vocis oraculo, sed etiam per litteras, vel mediam personam Balij, seu nũcij, tam in ciuilibus, quàm etiam criminalibus possint fieri per prædictos præfata præcepta, & mandata, cum mulctæ, seu pœnæ impositione, secundum modum, & formam supradictam, dum tamen ille, contra quem fiunt, seu emanant dicta præcepta, non aliter ligetur ex ipsis, nisi personaliter inuentus, seu apprehensus fuerit. Et stetur de prædictis nuncij, seu balij, vel præconis bannientis relationi: & talia præcepta contemnens à quocunque valeat accusari, statuto aliquo non obstante.

De tempore soluendi condemnationes. *Rub. 21.*

VNctis condemnatis pecuniariter principaliter, siue conditionaliter in defectum indulgemus, & hac præsenti lege sancimus, quòd quicunque condemnatus soluerit Bancherio Communis Firmi condemnationem de se factam intra decem dies à die latæ sententiæ numerandos, vel ante ipsam sententiam latam, detrahatur eidem soluenti quarta pars totius pœnæ originalis de condemnatione de se facta, & ab ipsa huius statuti auctoritate sine iudicis ministerio intelligatur esse absolutus, atque liber. Adijcientes insuper, quòd condemnati in pœna pecuniaria, habentes pacem ab offenso, & ipsam produxerint in termino, & confessi fuerint delictum, volentes soluere pœnam intra tempus habeant plenam remissionem duplicationis pœnæ, si fortè pœna esset duplicata. Si quis verò condemnationem pecuniariam de se factam intra dictos decem dies non soluerit cum effectu Bancherio antedicto, vltra talem condemnationẽ etiam quartam partem in condemnatione quantitatis expresſè, siue sit dictum in sententia, siue non, soluere teneatur omnino; & ipsa non soluta, nullatenus ei condemnatio valeat cancellari. Talis autem quartæ partis adiectio, siue augmentum non vendicet sibi locum, vbi pecuniariæ condemnationi pœna corporalis, seu corporis afflictiua foret annexa. Hoc autem statutum non vendicet sibi locum, si maius, vel minus tempus per statuta huius voluminis ad soluendum condemnationes, seu pœnas inueniretur appositum.

Quòd propter defectum solennitatis, criminalis sententia non reddatur inualida. *Rub. 22.*

VOlumus, & ordinamus, quòd si de crimine, vel delicto per partis confessionem, vel legitimam testium probationem, vel aliàs legitimè constet de crimine, vel delicto, quàmuis in processu quæcunque solennitas omissa, vel prætermissa fuerit, vel ordo iuris, seu statutorum Communis Firmi peruersus, vel non seruatus fuerit; nõ tamen propterea sententia sit irrita, seu irritanda; sed perinde valeat, & teneat, ac si ordo, & solennitas omnis statuti, & iuris plenariè fuerit obseruatus. Nec occasione aliqua de prædictis, quando de crimine sic constat, aliquis Rector, Scindicus, vel iudex appellationum sententiã super tali crimine latam possit nullam, seu inualidam, vel irritam pronuntiare, seu annullare, irritare, vel inualidare, vel aliquid contra ipsam attingere quoquo modo, sub pœna ducentarum librarum deñ. contrafacienti; & nihilominus quod factum fuerit contra hoc, non valeat ipso iure, nec teneat vllo modo.

De bonis damnatorum. *Rub. 23.*

NE ex alieno delicto alius aggrauetur, seu detrimentum patiatur, statuimus, & ordinamus, quòd si quis fuerit condemnatus ad mortem; siue de ipso facta fuerit executio, siue non, bona eius nullatenus possint, vel debeant publicari, sed immo ab intestato venientibus, vel de iure succedentibus debeant reseruari, & reseruata sint: exceptis bonis cuiuslibet condemnati de proditione, seu rebellione contra Ciuitatem Firmanam, vel eius Commune commissa: & exceptis condemnatis de hæresi, assassinatu, robbaria stratarum, & vitio sodomitico: in quibus omnibus, & singulis casibus bona delinquentium publicari, & confiscari debeant Communi Firmi, & confiscata esse intelligantur, etiam si non sit in condemnatione expressum: reseruata tantùm filijs legitima semper, nisi in casu proditionis prædictæ, & rebellionis. Et vbicunque fit mentio de publicatione bonorum alicuius, nisi ibidem apertè derogaretur huic statuto ex aliqua causa, idem intelligatur, & sit. Et exceptis alijs casibus statutorum, & huius voluminis specialiter expressis circa publicationem bonorum delinquentis: quæ statuta in suo robore firma permaneant.

De blasphemantibus, vel maledicentibus Deum, vel Sanctos eius, & malè, & turpiter importunè de eis, vel per eos iurantibus, vel contra eorum imagines, vel figuras quicquid facientibus. Rub. 24.

AD reprimenda facinora eorum, qui diabolica instigatione comprehensi blasphemias, verba, vel facta præsumũt proferre, vel facere, propter quæ pestilentias, terræmotus, vel fames oriri in terris cognouimus; humanis legibus magis, quàm diuinis statuimus, & hac in perpetuum lege valitura sancimus, quòd si quis Deum, Christum eius filium, vel Spiritumsanctum, vel Beatã Virginem Mariam blasphemauerit, seu maledixerit, & alicuius ipsorum, vel alterius ipsorum vel membra, vel loca obscęna turpiter nominando, vnum, seu plura, seu inhonestè loquendo verbis similibus, in scutis vigintiquinque vice qualibet puniatur. Item si quis dixerit in despetto di Dio, vel alterius prædictorum, vel aliquod simile verbum turpe de eis, vel cõtra eorum aliquem protulerit, similiter puniatur in dicta pœna. Si verò aliqua persona blasphemauerit, vel maledixerit, vel despectauerit aliquẽ alium Sanctum, vel Sanctam Dei aliquo de prædictis modis, vel similibus, in x. scutis puniatur. Et omnibus, & singulis casibus à principio hucusque suprascriptis, cuiuslibet sexus fuerit persona delinquens, si condemnationem de se factam, seu pœnam sibi impositam secundum modos prædictos intra decem dies post condemnationem latam, seu pœnam impositam non soluerit, ponatur ad catenã, siue berlinam prima vice; alia verò vice cum effectu lingua de eius ore penitus abscindatur. Si verò quis iurauerit per caput, capillos, oculos, nasum, os, aures, manus, pectus, pedes, coronam, clauos, plagas, lac, cor, epar, pulmonẽ, budellas, milzam, & his similia, Dei, vel Christi, vel Beatæ Mariæ virginis, vel Sanctorum, vel Sanctarum Dei, in scutis quinque quò ad iurantes per membra Sanctorum, quò ad verò iurãtes per membra Dei, Christi, vel Beatæ Virginis, in scutis decem vice qualibet puniraur. Et in omnibus, & singulis casibus totius præsentis statuti, quod haberi, & reputari possit, & debeat simile, Rectoris, seu iudicantis arbitrio relinquatur. Si verò aliqua persona picturam, figuram, seu imaginem Dei, Christi, Beatæ Mariæ virginis, vel alicuius Sancti, vel Sanctæ Dei cum cultello, vel aliquo genere armorum, vel quocunque alio cuiuscunque generis instrumento, vel re studiosè, vel obstinato animo in totum, vel in partem percusserit, vel inciserit, vituperauerit, vel raserit, seu deuastauerit, seu lapides, lignum, lutum, seu immunditiam aliquã in eis, vel earum aliqua studiosè, & obstinatè proiecerit, seu posuerit, vel cum eisdem rebus, vel earum aliqua prædictas imagines, picturas, vel figuras, vel earum aliquam percusserit, vel etiam manu tantùm, vel calce in facie alicuius picturarum, imaginũ, seu figurarum prædictarũ percusserit, manus dextra, vel alia, vna tantùm, non ambæ, cum qua prædicta, vel aliquod prædictorum facta fuerint, sibi penitus amputetur, ita quòd à corpore diuidatur. Habeant autẽ Potestas, Capitaneus, & iudex iustitiæ, & quilibet eorum liberam potestatem, & auctoritatem de prædictis, & quolibet eorum inquirendi, inuestigandi, & puniendi prædictos delinquentes omnes, & singulos, de quibus fit mentio in hoc statuto, in pœnis superius annotatis, pro qualibet vice, qua deliquerit, de facto, & sine processu aliquo, in continenti cùm constiterit de prædictis. Et de prædictis omnibus, & singulis, & quolibet prædictorum quilibet habeatur, & reputetur legitimus accusator, & denunciator, & teneatur secretus, & habeat medietatem pœnæ pecuniariæ, & residui dictæ pœnæ dimidium sit Communis, & aliud exequentis. In prædictis verò merè personalibus, nec pacis, nec confessionis beneficium vendicet sibi locum. Et nulla persona in aliquo dictorum casuum audiatur appellans, vel de nullitate opponens, vel quocunque modo reclamans, immo cuilibet occasione aliqua de prædictis condemnato secundum modum, & prouisionem præsentis statuti, & etiam alijs eius nomine, & nomine dicti condemnati appellandi, reclamandi, seu de nullitate dicendi sit penitus interdicta, & denegata potestas.

De pena turbantis diuina officia. *Rub. 25.*

DIuinum officium cum omni pace, & reuerentia celebrari cupientes, statuimus, quòd si quis diuinum officium quoquo modo turbauerit, dum celebratur, vel ipsum celebrantibus quominus celebretur impedimentũ præstiterit, & scienter commiserit, in lib. centum deñ. condemnetur, & puniatur. Et eadem pœna, & idem statutum intelligatur, & sit contra turbantes litanias, vel ipsas celebrantes, seu eis, vel eorum alicui impedimentum præstantes, dum celebrantur, sexus differentia in prædictis nullatenus admittenda.

De pœna committentium proditionem, vel rebellionem. *Rub. 26.*

OMnis cuiuscunque sexus, qui aliquam proditionem, rebellionem, seu tradimentum commiserit, vel fecerit, seu committere, vel facere tractauerit, seu ordinauerit de aliquo Castro, fortilitia, roccha, vniuersitate, vel villa Communis Firmi, seu aliam rebellionem, proditionem, vel prodimentum quomodocunque commiserit, fecerit, ordinauerit, vel tractauerit contra Ciuitatem Firmanam, seu eius populum, vel Commune, per Ciuitatem Firmi ad caudam asini trasinetur, deinde furcis laqueo suspendatur, ita quòd moriatur omnino, & etiam acriori pœna puniatur Rectoris arbitrio, & bona eius omnia Communi Firmi applicentur. Si verò Castrum, vel villa proditionem, rebellionẽ, seu prodimentum contra dictum Commune commiserit, ordinauerit, vel fecerit, proditores, rebelles, seu traditores principales pęna supradicta puniantur, & Castrum, vel villa dissipetur, & in eodem loco non possit ædificari de cætero. Et de prædictis, & quolibet prædictorum accusari, inquiri, & cognosci possit vsque ad xv. annos post tale commissum delictum, non obstante statuto prohibente, ne de commissis ante certum tempus possit cognosci, vel puniri, & quocunque alio statuto, vel iure non obstante. Saluo semper, & reseruato, quòd de commissis ante annum Domini millesimum tricentesimũ septuagesimumnonum, & diem xxv. mensis Augusti dicti anni, etiam si essent qualia in hoc statuto continentur, nullo modo procedi, vel cognosci possit. Et pręsens statutũ circa cõmissa à dicto anno, & die citra, & circa cõmittenda in futurũ duntaxat vendicet sibi locum. Et si qua persona occasione aliqua de prędictis fuerit cõdemnata, vel bannita, ad Ciuitatem Firmi nullo tẽpore redire valeat, vel reuerti.

De pœna ambasciatoris excedentis fines mandati. *Rub. 27.*

MAndati, & ambasciatæ formam, & modum seruari à quibuscunque præcipimus. Si quis autem tantæ temeritatis extiterit, ꝙ fines ambasciatæ, seu mandati sibi impositæ, vel commissæ per DD. Priores populi, & Vexilliferum iustitiæ, vel Concilium, vel Cõmune Ciuitatis Firmi excesserit quoquo modo, & quando extra Ciuitatem ambasciator missus fuerit per dictos, vel aliter nomine Communis, realiter, & personaliter Rectoris arbitrio, sine processu etiã, & solennitate aliqua de facto puniatur, conditione personæ, & facti qualitate pensatis, & de cætero officijs, priuilegijs, & honoribus Communis Firmi ipso facto, & perpetuò sit priuatus.

De pœna facientis conuenticulam, conspirationem, seditionem, vel similia. *Rub. 28.*

VT omnes, cuiuscunque conditionis, vel status existant, perpetuò ab his abstineant, quæ quomodolibet statum præsentem popularem liberum, pacificum, & tranquillum possent quomodolibet lædere, turbare, seu eidem præiudicare, hac in perpetuum valitura lege sancimus, vt nullus terrigena, vel forensis, seu districtualis, seu comitatensis magnus, vel nobilis, cuiuscunque status, vel conditionis existat, audeat, vel præsumat publicè, vel occultè dicere, ordinare, facere, vel tractare, seu fieri, vel tractari facere, seu consentire, vel participare aliquã cõuenticulam, seu conspirationẽ, vel gentiũ adunationem, vel coniurationẽ, vel tumultũ, vel rumorẽ in Ciuitate Firmi, vel ipsius populo, vel Cõmuni, vel in eius comitatu, vel districtu, vel ipsum populum Ciuitatis, vel comitatus in Ciuitate Firmi, vel eius comitatu, vel districtu incitare, seu prouocare ad rumorem, seditionẽ, seu turbationem, vel commotionẽ status præsentis pacifici, liberi, popularis, & tranquilli Ciuitatis, seu comitatus Firmi prædicti, vel intrauatas, seu sbarras in aliqua parte dictæ Ciuitatis facere, vel ponere per se, vel per aliũ eius nomine, vel mandato directè, vel per obliquũ aliquo tẽpore rumoris, vel alio, quominus Priores populi, vel Vexillifer iustitiæ generalis, & alij Confalonerij Contratarũ, & Capitanei societatis dictæ Ciuitatis liberè, & sine obstaculo, seu impedimento quomodolibet ire, & redire possint, & valeãt per dictam Ciuitatẽ in subsidium, defensionem, & tuitionem status pacifici, popularis, & tranquilli, ac liberi Communis, & populi dictæ Ciuitatis, & dictorum DD. Priorum, & Vexilliferi iustitiæ. Itẽ quòd nullus de comitatu, vel districtu Firmi, vel habitator eiusdem comitatus, vel districtus, cuiuscunque status, vel conditionis existat, vel etiam aliunde audeat, vel præsumat tempore rumoris, vel seditionis venire ad Ciuitatem, vel in Ciuitate Firmi cũ armis, vel sine, vel gẽtes, arma, vel equos, seu quęcunque alia ad brigam pertinentia, seu facientia destinare, deferre, vel mittere directè, vel indirectè alicui parti, vel singularibus personis, seu singulari personæ dictæ Ciuitatis, vel in alicuius eorum seruitium, vel iuuamen, vel aliàs quomodocunque, seu cuicunque, vel prædictis, vel alicui prædictorum consentire tacitè, vel expressè quocunque modo, vel causa, seu quæsito colore, nisi de specia-

li licentia,& expresso mandato DD. Priorum populi,& Vexilliferi iustitiæ dictæ Ciuitatis,& D. Potestatis,vel Capitanei. Item quòd nulla persona,cuiuscunque status,vel conditionis existat,audeat, vel præsumat,publicè,vel occultè dicere, ordinare,facere,consentire, tractare, vel procurare quomodocunque,seu qualitercunque aliquid,propter quod possit in aliquo derogari, seu præiudicari statui pacifico,libero,populari,communi,& tranquillo Ciuitatis prædictæ, seu iurisdictioni, & priuilegijs eiusdem,seu comitatus,& districtus, seu in prædictis, vel eorum aliquo dare, vel præstare alicui, cuiuscunque status,dignitatis,vel præeminentiæ sit,auxilium,consilium,vel fauorem,seu aliqualiter consentire:sed immo si quid de prædictis sciuerit,audiuerit,senserit,seu intellexerit,subitò,celeriter,& sine mora illud,vel illa dicere, reuelare,propalare, vel manifestare teneatur,& debeat DD. Prioribus populi,& Vexillifero iustitiæ dictæ Ciuitatis,ac etiam Potestati,& Capitaneo, qui pro tempore fuerint,&ipsis dicere,& nominare prædicta,vel aliquod prædictorum dicentes, ordinantes, tractantes, procurantes, seu consentientes,vnum,vel plures,quicunque fuerint:& nihilominus eisdem sic dicentibus, ordinantibus, tractantibus, procurantibus,seu consentientibus,vt præfertur, resistere,& contradicere toto posse,ne prædictorum aliquid exequantur, seu perficiant. Si quis autem,cuiuscunque status, vel conditionis existat,contrafecerit,vel venerit,seu non obseruauerit, & adimpleuerit prædicta,vel aliquod prædictorum,quæ supra in præsenti statuto continentur,Potestatis,& Capitanei libero arbitrio realiter,& personaliter puniatur,considerata delinquentis,& facti conditione, & qualitate:in quibus omnibus,& singulis prædicti Potestas,& Capitaneus,& quilibet eorum plenissimam iurisdictionem, baliam, & liberum arbitrium habeant inuestigandi ex eorum officio, inquirendi, ac etiam procedendi per accusationem, seu denunciationem cuiuscunque, & repertum culpabilem in prædictis, vel aliquo prædictorum libero arbitrio realiter, & personaliter condemnandi, & puniendi de facto, & sine solennitate, seu ordine iuris, seu statuti, & omni solennitate omissa. Et eodem libero arbitrio, & modo procedi possit, & puniri, & condemnari contra illos, qui malè, & in derisionem, vel aliter ineptè loquerentur de populo, vel societate populi, seu populari statu; contra quos omnes, & singulos in procedendo, vel condemnando, prædicta omnia, & singula repetita, & statuta intelligantur, & sint. Et in prædictis, vel aliquo prædictorum nullum beneficium pacis, vel confessionis, vel aliquid quodcunque vendicet sibi locum. Si quis autem occasione prædictorum,vel alicuius eorum, de quibus in præsenti statuto fit mentio, in ademptione, siue amissione personæ, vel vitæ fuerit condemnatus, de cætero ad Ciuitatem Firmi, vel ad eius comitatum, seu in eis vllo tempore quocunque modo reuerti non valeat. Item si quis suspectus esset DD. Prioribus,& Vexillifero iustitiæ, seu Potestati, vel Capitaneo, quòd quid prædictorum faceret, attentaret, committeret,vel tractaret publicè,vel occultè, vel aliàs statui populari, libero,& tanquillo dictæ Ciuitatis reputaretur suspectus per dictos DD. Priores,& Vexilliferũ iustitiæ,vel per D. Capitaneum, vel Potestatem, seu quòd in ipsius status præiudicium, grauamen, vel iacturam, vel contra eundem statum quicquam faceret,attentaret,vel committeret, vel tractaret; in quolibet, & quocunque casu prædictorum de facto,& sine processu,vel scriptura,libero arbitrio possit D.Potestas, & Capitaneus, & quilibet eorum talem suspectum relegare, terrafinare, confinare in Marchia, & extra, statuto loquente de confinis,seu relegationibus statuendis, seu alio statuto,vel iure vllatenus non obstante. Et ne officiales possint pro quocunque etiam minimo delicto dicere, & ponere illa verba in processu, *Propter quod potuit turbari status Ciuitatis &c.* statuimus,quòd illa verba in aliquo processu poni possint, nisi fuerit deliberatum per Potestatem vnà cum Capitaneo populi Ciuitatis Firmi: & si Capitaneus non esset in Ciuitate,tunc vnà cum iudice iustitiæ:de qua deliberatione appareat,& apparere debeat manu notarij maleficiorum Potestatis prædicti, & manu notarij Capitanei, vel iudicis iustitiæ.Et si aliter fieret,non valeat ipso iure sententia ferenda super dicto processu:& Potestas,& iudex, qui contra prædicta fecerint, cadant in pœnam quingentarum lib. deñ. pro quolibet.Et expressè de prædictis tempore scindicatus sui debeat per Scindicos scindicari.

De pœna offendentium DD. Priores populi, & Vexilliferum iustitiæ, vel eorum notarium, vel Cancellarium Communis. *Rub. 29.*

SI qua persona offenderit aliquem de DD. Prioribus populi,vel Vexilliferum iustitiæ Ciuitatis Firmi, hoc modo pro infrascriptis offensionibus procedatur, videlicet si verba iniuriosa, vel minatoria, vnum, vel plura contra eum protulerit, vel dixerit,in lib. quinquaginta vice qualibet puniatur. Si contra eorum aliquem manu vacua adminauerit,in centum lib. deñ. puniatur.

Si cum armis, in ducentis lib. Si vero cum baculo, vel alio instrumento aliquem de prædictis Dominis sine sanguine, aut etiam manu vacua cum sanguine, vel sine, percusserit aliquem de prædictis: manus, cum qua percusserit, si vna fuerit, vel ambæ manus, si cum ambabus percusserit, sibi penitus amputetur, vel amputentur, ita quòd à corpore separētur. Si cum armis ferreis aliquem de prædictis percusserit, & exinde sanguis exiuerit, ad mortem puniatur, ita quòd anima à corpore separetur. Si quis autem occiderit aliquem ex dictis Prioribus, vel Confalonerium durante eorum officio, capite puniatur, ita quòd penitus moriatur, & anima eius à corpore separetur, & omnia eius bona publicētur, confiscentur, & applicentur Cameræ Cōmunis Firmi, vt transeat in exemplum, siue fiat executio in persona, siue non. Si verò aliquibus ex dictis modis offenderit Notarium DD. Priorum, vel Cancellarium Communis, pœna dupli eius, in quo puniretur, si alium Ciuem offendisset, puniatur. Si quis autem occiderit Cancellarium, seu Notarium DD. Priorum durante eorum officio, capite puniatur, ita quòd penitus moriatur, & omnia eius bona publicentur, confiscentur, & applicentur Cameræ Communis Firmi, siue fiat executio in persona, siue non. Item si quis aliquem, qui Prior, aut Vexillifer iustitiæ fuerit, intra duos proximos menses finito eius officio offenderit, puniatur in duplo eius, in quo puniretur, si alium Ciuem offendisset. Item quicunque intra annum deposito officio prioratus, vel vexilliferatus iustitiæ offenderit aliquem, qui fuerit Prior, vel Vexillifer iustitiæ, occasione dicti eorum officij, similiter condemnetur, & puniatur in duplum. De quibus Potestas, & Capitaneus, & quilibet eorum arbitrium liberum habeant inquirendi, & puniendi in pœnis prædictis de facto, & sine alia solennitate, seu processu, seu scriptura, tam in procedendo, quàm etiam in condemnando.

De confinis, seu relegationibus statuendis. *Rub.* 30.

NE facile, & temerariè procedatur ad rixas, statuimus, q Capitaneus, Potestas, & quilibet eorū habeant liberum arbitrium relegandi, & ad confinia ponendi, & mittendi rixantes coram aliquo ipsorum, vel coram aliquo eorum officiali in palatio residentiæ alicuius eorum, si tales rixantes verbis, vel factis secum aliqua arma habuerint; dum tamen relegauerit intra Prouinciam Marchiæ tantùm, & non vltra, quàm sit duraturum officium relegantis, seu ad confinia ponentis, vel mittentis. Pro maleficijs verò, vel delictis non in pręsentia, sed in absentia prædictorum commissis, quilibet dictorum Rectorum relegare valeat delinquentes, seu ad confinia ponere, vel mittere in comitatū Firmi duntaxat, & non pro maiori tempore viginti dierum, præter quàm pro verbis iniuriosis in absentia prædictorum dictis, pro quibus non liceat relegare, seu ad confinia ponere, vel mittere, nisi quatenus statuto aliquo caueretur expresſè. Et prædictas relegationes, seu ad confinia missiones facere, & statuere possint dicti Rectores eorum libero arbitrio, vltra alias pœnas in statutis cōtentas. Persona verò relegata modo prædicto, & generaliter quæcunque alia persona, seu ad confinia missa, seu posita ex forma, seu permissione alicuius statuti huius voluminis teneatur Rectori releganti, aut ad confinia mittēti totaliter parere, & obedire, & in nullo contrauenire, neç possit ad Ciuitatem Firmi durante tēpore relegationis suæ sese aliqualiter absentare sine spęciāli, & expressa licentia relegantis; aliàs si secus fecerit, rebellis Ciuitatis Firmi penitus reputetur, & pro rebelle possit, & debeat condemnari.

De pœna offendentium Rectores, vel officiales Ciuitatis, & comitatus, & eorum familiam. *Rub.* 31.

EXcessus, & delicta iniuriatum, seu offendentium Potestatem, vel Capitaneum, vel aliquem ex eorum officialibus, vel aliquem alium Rectorem, vel officialem forensem Communis Firmi, vel eius officialem durante officio illius Rectoris, seu officialis forensis præmissi, qui iniuriam, seu offensam receperit, vel in eius scindicatu, seu in veniendo ad suum officium ad Ciuitatem Firmi, vel ab ea recedendo in itinere, realiter, & personaliter Rectoris libero arbitrio, facti qualitate, & personarum conditione pensatis, puniatur; videlicet commissa contra Capitaneum, vel eius officialem, per Potestatem, eiusq. Curiam: cōmissa verò contra Potestatem, seu eius officiales, per Capitaneum, vel eius Curiam: commissa verò cōtra alium officialem forensem Communis, seu eius officialem, seu familiarem, per Potestatem, vel Capitaneum prędicto arbitrio puniantur. Si quis verò offenderit aliquem Ciuem Firmanum, seu comitatiuum, vel districtualem Rectorem, seu officialē alicuius Castri comitatus, vel districtus Firmi, vel eius notarium in loco vbi suum exerceret officium durante eius officio, seu in itinere ad dictum Castrum pro eius officio eundo, vel inde discędendo finito, vel durante eius officio; item si aliquis aliquem domicellum, vel famulum Potestatis, vel Capitanei, vel alterius Rectoris, seu officialis forensis offenderit, in quolibet casu prædictorum huius paragrafi puniatur in

duplo

duplo eius, in quo puniretur Ciuis Ciuem offendens, & in tali duplo simplum insit: quod duplum statuimus, & declaramus esse, & intelligi debere pœnam simplicem, & originalem contra tales offendentes, & non duplicatam.

De fractoribus carcerum. *Rub. 32.*

CArcerem publicum Ciuitatis Firmi frangens, dum est in carcere, capite puniatur; item de carceribus post fracturam ipsius carceris ipso facto exiens, eadem pœna puniatur: ac etiam arripienti fugam de publicis carceribus Ciuitatis, caput à spatulis amputetur, ita quòd moriatur omnino. Item si quis extra carcerem existens, seu non carceratus, publicum carcerem Ciuitatis dolosè fregerit, seu frangenti, seu ad frangendum ferramenta, seu alia instrumenta, vnum, vel plura scienter commodauerit, vel locauerit, seu præstiterit, siue concesserit, vel portauerit, pœna prædicta capitis puniatur, ita quòd moriatur, siue de carceribus prædictis aliquis exiuerit, seu aufugerit, siue non. Si verò aliqua persona nõ de publicis carceribus prædictis, sed de palatio alicuius Rectoris Ciuitatis, vel comitat⁹ aufugerit, Potestatis, vel Capitanei arbitrio à x. lib. deñ. vsq; ad quinquaginta puniatur.

De pœna opponentium se executioni Curiæ, seu eandem executionem impedientium. *Rub. 33.*

SI qua persona de facto se opposuerit familiæ Potestatis, vel Capitanei, seu alterius officialis Ciuitatis Firmi, vel alicui Balio Communis pro alicuius eorum, vel sui officialis commissione, vel mandato transmisso, seu alicui Balio, vel famulo officialium prædictorum impedimentum præstiterit tantùm de facto, quominus sic transmissus commissionem, seu mandatum sibi iniunctum, seu factum exequatur, vel talem sic transmissum pignus, seu pignora à se, vel alio accipere, vel se aliter aggrauare, vel alium etiam non permiserit, in lib. v. deñ. de facto, & sine processu aliquo puniatur: de quibus relationi sic transmissi cum vno teste de visu fides adhibeatur, & stetur. Et in hoc cõfessionis beneficium locum habeat, & non pacis. Adijcientes prædictis, quòd si quis fecerit aufugere, vel euadere, aut impedimentum præstiterit, quo quis aufugiat, vel euadat de manibus alicuius officialis, vel familiæ alicuius officialis Ciuitatis Firmi, cuius impedimenti occasione dictus captus, vel existens in manibus, vel fortia dicti officialis, vel familiæ aufugerit, & euaserit, siue fuerit captus occasione maleficij, siue ad instantiã alicuius creditoris dicti capti, siue quacunque alia ratione, dictus præstans dictum impedimentũ, vel faciens aufugere, vt supra, puniatur illa pœna, & teneatur ad illã quantitatẽ pecuniæ, ad quam tenebatur dictus fugiens, vel euadens, & in quarto pluri pęnæ pecuniarię, siue debiti, applicando Cõmuni Firmi. Si verò occasione maleficij, de quo veniret imponẽda pęna corporalis, vel corporis afflictiua principaliter, vel esset imposita, puniatur pęna mille lib. deñ. de facto, & sine aliquo processu quilibet pręstans dictũ impedimentũ, vel aufugere faciens, vt supra, & qualibet vice.

De pœna prohibentis aliquem testari, vel contrahere, vel aliter disponere de proprijs. *Rub. 34.*

COntra bonos mores prohibentes directè, vel per obliquum aliquam personam liberè testari, seu aliter in vltima voluntate disponere de bonis suis, siue coercendo, siue aliter non sinendo liberè testari, vel disponere, vt præfertur, in lib. ducentis deñ. puniatur, & condemnetur. Et ipso facto omne eius, seu commodum, quod in bonis, vel ad bona talis personæ prohibitæ haberet, seu habere posset, vel spectaret, perdat ipso facto, & perpetuò sit priuatus; & eadem pœna puniatur, qui alium subornauerit, & immiserit, vt hoc faceret.

De priuatis carceribus. *Rub. 35.*

DElictum nephandissimum priuati carceris vltimo cupientes puniri supplicio, statuimus, quòd si qua persona tãtæ temeritatis extiterit, quòd aliquam personam sua auctoritate pręsumpta, contra bonos mores priuatim carcerauerit, libertateq; propria priuauerit, in domo, vel alibi incarceratam, seu coactam, & libertate priuatam per spatium xxiiij. horarum detinuerit, aut de prædictis quicquam committi, seu fieri fecerit, siue sola, siue sociata fuerit persona, quæ tale quid fecerit, vel commiserit, seu fieri, vel committi fecerit, caput eidẽ à spatulis amputetur, ita quòd moriatur, & eius bona publicentur, & publicata, & incorporata intelligantur in Communi Firmi, licet in sententia non sit expressum de bonorum confiscatione fienda. Si quis autem aliquem carcerauerit, vt supra dictũ est, & eum in dictis carceribus tenuerit, & libertate priuauerit spatio vigintitrium horarũ, vel intra, pro qualibet hora talis carcerans, & libertate priuans aliquẽ, in xxv. lib. puniatur, & cõdemnetur.

De assassi-

De assassinis, & eorum pœnis, & de facientibus offendi per assassinos. *Rub 36.*

SI qua persona in Ciuitate Firmi, vel eius comitatu, seu districtu offendi fecerit aliquam personam per aliquem assassinum, seu per modum assassinatus cum aliquo genere armorum cum sanguinis effusione, vel sine, & ex offensione nec mors, nec cicatrix in facie perpetua remansura, neque etiam detruncatio, neque abscisio, neque debilitatio perpetuò duratura alicuius membri, vel nerui, vel officij membri illata, facta, secuta, vel secutura fuerit, vel erit; faciens sic offendi puniatur, & condemnetur in libris quingentis. Et si condemnationem de se factam intra decem dies à die latæ sententiæ numerãdos non soluerit, cũ effectu lingua, & manus vnà sibi penitus abscindatur, ita q̃ à corpore separetur. Assassinus verò sic offendens in mille lib. den. condemnetur: quam quantitatẽ si intra quinque dies à die latæ sententiæ numerandos non soluerit cum effectu, furcis per gulam suspendatur, ita quòd moriatur omnino. Si verò assassinus aliquis aliquam personam percusserit, vel offenderit, ita quòd ex percussione, vel offensione mors secuta fuerit, vel cicatrix fuerit perpetuò remansura in facie, vel abscisio, detruncatio, vel debilitatio perpetuò duratura alicuius nerui, vel membri, vel officij membri facta, vel secuta fuerit, exinde ipse assassinus sic percutiens, vel offendens, furcis per gulam suspendatur, ita quòd moriatur omnino, & eius bona omnia publicentur. Ille verò, qui sic percuti, vel offendi fecerit, vel mandauerit per talem assassinum, capite puniatur, ita quòd moriatur omnino, & bona eius omnia publicentur. Si quis autem mandante, seu fieri faciente aliquo eius consanguineo vsque in tertium gradum de iure Canonico inclusiuè computandum ad vindictam iniuriæ tali mandãti, seu fieri facienti quomodolibet illatę, percusserit, seu offenderit illum, qui prius tali mandanti, seu fieri facienti ad vindictam iniuriæ, iniuriam intulerit, pœna huius statuti ligari, seu puniri nolumus, nisi per corruptelam pecuniæ, vel alterius rei percusserit, vel offenderit etiam ad vindictam præfatam, sed alijs pœnis statutorum tam faciens, seu sic offendens, quàm etiam mandans, seu fieri faciens pari pœna puniantur. Et non intelligatur assassinus, qui de mandato talis consanguinei, de quo supra dicitur, sic offenderit, vt præfertur, nisi pecunia, vel re alia corruptus, vel etiã pactus percusserit, seu offenderit. Et ad terrorem, & exterminium assassinorum, statuimus, quòd si quis in aliqua terra, vel loco pro assassino, seu de assassinatu condemnatus extiterit extra Ciuitatem, & districtum Firmi, & ad Ciuitatem, seu districtum Firmi prædictus venerit, & ibi inuentus fuerit, & de tali condemnatione per publicum instrumentum constiterit, iterato per Rectorem Firmi cum nouo processu, vel sine, libero Rectoris arbitrio in persona, & ære condemnari debeat, & puniri de assassinatu alibi commisso, de quo constiterit, vt præfertur, & auctoritate præsentis statuti forensis quilibet assassinatum extra Ciuitatem Firmi, eiusq; districtum faciens, vel committens, seu qui commiserit in præteritum, vagabundus habeatur, & reputetur. Volumus etiam, quòd si in Ciuitate Firmi repertus fuerit, vel etiam in comitatu, & districtu aliquis assassinus famosus, vel quem constet Rectori assassinum esse, vel fuisse, per tres testes super inde de publica voce, & fama testificantes, seu deponentes, licet talis sic repertus forensis sit, & in Ciuitate Firmi, vel eius districtu non deliquerit per modum assassinatus, neque assassinatum ibi commiserit, tamen Rectoris arbitrio libero in persona, & ære puniatur. Et si Rector decreuerit eũ condemnare in pęna minori morte, ipsum repellat omnino de Ciuitate, & districtu, & eundẽ in bãno perpetuo æris, & personę ponat, & condemnet. Assassinus autẽ intelligatur, & reputetur auctoritate præsentis statuti, qui pecunia, vel alia re corruptus, vel pactus, aliquã personã offenderit, vel percusserit mandato alterius, seu altero fieri faciente, interueniente corruptela, seu pacto pecunię, vel alterius rei cuiuscũque, vel si idẽ causa, & spe pecunię, vel alterius rei per se, & sua spõte fecerit. Itẽ si quis extiterit mediator inter assassinũ, & facientẽ assassinatũ committi, vel fieri, aut pecunię, vel alterius rei depositarius, siue expromissor ad hæc interuenerit, vel fuerit, & scienter, in omnibus, & per omnia habeatur, intelligatur, & puniatur vt assassinus præmissus. Et de cõtentis in pręsenti statuto procedi, cognosci, & puniri possit quicquid sic fuerit cõmissũ, vt in pręsenti statuto continetur, tempore officij Rectoris cognoscẽtis, seu præcedentis, vel ante intra quinquennium: & hoc locum habeat in futuris.

De intercipiẽtibus, auferẽtibus, surripiẽtibus, subtrahẽtibus, vel occupãtibus de bonis Cõis mobilibus. R. 37.

SI quis pecunias, vel alias res, seu bona Communis, seu ad ipsum Commune pertinentes, & spectantes, siue peruentas, siue peruenientas, seu pertinentia, spectantia, siue peruenta, seu peruenienda mobilia duntaxat qualitercunque, & quomodocunque auctoritate, seu temeritate propria in præteritum, vel in futurum abstulerit, interceperit, surripuerit, subtraxerit, seu occupauerit,

seu

seu auferri, intercipi, surripi, subtrahi, seu occupari dolosè in præiudicium Communis fecerit, procurauerit, seu cōsuluerit, cum effectu ad restitutionem sic ablati, intercepti, surrepti, seu occupati, seu eius æstimationem teneatur, & in triplo pluri libero Rectoris arbitrio, etiam de facto, & sine processu aliquo, vel scriptura puniatur. Et contra omnes, & singulos, qui in præteritum, vel in futurum deliquerint in prædictis, vel aliquo prædictorū, Rector quilibet Ciuitatis habeat liberum arbitrium inuestigandi, inquirendi, & procedendi, & culpabiles, vt præfertur, puniendi, & condemnandi: & habeat quartam partem pœnæ pecuniariæ, quam occasione prædictorum, vel alicuius eorum cum effectu venire fecerit in Commune. Quæ quarta pars postea de bonis talis condemnati, seu puniti detrahatur, & exigi debeat pro Communi. Et Rector occasione condemnationis, seu pœnæ, quam fecerit, seu statuerit contra aliquem occasione aliqua de prædictis, nō possit, nec debeat scindicari, seu ad scindicatum stare, vel teneri, nisi de furto, & baractaria duntaxat. Et in prædictis nullus audiatur appellans, seu de nullitate opponens, vel opponere volens. Et hoc statutum quilibet Rector semel in mense faciat banniri, sub pœna vigintiquinque lib. deñ.

De pœna committentis baractariam, vel fraudem in eius officio. *Rub. 38.*

AD hoc, vt quilibet in eius officio, & ministerio habeat mundas manus, præsenti lege sancimus, quòd si quis habens alicubi à Commune, seu pro Communi officium publicum, seu etiam administrationem publicam in eius officio, vel administratione, aut eiusdem officij, seu etiam administrationis obtentu, seu respectu, aliquam baractariam, furtum, extorsionem, fraudem, seu turpem quæstum commiserit, fecerit, seu exercuerit, aut committi, fieri, seu exerceri fecerit, vel mandauerit, siue participauerit, siue factam, gratam, & ratam habuerit, in libris ducentis deñ. de facto, & sine aliquo processu, vel scriptura puniatur, & nihilominus etiam ad restitutionem eius, quod ex in de peruenerit ad eum, vel eius æstimationem, & in decuplo pluri Communi condemnetur, & puniatur: & nihilominus quicquid prætextu, occasione, seu respectu, vel interuentu alicuius de prædictis actum, factum, vel secutum fuerit, non teneat ipso iure. De quibus omnibus, & singulis quilibet Rector Ciuitatis habeat liberum arbitrium inuestigandi, inquirendi, & procedendi contra sic delinquentes, ipsosq; eodem arbitrio in prædictis pœnis puniendi, & condemnandi. Et à sententijs sic latis, seu pœnis impositis tali de causa non possit appellari, seu de nullitate opponi contra ipsas. Et Rector sic condemnans, seu puniens de his, quæ prædicta occasione fecerit, seu statuerit, scindicari non possit, nisi per furtum, vel baractariā sic fecisset, seu etiam statuisset: & habeat ille, qui sic condemnauerit, vel punierit, quartam partem eius, quod ex inde peruenire fecerit in Commune. Et ne dubietas oriatur, seu vertatur, vel fiat, quid intelligi debeat in officio publico, seu etiam administratione publica, seu ipsius officij, vel administrationis obtentu, occasione, seu respectu prædictis, vt præmittitur, sic commissum, seu factum, aut mandatum, participatum, seu ratum, & gratum habitum, Rectoris arbitrio sit commissum huius statuti auctoritate perpetua.

De pœna committentium robbariam, plagium, vel similia, & deuiantium fanteſcham. *Rub. 39.*

PEr hanc saluberrimam legem statuimus, quòd si quis in Ciuitate, vel Castris, vel extra Ciuitatem, & Castra Communis Firmi, in aliqua domo, seu aliquo itinere, seu extra domum, vel iter in districtu Firmi, seu etiam in mari, vel riueria maris aliquam personam de viginti sol. vel ab inde supra, vel de re, seu rebus tantùm valētibus derobbauerit per violentiam tali personæ illatam, aut aliquam personam causa ipsam redimi faciendi, seu etiam derobbandi ceperit, seu captiuauerit; siue talis persona capta, seu captiuata redempta fuerit per se, vel alium, siue exacta, siue non; furcis laqueo suspendatur, ita quòd moriatur, eiusq; bona omnia Communi publicentur. Eademq; pœna puniatur, si quis prædicta, vel aliquod prædictorū fieri, seu committi fecerit, vel mandauerit, seu facta, vel commissa participauerit scienter, & dolosè, siue prędicta, vel prædictorum aliquod committenti, facienti, seu ad committendum, vel faciendum aliquod de prędictis dederit, seu præstiterit auxilium, consilium, & fauorem. Item si quis publicus, & famosus latro, vel derobbator in Ciuitate Firmi, seu eius districtu, aliquam robbariam, rapinam, latrocinium, siue furtum fecerit, vel commiserit de quantitate, seu æstimatione superius scripta, vel maiori, vel re, seu rebus tanti, vel vltra valentibus, suprascripta pœna puniatur. Et in quolibet casu prædictorum ad restitutionem rei, seu pecuniæ sic ablatæ, & emendam damni, si quid ex inde contigerit, condemnetur: & nihilominus iure, si quod in tali re ablata sibi competat, sit ipso iure priuatus. Item si qua persona seduxerit extra districtum Firmi alienum filium,

lium, vel filiam, siue in potestate constitutum, siue constitutam, siue non constitutum, siue non constitutam in alterius potestate, plagiũ committẽdo, vel non; dum tamen inhonesto modo, vel causa, & contra bonos mores sic fecerit, vel commiserit, deinde sic seductum, vel seductam, in Ciuitate Firmi, vel eius districtu conduxerit, vel conduci fecerit: aut è conuerso, si qua persona aliquem, vel aliquam talem in Ciuitate Firmi, vel eius districtu sic seduxerit, vt præfertur, deinde sic seductum, vel seductam extra Ciuitatem, & districtum Firmi sic conduxerit, seu conduci fecerit; in quolibet casuum prædictorum in lib. quingentis deñ. puniatur. Et si condemnationem de se factam, seu pœnam sibi impositam non soluerit intra decem dies à die latæ sententiæ numerandos, eidem caput amputetur, ita quòd moriatur. Quis verò intelligatur, & intelligi debeat prædictis modis, vel aliquo eorum seduxisse, & conduxisse, seu conduci fecisse, libero Rectoris arbitrio relinquatur, & reponatur, & repositum sit. Insuper in casibus huius statuti, seu aliquo ipsorum pacis beneficium nullum vendicet sibi locum, neque confessionis beneficium operetur. Et quilibet Rector Ciuitatis procedere, cognoscere, & punire valeat de plagio, & seductione, & conductione prædictis, & his similibus commissis, seu factis, vt præfertur, tempore sui officij, vel intra tres annos ante: & hoc locum habeat ad futura. Si quis verò subduxerit, vel alirer retinuerit sine licentia patroni aliquam famulam, siue fantescham alicuius Ciuis & habitatoris dictæ Ciuitatis, & sui comitatus, ipso facto incurrat pœnam decem ducat. auri, & trium tractuum funis de facto, & sine processu aliquo soluendorum: & Potestas, qui pro tempore fuerit, teneatur exigere dictam pœnam; & si non exegerit, vel exigi fecerit, tunc mittatur, & computetur in salario dicti Potestatis.

De pœna auferentis rem mobilem. *Rub. 40.*

OMnis cuiuscunque sexus auferens ab aliqua persona per violentiam rem aliquam mobilem valoris centum sol. deñ. vel ab inde intra, vnam, seu plures, seu pecuniam vsque ad centum sol. deñ. inclusiuè, vel intra; dũ tamen hoc nõ animo, seu proposito derobbandi fecerit, seu commiserit, in lib. vigintiquinque deñ. puniatur. Si verò pecuniam, vel rem, seu res valoris à centum sol. supra vsque ad decem lib. inclusiuè, sic vt præfertur abstulerit, in lib. quinquaginta deñ. puniatur. Si verò pecuniam, vel rem, vel res vltra decem lib. valentes, quantacunque pecunia sit, vel æstimatione, sic vt præmittitur, abstulerit, in lib. centum deñ. puniatur. Et in quolibet casuum prædictorum ad restitutionem rei, seu pecuniæ sic ablatæ, & ad æstimationem damni, si quid ex inde contigerit, condemnetur: & nihilominus iure, si quod in tali re ablata sibi competebat, sit ipso facto priuatus. Derobbationis verò, seu furti pœna cùm præter animum, & propositum derobbandi, seu furandi sit factum, non vendicet sibi locum in casibus huius statuti. Prædictæ verò pœnæ, vel earum quæcunque locum non habeant contra eum, qui quicquam abstulerit ab aliquo inuento, seu reperto in eius possessione, vel re damnum dare.

De pœna imponẽtium taleam, seu facientium redimi per taleã, vel similia, & de nuncijs eorum. *Rub. 41.*

TVtos reddi cupientes omnes, & singulos contra arrogantiam, & superbiam nonnullorum, qui alienam substantiam suis vsibus turpiter applicare, & eripere procurant, vel etiam audent, hac lege sãcimus, quòd si quis sub minis, vel metus impressione ab aliqua persona pecunias, vel rem aliquam postulauerit per se, vel alium, siue per eius litteras, seu taleam sic imposuerit alicui personæ, seu aliquam personam sic redimi fecerit aliqualiter in re, vel pecunia; realiter, & personaliter Rectoris arbitrio puniatur. Et eadem pœna puniatur ille, qui in prædictis, vel aliquo eorum nuncius, seu ambasciator fuerit, aut super inde litteras portauerit, si scienter tale quid fecerit, aut in prædictis, vel eorum aliquo auxilium, & fauorem præstiterit.

De homicidio. *Rub. 42.*

ERga inhumanos haberi humanitatem non patitur ratio. Eapropter statuimus, quòd si qua persona studiosè, & ex proposito hominem occiderit, seu interfecerit, necauerit, seu interemerit gladio, veneno, siue quocunque alio instrumento, siue quocunque alio modo, aut sic occidi, interfici, necari, siue interimi fecerit, mandauerit, perfectumq; fuerit flagitium; siquidem tempore condemnationis præsens in fortiam Rectoris fuerit, capite puniatur, ita quòd moriatur; bona verò eius hoc casu non publicentur. Si verò tompore condemnationis præsens, & in fortiam non fuerit Rectoris, tunc condemnetur pœna capitis, ita quòd moriatur, si quo tempore in fortiam Rectoris,

vel Communis peruenerit. Et hoc casu bona eius omnia publicentur, & in ipsa sententia publicata intelligantur. Similiq; modo,& pœna puniatur mulier quælibet, quæ stndiosè, & ex proposito fecerit,seu pepererit abortiuum: & etiam quælibet persona, quæ abortiuum fieri, seu nasci fecerit,vel mādauerit, eodem modo, eademq; pœna omnino puniatur, vt supra. Quęcunque verò persona ad prædicta,seu aliquod prædictorum,quæ superius continentur, auxilium, consilium, vel fauorem præstiterit,in libris mille deñ. condemnetur. Quam condemnationem si intra decem dies à die latæ sententiæ numerandos non soluerit,pœna capitis puniatur,ita quòd moriatur. Si quis autem non ex proposito, neque studiosè,sed casualiter,culpa tamen aliqua inrerueniente hominem occiderit,interfecerit, necauerit,siue interemerit,in lib. quingentis deñ. puniatur. Et de contentis in præsenti statuto quilibet Rector possit inquirere, ac etiam procedere, cognoscere, & punire, si quid de ipsis fnerit commissum tempore sui officij,vcl intra quinque annos proximos: & hoc statutum locum habear in futuris.

De maleficis, veneficis, nigromanticis, & similibus. Rub. 43.

SI qua persona maleficam,veneficam, seu nigromanticam artem exercuerit, seu quicquam ad prædicta pertinens fecerit quoquo modo,seu exercuerit,seu fieri, seu exerceri fecerit, cuiuscunque sexus sit,viua quidem ignibus concremetur,eiusq; bona publicentur.

De adulterijs, stupro, incestu, raptu virginum, sanctimonialium, vitio sodomitico, nephario, & damnato coitu, & similibus, & de lenonibus. Rub. 44.

TErrore pœnæ cunctos arcere à criminibus cupientes, statuimus, quòd si quis monialem, seu monacham inuitam,vel volentem de aliquo monasterio rapuerit,vel traxerit causa ipsam carnaliter cognoscendi;siue ipsam demum cognouerit,siue non,pœna capitis puniatur,& acriori pœna Rectoris arbitrio,ita quòd moriatur omnino. Item si quis monialem, seu monacham in monasterio carnaliter cognouerit, suprascripta pœna puniatur. Si verò prædicta, vel prædictorum aliquod facere,vel committere attentauerit, & ad aliquem actum facti peruenerit,quàmuis flagirium nō perfecerit, in mille lib. deñ. puniatur: quam pœnam,seu condemnationem, si intra decem dies à die latæ sententiæ numerandos non soluerit,caput eidem à spatulis amputetur, ita quòd moriatur. Si verò quis aliquam inclusam, & carceratam, atque heremiticè viuentem carnaliter cognouerit, aut rapuerit, seu abstraxerit de eiùs mansione volentem, vel inuitam causa carnaliter cognoscendi, capite puniatur;ita quòd moriatur. Quæ autem intelligi,seu appellari debeat inclnsa,& carcerata,atque heremiticè viuens, Rectoris arbitrio relinquatur. Et in prædictis casibus, & quolibet prædictorum, vbi quis principaliter condemnatur ad mortem,bona eius etiam publicentur,si non peruenerit in fortiam Communis tempore condemnationis: si verò peruenerit, & esset in fortiam Communis tempore cōdemnationis,& fieret executio in persona,tunc,& eo casu eius bona non publicentur. Item si quis aliquam suam consanguineam in primo,secundo,tertio, vel quarto gradu constitutam carnaliter cognouerit,capite puniatur,ita quòd moriatur: sed si tantùm attentauerit causa eam carnaliter cognoscendi,in quingentis lib. deñ. condemnetur. Et in omnibus, & singulis casibus supradictis mulier consanguinea talis eam cognoscentis carnaliter,quæ passa fuerit se sic cognosci,eadem pœna puniatur,qua ipse cognoscens. Si verò quis eius affinem in primo, secundo, tertio, vel quarto gradu affinitatis sibi coniunctam,vel virginem carnaliter cognouerit contra eius voluntatem,capite puniatur,ita ꝙ motiatur: si verò ipsa volente, tunc masculus, & fœmina puniantur in quingentis lib. deñ. pro quolibet: quam pœnam si non soluerit intra decem dies à die latæ sententiæ numerandos, manus dextra, vel sinistra arbitrio Potestatis à brachio amputetur, ita quòd à corpore separetur tali non soluenti. Si verò tantùm attentauerir violenter causa carnaliter cognoscendi,in ducentis lib. deñ. puniatur. Si verò quis affinem suam in primo,secundo,tertio,vel quarto gradu coniunctam,nec virginem carnaliter cognouerit; si contra eius voluntatem,capite puniatur: si verò à volente,in ducentis lib.deñ. quilibet ipsorum,tam masculus,quàm fœmina puniatur: quam pœnam si non soluerit intra decem dies à die latæ sententiæ numerandos,per Ciuitatem Firmi nudus fustibus fustigetur,videlicet talis non soluens: sed si eam nō cognouerit, sed causa carnaliter cognoscendi attentauerit violenter,in lib.centum deñ. puniatur. Et in omnibus,& singulis casibus huius statuti gradus prædicti consanguinitatis, & affinitatis secundum ius Canonicum tantùm debeât computari, & nnmerari. Itē si qua persona turpiter coierit carnaliter cum aliquò animali bruto,tam coiens,quàm etiam animal brutum viuus,& viuum igne concremetur. Item si quis virium sodomiticum commiserit, agens quidem maior decem & octo viuus

ignibus

ignibus cócremetur,ita quòd moriatur;patiens verò maior quatuordecim annis in lib. ducentis deñ. puniatur. Item si quis Christianus aliquam Iudæam,aut è conuerso Iudæus aliquam Christianã carnaliter cognouerit,viuus ignibus concremetur,ita quòd moriatur:& quæ spõte passa fuerit se ita carnaliter cognosci,eadem pęna,qua masculus,puniatur. Item si quis aliquam virginẽ carnaliter cognouerit cõtra ius,& bonos mores,in lib. mille deñ. condemnetur:quas si intra decem dies à die latæ sententię numerandos nó soluerit,caput ei amputetur,ita quòd moriatur. Si verò quis aliquam virginẽ, vel aliquam nuptam bonæ vitæ,& famę rapuerit causa carnaliter cognoscendi,capite puniatur, ita ꝙ moriatur,siue ipsam carnaliter cognouerit,siue non. Si quis verò aliquã virginem attentauerit violẽter causa carnaliter cognoscẽdi,in lib. ducentis deñ. puniatur. Item si quis alienã vxorẽ bonæ vitæ,& famæ carnaliter cognouerit ea volente,in lib. ducentis deñ.cõdemnetur: quam condemnationẽ si intra x.dies à die latæ sententiæ numerandos nó soluerit,per Ciuitatẽ Firmi nudus fustibus fustigetur: & nihilominus in carceribus remittatur,& donec soluerit minimè relaxetur:si verò contra eius voluntatem,cognoscens capite puniatur. Attentare verò intelligatur,si iuerit ad domum suæ habitationis, seu possessionem suam, vel alienam intrauerit , seu intrare voluerit, seu eam ceperit per personã. Et prædicta locum habeant in quolibet casu attentationis in præsenti statuto cõtento:si autẽ non cognouerit carnaliter,sed eam cognosci attentauerit per violentiã,in lib. ducentis deñ. puniatur.Si quis autẽ alienam vxorẽ non bonæ,nec honestæ vitæ,& famæ carnaliter cognouerit,aut cognoscere attentauerit ea volente,tã masculus,q̃ fęmina in lib. x. deñ. puniatur: si verò cõtra eius voluntatẽ,talis adulter in lib. xxv. deñ. puniatur. Et ad probandum talẽ mulierem esse,seu fuisse non bonæ,neque honestæ famæ,& vitæ,sufficiat probatio quatuor testium deponẽtium super hoc de publica voce,& fama. Item si quis viduã bonæ,& honestę vitæ,& famę carnaliter cognouerit ea volẽte,in lib. ducentis:si verò contra eius voluntatem,in lib. mille deñ. puniatur ; quam pęnã mille lib. si non soluerit intra decẽ dies à die latæ sententiæ numerandos,capite puniatur. Si verò talem viduã attentauerit causa carnaliter cognoscendi per violentiam,in lib. ducentis deñ. puniatur. Si verò talem viduam per violentiam sibi illatam rapuerit ; siue carnaliter cognouerit eam,siue non,pœna capitis puniatur,ita quòd moriatur. Item si quis suam,vel alienam famulã pactualem,vel non pactualem,nó coniugatam,neque virginem,honestæ vitæ tamen,carnaliter cognouerit,in lib. xxv. deñ. Cómuni puniatur: Mulieri verò sic cognitæ in quinquaginta lib.deñ. condemnetur ad damnum,vt inde valeat se dotare. Si verò talis famula fuerit virgo,aut coniugata,in quinquaginta lib.deñ. puniatur Cómuni:virgini verò pro sua dote in centum condemnetur. Item si quis suam,vel alienam famulam nuptam,vel non,etiam virginem attentauerit violenter causa carnaliter cognoscendi,in lib. decẽ deñ. puniatur:si verò tantùm cognoscere attentauerit,puniatur in quinque lib. deñ. Item ad refrenandum libidinem nuptarum,& viduarum,statuimus,ꝙ mulier nupta,quæ sponte passa fuerit carnaliter se cognosci, in quingentis lib. deñ. condemnetur:quam condemnationem si non soluerit intra viginti dies à die latæ sententiæ numerañ. capite puniatur,ita quòd moriatur,& ipso facto eius dote priuata sit,& viro applicetur. Vidua autem stuprum sponte cõmittens,in lib. ducentis deñ. puniatur. Hoc autem in præsenti statuto generaliter disponimus,& statuimus,videlicet quòd de contentis supra in præsenti statuto nullus Rector,vel Iudex Ciuitatis,qui pro tempore fuerit,procedere, & cognoscere possit, nisi per accusationem tantùm iniuriam passi ex inde,mariti, seu etiam patris, fratris carnalis ex vtroque,vel altero parente, vel patroni, vel domini, vel patrui mulieris cognitę carnaliter. Et si aliter procederetur, quàm per accusationem alicuius de prædictis, quicquid fieret non teneat ipso iure. Exceptis vitio sodomitico, cognitione carnali,seu attentatione monialis,vel carceratæ,vel heremiticè viuentis,coitu carnali Christiani cum Iudęa,& Iudęi cum Christiana. Excepto etiam crimine incestus vsque in gradum superius annotatum. In quibus casibus Potestas habeat arbitrium inquirendi, & puniendi, fama tamen publica præcedente: ad cuius famæ probationem sufficiat numerus quinque testium fidedignorum:in quibus casibus exceptuatis per inquisitionem prócedi valeat,& cognosci. Et in omnibus, & singulis casibus pręsentis statuti, vbi pęna pecuniaria imponitur, siue pœna pecuniaria sit annexa corporali secundariò, seu in defectum,siue non sit annexa,confessionis,& pacis beneficium coniunctim,& diuisim operetur,& prosit: in alijs verò non. Committens autem aliquod lenocinium de muliere,quæ non sit publicè prostituta,item subducens aliquam puellam, vel puerum, vel mulierem causa libidinis, seu carnalis coitus per modum lenocinij, seu etiam attentantis lenocinium committere de muliere suprascripta, puella,vel puero ; realiter, & personaliter libero Rectoris arbitrio puniatur,& condemnetur. Et de ijs Rector, eiusq. Iudex maleficiorum Ciuitatis Firmi liberum arbitrium habeat inquirendi,&

per inquisitionem procedendi. Eademq; pœna puniatur, si quis aliquam mulierem virginem, vel aliã non publicè prostitutam turpiter, & contra bonos mores, suæ, vel alterius libidinis carnalis causa de aliquo loco extra comitatum Firmi seduxerit, & in Ciuitatem Firmi, vel eius districtum duxerit; siue talem seductam prostituerit, siue non. Et contra tales delinquentes eodem libero arbitrio inquiratur, & procedatur, vt supra. Adijcientes, quòd ad reprimenda hominum flagitia, si quis virginem, vel aliam mulierem bonæ famæ per vim deosculatus fuerit, capite puniatur, ita quòd prorsus moriatur, si fuerit in fortia Communis Firmi: si verò deosculans aufugerit, pater pro eo legitimam Communi soluere teneatur: in quo casu procedi possit etiam per inquisitionem, accusationem, & denunciam.

De furtis, & pactuali, vel bubulco furtum patrono committente. Rub. 45.

ABominabile furti vitium totaliter puniri cupientes, præsenti lege sancimus, quòd si qua persona cuiuscunque sexus aliquod furtum in Ciuitate Firmi, vel eius districtu commiserit de quantitate, vel valore viginti sol. deñ. vel intra, in lib. vigintiquinque vice qualibet puniatur: ab inde verò supra, si quantitas, vel valor rei furatæ fuerit centum sol. deñ. inclusiuè, vel minor, in lib. quinquaginta vice qualibet puniatur: & in quolibet casuum prædictorum si condemnationem de se factam non soluerit intra decem dies à die latæ sententiæ numerandos, nudus per Ciuitatem fustigetur. Si verò quantitas, vel valor furti, vel rei furatæ fuerit vltra centum sol. deñ. & non transcendat libras viginti deñ. fur in lib. centũ deñ. puniatur. Et si condemnatione de se factam non soluerit intra decem dies à die latæ sententię numerañ. nudus per Ciuitatem fustigetur, & sibi auricula dextera amputetur, ita ꝙ à corpore separetur. Cõmittens verò furtum quantitatis, vel æstimationis, seu valoris supra xx. lib. quãtacunque sit quantitas, nudus fustibus fustigetur, & sibi auricula de capite amputetur, ita quòd à corpore penitus separetur. Et prædicta intelligantur, & locum habeant pro primo furto. Pro secundo verò furto facto per interuallum vnius diei ad minus post primum de quacunque quantitate, ęstimatione, vel re, extrahatur vnus oculus furi de capite, ita ꝙ à capite separetur. Si quis verò vltra duo furta tertiũ furtum, vel plura cõmiserit, etiam extra territoriũ Firmi, suspendatur per gulam in furcis, ita ꝙ moriatur: dum tamen tertium furtũ, vel quartũ, vel vlterius in Ciuitate Firmi, vel eius districtu cõmiserit, vel fecerit, aut factũ alibi in Ciuitate Firmi, vel eius districtu contractauerit: dum tamen omnia eius furta per ipsum facta excedant summã xx. lib. deñ. ꝙ si nõ excedãt, Rectoris arbitrio puniatur, nõ obstante ꝙ plura furta cõmiserit. Arbitriũ verò tale se non extendat, nec extẽdatur ad mortẽ furis, sed citra. Et insuper in quolibet casu præsentis statuti cõdemnetur delinquẽs ad restitutionẽ rei furatæ, vel eius ęstimationis, & in duplũ vltra æstimationẽ eandem. Minor autem xiiij. annis, maior tamen x. doli capax committens aliquod furtũ possit pro qualibet vice vsque ad xx. lib. inclusiuè, & ad restitutionẽ rei furatæ condemnari, & non vltra, nec aliter in persona, vel rebus, inspecta etiã qualitate delicti, & etiã conditione personæ. Et in casibus omnibus supradictis, & singulis, in quibus pecuniaria pęna principaliter est statuta, pax non prosit, confessio sic. In personalibus verò principaliter nec pax, nec confessio valeat operari. Fures verò contrectantes in Ciuitate Firmi, vel eius districtu furta alibi facta, seu cum ipsis ad eandem Ciuitatem, vel districtum venientes, pro primo, vel secundo furto puniantur in pœnis supradictis, & cum conditionibus suprascriptis: Pro tertio verò furto puniantur ad mortem, vt superius dictum est: & nihilominus res furatas cum duplo æstimationis earum reddere compellantur. Nocturni verò, seu diurni publici, & famosi fures, seu raptores in Ciuitate Firmi, vel eius districtu furtum aliquod, vel rapinam committẽtes, aut commissum, aut commissam alibi in eadem Ciuitate, vel districtu contrectantes, Capitanei, & Potestatis libero arbitrio in persona, etiam vsque ad mortem inclusiuè, puniantur. Volumus autem, & statuimus, quòd hi tantùm publici, & famosi fures, seu raptores haberi, & reputari debeant, vt supra, & condemnari debeant, & possint, qui trina furta, aut etiam tres rapinas commiserint: quæ in processu, & sententia omnino exprimi debeant: & aliter non possint vt publici, & famosi fures, & raptores puniri, seu condemnari. Item inuenti cum furtis, vel rapinis, vel cum rebus furatis, vel raptis fugientes, possint à quolibet capi, & verberari, & si se armis, seu telo defenderent, impunè possint occidi. Si quis autem in domo suæ habitationis aliquam personam suspectam inuenerit, quam verisimile sit in eadem domo furandi, vel alia illicita, seu inhonesta causa intrasse, liceat inuentori, suæque familiæ sic inuentum capere, & ad Curiam ducere, & etiam percutere sine pœna, & etiam vsque ad mortem inclusiuè: dum tamen postea fides habeatur, quòd talis occisus illicita causa intrauerit, aliàs percutiens, vel occidens pœnis statutorum præsentis voluminis puniatur. Hoc autem præsenti statuto adijcimus, quòd si aliqua

persona

persona simul & semel sine temporis interuallo plures res furata fuerit, pro vno furto tantùm debeat condemnari. Statuta autẽ damnorum datorũ in suo robore firma perdurent, nec ipsis per præsens statutum aliqualiter derogetur. Item si quis patronus eius bubulcum, vel pactualem de furto, cuius quãtitas, vel æstimatio sol. quadraginta non transcendat, accusauerit, talis patroni iuramento stari debear, nec super tali accusatione probationes aliæ exigantur; quo casu talis accusatus valeat condemnari ad talem rem, vel quantitatem, quæ furto subtracta dicitur, & ad tantundem. Irem si quis bubulcus sine speciali licentia sui patroni vendiderit aliquam operam bouum, in sol. centum deñ. vice qualibet condemnetur, cuius condemnationis medietas sit patroni de hoc accusantis. Et idem, eodemq; modo statutum intelligatur, & sit in eo, qui pacto ascriptus est non laborare nisi terrenum, seu possessionem patroni, vel domini paciscentis. Adijcientes etiam, quòd laboratores, siue coloni extrahentes, siue asportantes per se, vel per alios granum, hordeum, speltam, fabas, & omne aliud genus frumenti sine licentia patroni possessionis de dicta possessione, in qua fuerit recollectum, incidant in pœnam furti, supra quo non possit procedi, nisi ad accusam dicti patroni, siue domini possessionis.

De pœna expilantium bona hæreditatis. *Rub. 46.*

SI qua persona hæreditatem iacentem, seu res aliquas, vel ipsius hæreditatis expilauerit, aut expilanti opem præstiterit ad expilandum, seu res hæreditarias expilatas receptauerit scienter, in lib. ducentis deñ. puniatur, & ad restitutionem rerum, & bonorum expilatorum, vel eorum æstimationem teneatur: & vltra ea in duplum talis æstimationis condemnetur illi, cuius interest. Nec pœna, nec condemnatio expilantis receptanti, seu opem præstanti proficiat quoquo modo, sed immo quilibet eorum, qui sic deliquerit, vt prædicitur, puniatur, & condemnetur.

De falsis. *Rub. 47.*

NE impunè, vel facilè falsitas committatur, præsenti lege decernimus, quòd si qua persona fabricauerit, vel fabricari fecerit falsum instrumentum, aut in aliquo instrumento falsitatem aliquam commiserit, seu fieri, vel committi fecerit; siue hoc factum fuerit radendo, siue mutando, siue minuendo, siue addendo, vel aliter in præiudicium veritatis, & partis; manus sibi amputetur, ita quòd à corpore diuidatur, & perpetuò sit infamis. Si verò quis falso instrumento scienter vsus fuerit, in lib. centum deñ. condemnetur: quam condemnationem si intra decem dies à die latæ sententiæ non soluerit, manus ei amputetur, ita quòd à corpore separetur. Item si quis acta Curiæ alicuius officialis falsificauerit, seu falsitatem in eis commiserit, siue etiam sententiam alicuius iudicis, seu officialis Ciuitatis falsificauerit, aut in ea falsitatem commiserit; in quolibet dictorum casuum in lib. ducentis deñ. condemnetur: quã condemnationem si non soluerit intra decem dies à die latæ sententiæ, manus ei penitus abscindatur, ita quòd à corpore separetur. Si quis verò testamentum, vel codicillos, vel donationem causa mortis falsificauerit, vel falsitatem in eis, vel eorum aliquo cõmiserit, vel fecerit, aut fieri, vel cõmitti fecerit, quomodocunque, vel qualitercunque tale quid factum, vel commissum fuerit, siue minuendo, siue addendo, siue radendo, siue mutando in alterius præiudicium, & contra veritatem, sibi manus amputetur, ita quòd à corpore diuidatur, & perpetuò sit infamis ipso facto. Si quis autẽ produxerit scienter aliquod falsum instrumentum, testamẽtum, codicillos, donationẽ causa mortis, vel aliam quãcunque vltimam voluntatem, aut acta iudicialia, vel aliam scripturam priuatam, vel aliam sententiam, vel similia, prædictis verò, vel aliquo prædictorum vsus non fuerit; pro sola productione alicuius ipsorũ sine vsu in lib. centũ deñ. condemnetur: quas si intra decẽ dies à die latæ sententiæ non soluerit, manus sibi amputetur, ita quòd à corpore separetur. Itẽ si quis aliquod instrumẽtũ, contractũ, testamentũ, vel aliã vltimã voluntatẽ, aut actũ iudicialẽ, siue sentẽtiã, vel quid simile falsum scienter, vel dolosè dictauerit, in lib. centũ deñ. condemnetur: quas si intra decẽ dies à die latę sẽtẽtię non soluerit, lingua de eius ore ei penitus abscindatur, & arte eius de cætero sit priuatus, & ipso facto perpetuò sit infamis. Et in omnibus, & singulis casibus suprascriptis in pręsenti statuto teneatur ille, qui quicquã fecerit de prędictis, aut fieri, vel cõmitti fecerit, vt pręfertur, ad integrũ interesse perlonæ, quę fuerit læsa ex inde quoquo modo; & nihilominus mitria cõtemnibili, & vituperosa debeat mitriari. Itẽ si qua persona in aliqua causa ciuili in iudicio, vel extra corã aliquo iudice ordinario, vel delegato, arbitro, vel arbitratore, aut corã aliquo subrogato, vel aliquo ipsorũ falsũ testimoniũ scienter tulerit, siue perhibuerit, in lib. centũ deñ. condemnetur, & perpetuò sit infamis, & mitrietur vt supra, & parti exinde læsę ad interesse nihilominus condemnetur. Si verò in causa criminali, vbi pœna merè

ſimpliciter pecuniaria imponenda veniret,ſeu imponi poſſet,ſi crimen verũ eſſet, & perſona aliqua falſum teſtimonium tulerit,vel perhibuerit,in centum lib. deñ. condemnetur,& ad intereſſe partis læſæ, & ad mitriæ impoſitionem,vt ſupra; & nihilominus ipſo facto perpetuò ſit infamis. Si verò aliqua perſona falſum teſtimonium tulerit,ſiue perhibuerit in cauſa criminali, vbi pęna perſonalis in totum,vel in partẽ principaliter,ſeu conditionaliter, ſiue in defectum imponenda veniret illi, contra quem, vel pro quo falſum teſtimoniũ eſt,ſeu fuerit perhibitum ,ſi crimen quod ſibi impigetur verum eſſet, talis perhibẽs falſum teſtimonium de & ſuper crimine antedicto condemnetur,& puniatur illa pœna perſonali,qua punitus fuiſſet,aut condemnatus,aut puniri,& condemnati deberet ille, contra quem falſum teſtimonium latum,aut perhibitum eſt,ſi delictum,vel delicta vera fuiſſent. Si quis verò falſos teſtes tantùm produxerit ſcienter,& non vſus fuerit in iudicio, pro quolibet teſte in quinquaginta lib. deñ. penitus condemnetur: ſi verò produxerit in iudicio,& vſus fuerit in iudicio ſcienter eis,in lib.centum deñ. pro quolibet teſte condemnetur , & parti læſæ ex inde nihilominus ad intereſſe teneatur, & mitrietur vt ſupra. Item ſi quis aliquem teſtem ſubornauerit, ſeu docuerit falſum teſtimonium dicere,facere,ſeu perhibere in cauſa ciuili,vel criminali,pro quolibet teſte,quem ſic ſubornauerit, vel docuerit,in xxv. lib. deñ. condemnetur omnino. Item ſi quis in alterius præiudicium,ſiue fiſci, ſiue priuati,aliter quàm in damnis datis nomen ſibi mutauerit,in lib.decem deñ.& ad intereſſe partis ex inde læſæ condemnetur. Item ſi quis aliquam perſonam dolosè,& ſcienter infamauerit de aliquo crimine, ſeu criminibus aliquibus,ſeu delictis,cum ſcriptura,vel ſine,contra veritatem tantùm,vbicunque,vel coram quocunque quid fecerit,aut fieri curauerit, pœna talionis, videlicet ea, qua puniri deberet ſic infamatus,ſi verum fuiſſet crimen prædictum,irremiſſibiliter puniatur.Item ſi quis contrafecerit ſigillũ Cõmunis,ſeu bullectinũ cum cruce quomodocunque, & qualitercunque,puniatur igne,& penitus comburatur,ita quòd pœnitus moriatur, ſi in fortiam Communis peruenerit:& ſi in fortiam Cõmunis non peruenerit, tunc omnia ſua bona Communi Firmi publicentur , & confiſcentur , & nihilominus igni condemnetur,vt ſupra . Item ſi quis falſificauerit, ſeu falſitatẽ commiſerit in,& cum dicto ſigillo, vel bullectino quomodocunque, & qualitercunque, puniatur in quingentis lib. deñ. quam condemnationem ſi non ſoluerit intra decem dies à die latæ ſentẽtiæ numerandos,manus dextera eidem amputetur,ita quòd à corpore ſeparetur. Si quis autem bullectinum Communis officij Regulatorum dicti Communis falſificauerit,mutauerit,ſeu quomodocunque in eo fraudem,ſiue falſitatem commiſerit,in lib. ducentis deñ. condemnetur. Item ſi quis falſificauerit,mutauerit,ſeu quocunque modo falſitatem commiſerit in ſigillo D. Poteſtatis,Iudicis iuſtitiæ , ſiue Capitanei populi dictæ Ciuitatis, in lib. centum deñ. condemnetur,& puniatur. Si quis verò falſificauerit,mutauerit,ſeu quocunque modo falſitatem commiſerit in aliquo ſigillo,ſeu bullectino Gabellarum, ac officialium deputatorum ad officium Gabellæ exigendæ,vel alterius cuiuſcunque Ciuitatis Firmi,condemnetur in centũ lib. deñ. Et in omnibus, & ſingulis ſupradictis caſibus delinquens condemnetur in duplo damnum paſſo. Item ſi qua perſona falſitatem aliquam aliam quàm de ſupradictis commiſerit , ſeu committi fecerit, etiam tacendo,vel aliter quomodocunque,aut in eius arte , vel miniſterio qualitercunque,in lib. quinquaginta deñ. puniatur,& parti nihilominus ad intereſſe condemnetur.Et in omnibus,& ſingulis caſibus huius rubricæ, ſeu ſtatuti,beneficium pacis nullatenus vendicet ſibi locum . Et quilibet Rector poſſit procedere,inquirere,cognoſcere,& punire de cõtentis in pręſenti ſtatuto, ſi tẽpore ſui officij,vel intra quinque annos proximos ante commiſſa talia fuerint,qualia ſuperius in ſtatuto pręſenti continẽtur .

De pœna ſubmittentis partum. *Rub. 48.*

EOrum malitijs, earumuè, qui, quæuè partum ſubmittere non abhorrent,obuiare, atque tantam temeritatem arcere cupientes,ſtatuimus,quòd ſubmittens,ſeu ſubmitti faciens dolosè, ſcienter, & falsò aliquem partum, in mille lib. deñ. condemnetur: & omni commodo hæreditatis, ſeu bonorum eius , cuius partus prætenſus falsò fuerit , penitus ſit eo ipſo priuatus , ſeu priuata , nullo facto alio expectato .

De pœna fabricantium,ſeu expendentium falſam monetam. *Rub. 49.*

CVnctis interdicimus falſam monetam cudere, fabricare,ſeu cudi , & fabricari facere . Si quis autem ſtatuti huius temerarius contemptor extiterit, ignibus concremetur, ita quòd moriatur omnino : & domus , in qua falſa moneta ſciente domino , cuſa , ſeu fabricata fuerit , eo ipſo Communi confiſcata intelligatur. Si qua verò perſona falſam monetam ſcienter expenderit,ſeu

expendi

expendi fecerit;si expensum fuerit supra xx. sol. in lib. ducentis condemnetur. Si verò expenderit, seu expendi fecerit sol. xx. deñ. vel ab inde intra scienter, in lib. quinquaginta deñ. puniatur. Et intelligatur scienter expendisse, seu expendi fecisse talem monetam, qui data prius opera ad quærendũ, seu procurandum habere talem monetam, ipsam deinde expenderit, seu expendi fecerit, vt præfertur.

De pœna reuelantium credentias, vel secreta Communis. *Rub. 50.*

FIdem, & silentium ab omnibus, & singulis obseruari Communi nostro per omnia cupientes, statuimus, atque decernimus, quòd si quis tantæ temeritatis extiterit, quòd credentias, silentia, seu secreta nostri Communis sibi imposit as, seu commissas per Concilium, Priores populi, & Vexilliferum iustitiæ, vel alium, seu alios nomine Communis cuique reuelauerit, manifestauerit, seu aperuerit, cuiuscunque status existat, realiter, & personaliter, coniunctim, vel diuisim libero Rectoris arbitrio, de facto etiam, & sine solennitate aliqua puniatur, facti qualitate pensata, ad minus tamen pœna priuationis officij, & beneficij Communis Firmi per decennium.

De pœna facientis insultum cum collecta, vel sine. *Rub. 51.*

REatus, & crimina eorum, qui insultum faciunt cum collecta hominum, puniri taliter ordinamus, videlicet quòd si quis collectis, seu adhibitis sibi quatuor, vel pluribus, insultum fecerit contra aliquem ad domum, vel in domo eius habitationis, vel ad apothecam, seu stationem propriam, vel conductam insultati, vel in ea, seu ad eius possessionem, vel in possessione, vel in platea Communis; si cum armis, principalis, siue associatus in lib. ducentis deñ. puniatur: associans verò quilibet, seu cum tali sic existens in lib. centum puniatur: si verò sine armis, principalis prædictus in lib. centum puniatur: quilibet verò sic associans in lib. quinquaginta puniatur: Si verò alibi, quàm in aliquo ex dictis locis, talis insultus factus fuerit contra aliquem; si cum armis, principalis in centum lib. deñ. puniatur: quilibet verò sic associans in quinquaginta lib. deñ. puniatur: si verò sine armis, principalis in vigintiquinque lib. deñ. puniatur; quilibet verò associans in lib. duodecim puniatur. Si quis autem, sic insultatus in dicto insultu percussus fuerit cum armis, siue instrumentis ferreis, vel non ferreis, cum sanguinis effusione, in domo, vel ad domum, vel ad possessionem, vel in possessione, ad apothecam, seu stationem propriam, vel conductam, vel in ea; vel in platea Communis, puniatur principalis in lib. quingentis deñ. quas si intra decem dies à die latæ sententiæ numerandos non soluerit, manus dextera sibi penitus amputetur, ita quòd à corpore separetur: quilibet verò sic associans in lib. ducentis deñ. puniatur; quas si non soluerit intra decem dies à die latæ sententiæ, manus dextera sibi penitus amputetur, ita quòd à corpore separetur. Si verò in tali insultu in aliquo ex dictis locis facto insultatus percussus fuerit, & ex percussione cicatrix perpetua remansura in facie, vel in collo, siue debilitatio perpetua, seu incisio cum debilitatione perpetuò duratura alicuius membri, vel nerui, seu officij membri facta, secuta, seu secutura fuerit, principalis in octingentis libris deñ. puniatur: quilibet verò sic associans in libris quadringentis denariorum puniatur, & tam principali, quàm etiam sic associanti, si suam condemnationem intra decem dies à die latæ sententiæ numerandos non soluerit, manus dextera amputetur, ita quòd à corpore separetur. Si autem percussus mortuus fuerit, statutum de homicidio obseruetur. Si verò sic insultatus percussus fuerit sine sanguine in aliquo ex dictis locis, vel ad aliquẽ ex eis, & sine cicatrice, vel sine incisione, vel sine debilitatione præmissis, principalis quidem in lib. ducentis deñ. quilibet verò sic associans in lib. centum deñ. puniatur. Si autem cum præmissa collecta insultatus, alibi, quàm in aliquo ex locis prædictis percussus fuerit cum armis, seu instrumentis ferreis, vel non ferreis, & cum sanguine, & ex tali percussione cicatrix in facie, vel in collo perpetuò remansura, vel debilitatio perpetua, etiam sine sanguine, seu incisio cum debilitatione perpetua alicuius membri, vel nerui, vel officij membri facta, secuta, seu secutura fuerit, principalis in quingentis lib. deñ. puniatur, quilibet verò sic associans in ducentis lib. deñ. condemnetur. Et quilibet prædictorum, qui prædictam suam condemnationem propriam intra decem dies à die latæ sententiæ numerandos non soluerit, manus dextera amputetur, ita quòd à corpore separetur. Si verò ex percussione prædicta sanguis tantùm exiuerit, & nulla cicatrix, incisio, seu debilitatio suprascripta fuerit facta, secuta, vel secutura, principalis in ducentis lib. deñ. puniatur: quilibet verò sic associans in centum lib. puniatur. Si verò percussio sine sanguine facta fuerit in insultu prædicto, principalis in centũ lib. deñ. quilibet verò sic associans in quinquaginta lib. puniatur. Et in quolibet casuum prædictorum statuti huius, vbi insultus, & percussio interuenerint, solę suprascriptę pęnę vendicẽt sibi locum, & de talibus

percussionibus aliter non queratur. Si quis autem in aliquo ex locis superius declaratis, vel alibi insultum fecerit,vt prædicitur,cum collecta,& in insultu adminatio cum armis, vel sine, interuenerit sine percussione,vltra pœnam insultus principalis in lib. quinquaginta den. quilibet verò sic associans in libr. xxv. den. condemnetur: & hoc casu non confundatur pœna insultus cum pœna adminationis. Et ne in dubium reuocetur,quis fuerit principalis in collecta,de qua in præsenti statuto continetur,quis verò associans,ille intelligatur principalis,quē declarauerit insultatus;sed si per eum non declaretur,Rectoris arbitrio relinquatur. Et prædicta omnia,& singula locum habeant, vbi quatuor, vel ab inde supra fuerint cum principali inclusiuè ad prædicta,vel prædictorum aliquod committendum. Si autem insultus factus fuerit sine collecta contra aliquem in domo,vel ad domum eius solitæ habitationis,ad apothecam,seu stationem eius propriam,vel cōductam,vel in ea,vel ad possessionem,vel in possessione propria,vel conducta ipsius insultati; si cum armis,in xx. lib. deñ. si sine armis,in decē lib. deñ. puniatur insultans. Si verò alibi,quàm in aliquo,vel in aliquem ex dictis locis,factus fuerit insultus;si cum armis,in decem lib. deñ. si sine armis,in quinque lib. deñ. puniatur insultans. Et talis insultus pœna confundatur cum percussione,si percussio facta fuerit: non autem confundatur cum sola pœna adminationis, si sola adminatio interuenerit sine interuentu aliquo alicuius percussionis. Et huic præsenti statuto adijcimus,quòd quando intelligi debeat factus insultus in domo,vel ad domum habitationis,vel ad apothecam, seu stationem præmissam,vel in ea,siue ad possessionem,vel in possessione premissa insultati,vel alibi,in omnibus,& singulis casibus huius statuti Rectoris arbitrio relinquatur, super quo eius conscientiam oneramus.

De pœna adminantis cum armis,vel sine. *Rub. 52.*

ADminationes taliter puniri statuimus,quòd si quis contra aliquem cum armis ferreis,vel ferratis,vel alijs armis,videlicet bastone,vel baculo,vel alio non leui instrumento adminauerit, pro qualibet vice in libris vigintiquinque deñ. puniatur. Si quis autem euaginauerit, vel eleuauerit aliquod ex dictis armis,& non adminauerit,in centum sol. vice qualibet puniatur. Si verò cū canna,corregia,vel alio leui instrumento contra aliquem adminauerit,in decem libris pro vice qualibet puniatur. Quod autē leue,vel nō leue instrumentū intelligi debeat, Rectoris arbitrio relinquatur. Si verò manu vacua versus collū,vel ab inde supra contra aliquē,vel personā alicuius adminauerit, in quinque lib. deñ.& si ab inde infra,in sol. quadraginta puniatur. Et pęna insultus cū pęna adminationis,siue euaginationis, siue è conuerso nullatenus confundatur, sed quælibet vendicet sibi locum.

De pœna percutientis cum armis,vel sine. *Rub. 53.*

TEmeritatem percutientium statuti huius prouisione puniri cupientes,statuimus, quòd si quis aliquam personam cum armis,seu instrumentis,vno,vel pluribus ferratis,vel ferreis, & cum ferro talium armorum percusserit in collo, vel à collo supra, cum sanguinis effusione, in lib. ducentis deñ. pro percussione qualibet puniatur. Et si ex tali percussione ossis,vel cranei ruptura,seu fractio facta,secuta,vel secutura fuerit,in lib. quadringentis puniatur. Et si ex tali percussione signum enorme,vel cicatrix in facie,vel gula euidens perpetuò remansura facta,secuta,vel secutura fuerit, in lib. quadringentis puniatur: quas si intra mensem à die latæ sententiæ non soluerit, manus dextra sibi amputetur omnino,ita quòd à corpore separetur. Si verò nasum,vel ejus partem,auriculā, vel eius partem,labium,vel eius partem inciserit, ita quòd à facie separauerit, vel oculū cœcauerit, vel effoderit,in lib. quingentis puniatur: quam pœnam,seu condemnationem si intra decem dies à die latæ sententiæ numerandos non soluerit,ei nasus,auricula,seu labium suum,prout alteri inciserit, & sic separauerit,& oculus,quem sic cœcauerit,vel effoderit,similiter incidatur,effodiaturq; in tantū, seu plus vel minus Rectoris arbitrio. Si verò à collo infra cum dictis armis,vel aliquo eorum cum sanguinis effusione,vel sine,aliquē percusserit,& ex percussione totalis incisio, vel debilitatio perpetua nerui, vel ossis, vel membri, vel officij membri facta,secuta, seu secutura fuerit,in lib. quadringentis puniatur: quam pœnam si intra mensem à die latæ sententiæ non soluerit, simile membrum, & os, vel membri officium,prout alteri inciserit, vel debilitauerit, vel aliud, Rectoris arbitrio amputetur, seu incidatur. Si verò ex percussione facta cum aliquo ex dictis armis à collo infra sanguis tantùm exiuerit, & nulla de prædictis facta, vel secuta fuerit, in lib. centum condemnetur. Si verò ex tali percussione cum aliquo ex dictis armis sanguis non exiuerit,& percussio in collo,vel à collo supra cum liuore facta fuerit, in lib. centū pro percussione qualibet condemnetur: si sine liuore,in lib. quinquaginta condemnetur.

Si autem à collo infra cum aliquo ex dictis armis,si sine sanguine percusserit,si cum liuore,in lib. quinquaginta, si sine liuore, in lib. vigintiquinque pro percussione qualibet condemnetur. Item si vno ictu,seu vnico ictu plures percussiones cum aliquo ex dictis armis factæ fuerint; si à collo supra, puniatur percutiens pro tot percussionibus,quot quis reperiatur percussus: si verò à collo infra factæ,seu secutæ cum sanguine,in lib. centum,ac si tantum vna percussio fuisset dumtaxat,puniatur,& condemnetur. Si verò cum aliquo instrumento bipartito,seu tripartito,vel pluripartito,veluti forfice,bidente, pectine, rastro, vel similibus aliquem percusserit, vel vulnerauerit cum sanguine; quàmuis vno ictu cum tali instrumento plura vulnera fecerit, in lib. ducentis puniatur. Si verò ex percussione cum aliquo ex dictis armis,seu instrumentis prædictis facta,dens vnus,vel plures ceciderint,vel rupti fuerint, puniatur percutiens pro quolibet dente prædicto in quinquaginta lib. deñ. Si verò quis in totum,vel in partem linguam alicui abscinderit, in libris ducentis puniatur. Si verò quis eunuchum,seu castratum fecerit quoquo modo hominem, ita quòd ad generandum reddatur inhabilis in totum, in lib. mille deñ. condemnetur:quas si intra decem dies à die latæ sententiæ non soluerit, caput eidem amputetur,ita quòd moriatur omnino. Si verò alterum tantùm testiculum alicui inciserit, siue amputauerit,vel à corpore separauerit, in libris ducentis puniatur:quas si intra decem dies à die latæ sententiæ non soluerit, manus eidem amputetur, ita quòd à corpore separetur. Si quis autem cum aliquo vase terreo,vel alio instrumento,vel cum hasta,baculo,ligno, lapide,fuste,tonchone,maza plumbata, & his similibus,vel cũ aliquo ex armis ferrum habẽtibus,nõ tamen cum ferro,quod in aliquo ex prædictis extiterit, si in collo,vel à collo supra percusserit,& ex percussione sanguis exiuerit,pro qualibet percussione in lib. centum puniatur. Si verò ex percussione cum aliquo ex dictis instrumentis facta cicatrix,vel signum euidens in collo,seu facie, vel debilitatio perpetua alicuius nerui, vel membri, vel officij membri,vel ossis, siue cranei ruptura, seu fractio facta,secuta,vel secutura fuerit,in lib. ducentis puniatur. Si verò oculum cœcauerit,vel effoderit ex percussione cum aliquo ex dictis instrumentis facta,in libris quingentis pro quolibet oculo cœcato, vel effosso condemnetur: quam condemnationem quingentarum lib. si intra decem dies à die latæ sententiæ non soluerit,sibi suus oculus,vnus, vel ambo,prout alteri effoderit,seu cœcauerit,similiter effodiatur. Si verò ex percussione cum instrumento prædicto facta dens de ore percussi ceciderit,vel ruptus fuerit, pro quolibet tali dente in libris quinquaginta puniatur,& condemnetur. Si autem à collo infra cum sanguine tantùm percusserit cũ aliquo ex prædictis instrumentis,vel similibus,in quinquaginta lib. puniatur,& condemnetur.Si verò sine sanguine in collo, vel à collo supra cum liuore percusserit cum aliquo ex dictis instrumentis, in lib. centum condemnetur:si sine liuore,in lib. quinquaginta puniatur. Si verò à collo infra cum liuore, vel sine,cum aliquo ex prædictis instrumentis percusserit, in xxv. lib. deñ. puniatur. Si verò cum canna,corregia,vel alio leui instrumẽto his simili in collo,vel à collo supra percusserit cum sanguine, vel cum liuore tantùm, pro qualibet percussione in lib. quadraginta puniatur: si sine sanguine, & liuore,in xx. lib. puniatur.Et si ex tali percussione cum sanguine cicatrix, vel signum euidens in collo, seu facie,vel debilitatio perpetua alicuius nerui,vel membri,vel ossis,siue cranei ruptura,seu fractio facta,secuta,vel secutura fuerit,vel oculum cœcauerit,vel effoderit ex percussione prædicta, puniatur in omnibus,& per omnia, ac si cum vase terreo, vt supra,percussisset. Si verò ex tali percussione dens de ore percussi ceciderit,vel ruptus fuerit,pro quolibet tali dente in lib. xx. deñ. puniatur. Si verò à collo infra cum sanguine cum tali leui instrumento proximiori,vel ei simili percusserit,in xx. lib.deñ. puniatur. Si verò cum liuore,vel aliter sine sanguine percusserit, in lib.decem deñ.puniatur. Si quis verò lapidem,vel aliquod ex prædictis instrumentis proiecerit contra aliquem,& non percusserit, condemnetur pro quolibet, & qualibet vice in lib. v. deñ. Si quis autem vnico ictu cum aliquo ex dictis instrumentis plures percussiones fecerit, condemnetur secundũ distinctionem factam supra eodem de percutientibus cum armis ferreis à collo infra, & à collo supra. Si quis autem dentibus momorderit aliquem cum liuore,vel sanguine,vel vtroque, in lib. quinquaginta deñ. puniatur:si sine liuore,& sine sanguine,in lib. xxv. puniatur. Si verò labium, nasum,vel digitum,vel auriculam, vel genam, vel gulam dentibus momorderit,& carnem inde abstulerit,seu exportauerit, aut cadere fecerit, in centũ lib. condemnetur, & puniatur.Item si tali morsu neruum,membrum, vel membri officium debilitauerit,vel detruncauerit in totum vel in partem, aut carnem de aliqua parte corporis, quæ supra scribitur,abstulerit,seu in terram cadere fecerit,in centum lib. puniatur. Et si quando dubium fuerit,seu in dubium vertatur in aliquo casu præsentium statutorum,vel alterius huius voluminis, verum,vel quãdo signum,vel cicatrix euidens,seu enormis,vel nerui,vel membri, vel officij membri debilitatio per-

petua, aut ossis, vel dentis fractura facta, secuta, seu secutura fuerit, duorum Medicorum iudicio cum iuramento relinquatur, & stetur per Rectorem. Si quis autem manu vacua, brachio, cubitu, calce, vel capite, vel quocunque humano membro, vel parte membri aliquem in collo, vel à collo supra percusserit; si sanguis inde exiuerit, in lib. quinquaginta puniatur; si verò sanguis inde non exiuerit, in lib. vigintiquinque puniatur. Si verò à collo infra sic percusserit; si cum sanguine, in decem lib. deñ. si sine sanguine, in centum sol. puniatur. Si verò ex tali percussione oculus cœcatus, seu effosus fuerit, aut os debilitatum perpetuò, aut fractum, vel dens ruptus, seu euulsus fuerit, vel nerui, membri, seu officij membri debilitatio perpetuò facta, secuta, seu secutura fuerit, talis sic percutiens, in lib. centum deñ. condemnetur. Et in casu prædicto, quo quis ex tali percussione prædicta oculum cœcauerit, vel effoderit, si condemnationē prædictā intra decem dies à die latæ sententiæ non soluerit, manus sibi penitus amputetur, ita quòd à corpore separetur. Si quis autem alteri barbam, vel eius partem extirpauerit, seu extirauerit, aut capillos capitis, vel aurem, seu aures alteri extirauerit; si sanguis inde non exiuerit, in lib. xxv. si verò sanguis inde exiuerit, in lib. quinquaginta puniatur. Si verò ex hoc aurem de capite detruncauerit, seu separauerit totam, vel eius partem, in lib. centum puniatur: quam condemnationem si intra decem dies à die latæ sententiæ nō soluerit, manus sibi amputetur, ita quòd à corpore separetur. Si verò quis aliquem spinxerit, & in terram cadere non fecerit, in lib. quinque puniatur: si verò spintum cadere fecerit, si sanguis inde nō exiuerit, in lib. decem puniatur; si verò ex dicta spinta, vel eius occasione sanguis exiuerit, spingens in vigintiquinque lib. puniatur. Si verò quis aliquem spinxerit, seu cadere fecerit, & ex inde, vel eius occasione oculus effosus, vel cœcatus fuerit, aut ossis fractura, seu nerui, membri, vel officij membri debilitatio perpetua facta, secuta, vel secutura fuerit, puniatur sic spingens in ducentis lib. deñ. Item si quis aliquem per terram trasinauerit, siue traxerit; si ex hoc sanguis non exiuerit, in xxv. lib. deñ. puniatur: si verò ex hoc sanguis exiuerit, in quinquaginta lib. puniatur. Si verò ex hoc os fractum fuerit, aut nerui, membri, vel officij membri perpetuò debilitatio facta, secuta, vel secutura fuerit, in lib. ducentis puniatur. Item si quis caputeum, vel aliud tectorium capitis virile, aut muliebre alteri traxerit de capite, seu cadere fecerit, aut indumentum aliquod in alterius dorso laniauerit, in lib. decem, & ad emendam damni in duplum vltra puniatur. Delicta verò minorum xvj. annorum commissa in aliquo ex dictis casibus, vel similibus, puniantur minori pœna boni Rectoris arbitrio, consideratis qualitate delicti, & conditione personarum, secundum distinctionem factam in rubrica, Quod minores, & filij familias habeant legitimam personā.

De pœna percutientium alterius pactualem. *Rub. 54.*

Rationem, & modum mitiorem in percutientes alienum pactualem, vel famulum haberi cupientes, statuimus, quòd si quis manu, vel calce, vel armis, vel alio quocunque instrumento ferrato, vel non ferrato percusserit aliquem pactualem alterius, vel famulum, vel famulam, vel cōtra eos insultum fecerit, vel adminauerit, vel aliqua alia arma euaginauerit, puniatur media pœna pecuniaria principaliter, vel conditionaliter, qua puniretur, si offenderit alium non pactualem, vel famulum alterius: quæ pœna mediata prædicta intelligatur, & sit pœna simplex, & originalis delinquentibus supradictis. Si quis verò percusserit aliquem pactualem, vel famulum, siue famulam alterius cum armis, vel aliquo alio instrumento, vel quocunque quomodocunque in facie, vel gula, ex qua percussione cicatrix, seu signum enorme, sit perpetuò remansura, vel remansurum, puniatur, & condemnetur in centum lib. deñ. Et quòd quis sit alienus pactualis, vel famulus, probatio quatuor testium de publica voce, & fama super inde probantium sufficiat. Dominus verò, vel patronus seruum, famulum, vel pactualem suum cuiuscunque sexus percutiens, seu verberans, ad aliquam pœnam minimè teneatur, nisi atrociter, & seueriter se habuerit in verberando, seu percutiendo. Tunc autem atrociter, & seueriter factum intelligi debeat, cùm ex inde cicatrix in facie, vel in collo, vel nerui, membri, vel officij membri, vel ossis totalis incisio, vel debilitatio perpetuò duratura, facta, vel secutura fuerit, vel oculus cœcatus, seu effosus fuerit, vel caro à corpore separata. Qua quidem atrocitate, atque seueritate interueniente citra mortem, talis dominus, seu patronus in lib. vigintiquinque puniatur.

De forensi offendente Ciuem. *Rub. 55.*

Metu pœnæ cupientes arcere forenses, statuimus, quòd si quis forensis, vel non subiectus iurisdictioni Communis Firmi, cuiuscunque dignitatis, conditionis, vel status existat, Ciuem, vel districtualem offenderit in Ciuitate, vel districtu eius, & rixæ, seu offensionis inceptor, &

auctor fue-

auctor fuerit, vel extra districtū Firmi eundem Ciuem, vel districtualem in persona offenderit, vel derobbauerit, puniatur in duplo illius pœnæ, qua puniretur Ciuis Ciuem offendens. Et hoc, quando pœna per formam statuti huius voluminis est pecuniaria tantùm simpliciter, & determinata. Si verò pœna delicti in Ciue contra Ciuem esset etiam merè arbitraria, seu corporalis, seu corporis afflictiua principaliter, vel conditionaliter, tunc talis forensis realiter, & personaliter, coniunctim, seu diuisim, Rectoris arbitrio puniatur, personarum, & facti conditione pensatis: nunquam autem in minori pœna forensem talem non subiectum, vt præfertur, condemnet, quàm si Ciuis, & subiectus esset.

De verbis iniuriosis. *Rub. 56.*

DIcentes, seu proferentes verbum iniuriosum contra aliquem, etiam si plura simul dixerint vno impetu, in quadraginta sol. vice qualibet puniātur. Et si coram Potestate, vel Capitaneo, vel aliquo eorum officiali in Palatio Communis, vel populi dixerint, in sol. centum puniantur. Et pacis beneficium in prædictis quidem vendicet sibi locum: & de prædictis omnibus, & singulis sine processu aliquo, vel scriptura quilibet Rector condemnare valeat, & punire de facto.

De pœna reimproperantium. *Rub. 57.*

STatuimus, quòd si contra aliquem verba reimproperatoria alicuius actus præteriti, vel rei tendentia ad illum, contra quem proferuntur, vel sui patris, matris, fratris carnalis, vxoris, vel alterius consanguinei vsque in tertium gradum de iure Canonico computandum inclusiuè, infamiam, vel dedecus dixerit, vel protulerit quoquo modo, in vigintiquinque lib. deñ. puniatur. Si quis autem ad sui defensionem, vel pro suo iure conseruando, scribendo, seu scribi faciendo, excipiendo, vel alio modo tale quid in scriptis, vel verbo protulerit, prædicta pœna minimè teneatur. Si verò quis aliquem mentiri dixerit per hæc verba, tu mentiris, vel æquipollentia, vel aliquem defectum sibi imminentem permissione diuina, seu alterius ministerio reimproperauerit, vtputa quòd cœcum, claudum, vel mancum, vel similia eidem dixerit, in quinque lib. deñ. puniatur. Et in casibus huius statuti beneficium pacis valeat, atque prosit.

De his, qui offendunt aliquem ad sui defensionē, & de pœna declinantis iurisdictionem Cōmunis. *Rub. 58.*

VNicuique licitum esse decernimus se cum moderamine inculpatæ tutelæ defendere sine pœna. Si quis autem occasione alicuius dignitatis, aut priuilegij, aut alterius rationis, vel causæ se subtraxerit, aut subtrahere voluerit de iurisdictione Potestatis, vel Capitanei Communis Firmi, ne de offensione, quam contra aliquem fecerit, vel de delicto puniatur, vel conueniatur ciuiliter, seu quominus puniatur criminaliter secundum formam, & modum, seu pœnas huius Ciuitatis, puniatur pœna quinquaginta scutorum, & priuationis officiorum, & dignitatum quarumcunque in Ciuitate Firmi, & comitatu. Et quicunque aliquem, qui se sic subtraxerit, seu subtrahere voluerit, associauerit aliquo modo ad maleficium committendum, seu ad hoc committendum sibi auxilium, consilium, vel fauorem præstiterit, teneatur ac si ipse tale maleficium commisisset. Quòd quidem statutum vendicet sibi locum, si principalis conuentus ciuiliter, vel criminaliter iurisdictionem prædictam declinauerit suo proprio nomine, ac etiā si procuratorio, tutorio, actorio, curatorio, vel scindicatorio nomine alterius declinauerit: quo casu quando nomine alterius declinauerit, ipse tutor, curator, actor, procurator, vel scindicus præsenti statuto ligetur: & nihilominus talis dominus, cuius nomine prædicta facta, & dicta fuerint, vel declinatum fuerit, possit in bonis, & rebus offendi, vt supra dictum est.

De pœna rumpentium pacem. *Rub. 59.*

IN rumpentes pacem taliter statuimus, videlicet quòd si quis illum, cum quo pacem fecerit, percusserit, seu percuti fecerit quoquo modo, aut quocunque alio modo, etiam non percutiendo, neque percuti faciendo pacem eidem fregerit, seu ruperit, pro tali percussione, siue offensa quoquo modo facta, vltra pœnam promissam de obseruando pacem, pro pace sic rupta puniatur pena contenta in Constitutionibus Marchiæ. Et idem statutum intelligatur, & sit, si quis sic offenderit, vel offendi fecerit percutiendo, vel percuti faciendo aliquem consanguineum illius, cum quo pacem fecerit, vsque ad tertium gradum inclusiuè de iure Canonico computandum: dummodo cum sic offenderit, seu offendi fecerit, non ex noua causa, vel offensa sibi facta per eum, sed solùm pacem rumpendo prædictam.

Decretum Concilij de vindictis transuersalibus, Confirmatum per Breue Pij Quarti sub Dat. Romæ die x. Februarij. 1 5 6 0. *Rub. 60.*

AD reprimendas, & compescendas prauorum, ac impiorum hominum mentes, & animos, qui dum iniurias vlcisci appetunt, proprios vindictæ terminos in offensionem transuersaliũ iniuriantis excedunt: Ideo hac saluberrima lege statuimus, & ordinamus, quòd si aliquis in futurum vindictam aliquam fecerit transuersalem, videlicet si offensio fuerit verbalis tãtum, talis sic offendens incurrat pœnam exilij per quinquennium: si autem iniuria, & offensio fuerit facta in persona; siquidem sine sanguine, vel fractura ossis, exulet per septennium. Si verò offensio fuerit cum sanguine, vel fractura ossis, vel membri abscissione, vel debilitatione, vel perpetui signi remansione, pœna sit talis offendentis exilium per decennium cum consiscatione dimidiæ partis omnium suorum bonorum, & manus dextera abscindatur, & amputetur in casu tãtum membri abscissionis, & debilitationis, ita quòd à corpore separetur. Et prædicta exilia intelligãtur à Ciuitate, & iurisdictione Firmana. Si autem ax aliqua dictarum offensionum per transuersum factarum mors sequuta fuerit illius, qui fuerit sic offensus, offendens tanquàm proditor, & rebellis pacifici status dictę Ciuitatis depingatur in pariete palatij veteris Curiæ publicè, & palàm more proditorum, & perpetuo exilio subiaceat, cum consiscatione omnium suorum bonorum, & domorum demolitione. Statuẽtes, quòd de prędictis omnibus, & singulis pœnis supradictorum casuum graria, remissio, & indulgentia fieri non possit à quocunque potestatem habente, & facta, & impetrata non teneat, nec valeat, nec in aliquo prædictorum casuum pax prosit. Adijcientes, & declarantes, quòd pœnæ supradictæ, ac earum quælibet imposita intelligantur vltra omnes alias pœnas legales, vel statutarias, quæ prædictæ pœnæ locum habeant tam in faciente, quàm in mandante fieri transuersalem vindictam. Declarantes insuper, tunc offensam fuisse factam transuersalem, quotiescunque offensus, vel alius coniunctus consanguinitate, vel affinitate offenderit non ipsum offensorem, sed alium dicti offensoris coniunctum consanguinitate, vel affinitate, nec tali sic offendenti prosit nouam causam allegare, nisi illam manifestissimis, & legitimis probationibus veram in facto, & non in suspitione existentem probauerit. Item ꝙ pœna demolitionis domorum etiam vendicet sibi locum in filijsfamilias vindictam transuersalem committentibus, vt supra, pro concurrenti quantitate legitimæ assignandæ in domo paterna, ad effectum demolitionis fiendæ, & similiter communio non prosit.

De fideiussoribus dandis de non offendendo. *Rub. 61.*

VT tutos reddamus omnes, atque securos, statuimus, quòd si quis coram aliquo Rectore Ciuitatis proposuerit se aliquem habere suspectum, quòd ipsum velit offendere præcedẽtibus minis, inditijs, vel signis, ex quibus verisimiliter quis debeat dubitare; talis Rector ad petitionem, vel requisitionem talis suspicãtis teneatur, & debeat illum, de quo sic timetur, vel habetur suspitio, cogere de facto, & sine aliquo processu, prout ei videbitur, præstare eidẽ suspicanti, seu timenti fideiussores idoneos, seu fideiussorem idoneum; necnon & talem habitum sic suspectum ad cauendũ, & promittendum suo proprio nomine, & suorum consanguinitate, & affinitate coniunctorũ vsque in tertium gradum de iure Canonico computandum, de non offendendo talem suspicantem, nec suos cõsanguinitate, & affinitate coniunctos vsque in tertium gradum de iure Canonico computañ. sub pœna, quam dictus Rector decreuerit eius arbitrio à centum libris vsque ad mille. Quæ pœna, si contrafactum fuerit à tali cauente, seu eius fideiussoribus, de facto, & sine processu aliquo exigatur, conueniendo etiam fideiussores omisso principali. Habeant tamen regressum fideiussores prædicti in personam talis ptincipalis, & in eius bonis pro eorũ indemnitate; ad quorum petitionem, vel requisitionẽ, scilicet dictorum fideiussorũ talis principalis de facto, & sine aliquo processu, vel scriptura, realiter & personaliter cogatur eos seruare indemnes. Et habeat quilibet Rector liberum arbitrium mulctãdi, & puniendi, ac etiã personaliter cogendi, & carcerandi, necnõ ad confinia, & relegationem mittendi illũ, de quo sic timetur, vel haberetur suspitio, quousque cauerit, & satisdederit, vt præfertur, sine alicuius processus, vel scripturæ interuentu. Possit etiam dictus Rector cogere modo & forma prędictis, si ei videbitur, talem suspicantem, vel timentem, ad cauendum, & fideiubendum de non offendendo illum, quem sic sibi reputat esse suspectum. Hoc autem in præsenti statuto disponimus, ꝙ nullus possit postulare, vel petere tales fideinssores, vel fideiussorem, de quibus supra fit mentio, ab aliquo, quem prius offenderit, nec ab ipsius offensi cõsanguineis, vel affinibus quibuscunque, nec prędictos, vel eo-

rum aliquem possit sic reputare suspectos, vel etiam allegare. Addendo etiã statuimus, & ordinamus, ꝙ DD. Priores, & DD. Regulatores in prædictis fideiussionibus dandis, & cautionibus de non offendendo inter partes, inter quas rixæ, & inimicitiæ vertuntur, vsque in tertium gradum de iure Canoñ. computañ. habeāt plenam auctoritatem, potestatem, & arbitrium prouidendi, & ordinandi, vt supra, sub pœnis per præfatos DD. Priores, & Regulatores imponendis, & alia faciendi, & cogendi, confinandi, & relegandi, vt supra. Et etiam dicti DD. Priores, & Regulatores debeāt operari, & se interponere ad pacificandum partes prædictas, non tamen contra voluntatem ipsarum partium, nec ante solutionem pœnæ. Et pro obseruatione formæ præsentis statuti de mulctis imponendis, præcepta, quę à Potestate, vel Capitaneo, vel à dictis DD. Prioribus, & Regulatoribus fient partibus, vt compareāt, etiam in scriptis fieri queant, & affigi domibus nō inuenti alicuius partis, & tanti vigoris sint, quanti si personaliter exhiberentur, & non parentes condemnentur in pœna contenta in pręcepto: debeatq; quotidie fieri huiusmodi præceptum, donec obediatur. Si quis verò per duos testes idoneos cum iuramento extra districtum manere probetur, excusetur.

De pœna intrantis, & exeuntis Ciuitatem, vel Castra, aliter quàm per portas. *Rub. 62.*

SI qua persona intrauerit, vel exiuerit Ciuitatem Firmi, vel aliquod eius Castrum, aliunde, vel aliter quàm per publicam portam Communis, in lib. vigintiquinque deñ. vice qualibet puniatur.

De pœna frangentis, vel occupantis muros Ciuitatis, vel Castrorum. *Rub. 63.*

HOc statuto decernimus, ꝙ si qua persona fregerit, deuastauerit, aut ruperit modo aliquo aliquem murum Ciuitatis Firmi, vel alicuius Castri, aut aliquem talem murũ occupauerit auctoritate præsumpta, aut propè talem murum alium construxerit, atque vinxerit, seu ædificauerit, vel ipsum aliqualiter violauerit rumpendo, vel destruendo, vel similia faciendo, in lib. xxv. vice qualibet puniatur: & tale quid in statum pristinum suis sumptibus recōstruere compellatur. Item nulla persona audeat, vel præsumat per ripas Ciuitatis, vel alicuius Castri cum animalibus, vel sine, iter facere, aut prædictas ripas, seu quicquam ex eis fodere, capere, seu etiã occupare auctoritate præsumpta, pœna vigintiquinque lib. deñ. à quolibet contrafaciente, & vice qualibet exigenda de facto: & nihilominus in pristinũ restaurare compellatur. Et quilibet de prædictis legitimus accusator, ac denunciator existat, & dictæ pœnæ pecuniariæ dimidiam habeat.

De incendiarijs, & fractoribus molendinorum, & domorum, & similium. *Rub. 64.*

NE quis de ipsius malitia valeat gloriari, statuimus, quòd si quis in aliena domo in Ciuitate, vel districtu Firmi posita ignem dolosè imposuerit, siue immiserit causa ipsam comburendi, vel talem domum dolosè combusserit; siue talis domus intra Ciuitatem, Castrum, vel Villã sita sit, seu alibi, dum tamen in ea aliquis habitauerit, aut habitare consueuerit; si talis delinquens in fortiam Communis venerit, viuus ignibus concremetur, ita quòd moriatur: & damnum patienti emẽdetur in duplum. Si autem in fortiam Communis non venerit, eadem pęna condemnetur, & in damni emendatione in duplo, & perpetuò sit in banno in pœna prædicta. Eademq; pœna statuta intelligatur, & sit contra eum, qui dolosè in aliqua cassina ignem immiserit comburendi causa, seu combusserit: dum tamẽ in dicta cassina quis cum eius familia continuè habitauerit, seu steterit. Item si quis studiosè in aliqua meta grani, vel alterius bladi, aut in aliqua domo, vel cassina extra Ciuitatem, vel aliquod Castrum posita, quæ non habitaretur, neque habitari sit solita per aliquem cum sua familia, comburendi causa ignem immiserit, seu combusserit, vel aliquod molendinum, vel aliquam eius molam, seu macinam fregerit, vel ruperit, in libris centum deñ. & ad emendationem damni in duplum patienti puniatur, & condemnetur: quam condemnationem si intra decem dies à die condemnationis latæ non soluerit, manus dextera sibi amputetur, ita quòd à corpore diuidatur. Item si quis alienam domum, vel cassinam extra Ciuitatem Firmi positam, & per nullam personam quoquo modo habitatam fregerit, in libris vigintiquinque deñ. vice qualibet, & ad emendam damni in duplum condemnetur, & puniatur: & in omni denique incendij casu hic non expresso semper incendiarius teneatur ad emendam in duplum damnum passo: & ea pœna insuper, quę statuetur per Rectores Ciuitatis Firmi, vsque ad viginti libras deñ. si id incendium fuerit factum studiosè, & malitiosè.

Quòd Aduocati, Procuratores, & Notarij non recipiantur in fideiussores. Rubr. 65.

OFficiales, atque Rectores omnes, & singuli Ciuitatis Firmi penitus caueāt in fideiussores, seu pro fideiussoribus admittere, vel recipere Aduocatos, Procuratores, & Notarios bācharum ciuilium Firmi, qui sint collegiati, & matriculati. Si quis autem de prædictis Aduocatis, Procuratoribus, siue Notarijs bancharum contra dispositionem huiusmodi in ciuili, vel criminali causa, vel alia occasione quacunque in fideiussores, licet de facto receptus, seu admissus extiterit, statuti huius auctoritate nullatenus obligetur, seu teneatur: & sic recipiens, vel admittens in libris vigintiquinque den. pro quolibet, & vice qualibet puniatur: & non possit talis fideiussio, seu promissio iuramento vallari, sed immo ipsa, & quicquid ex inde sequitur, non teneat ipso iure: & huic statuto expresse, vel tacitè, directè, vel per obliquum renunciari non possit.

De pœna deferentium arma. Rub. 66.

SI quis in Ciuitate Firmi, vel eius burgis, vel in Portu Sancti Georgij arma portauerit contra permissionem statuti Ciuitatis huius; si per aliquem officialem, vel eorum familiam inuentus fuerit, hoc modo puniatur, videlicet pro cultello feritorio, vel daga, vel similibus, in lib. tribus den. pro spata, spōtono, stocco, falcione bergamaschio, lancea, roncone, vel similibus, pro quolibet, & qualibet vice in lib. quinque den. pro maza verò ferrata, roncha, bordono de ligno ferrato, vel nō ferrato, vel baculo malitioso, in sol. quadraginta pro quolibet, & qualibet vice condemnetur. Et quicquid in prædictis simile debeat reputari, seu haberi pro simili, vel haberi malitiosū, Rectoris, vel eius Vicarij arbitrio relinquatur. Pro alio verò cultello maiore vno palmo manica computata, in sol. xx. vice qualibet puniatur. Si quis autem prædicta arma, vel aliquod prædictorū inuentus fuerit portare de nocte post Solis occasum, & ante Solis ortum, puniatur in duplo. Si autem gorzeriam, corintum, braciarolam, vel alia arma defensibilia portare inuentus fuerit, in viginti sol. den. pro qualibet arma, & qualibet vice puniatur. Si quis autem in aliquo Castro Cōmunis Firmi aliquod ex armis defensorijs, vel offensorij s suprascriptis portare inuentus fuerit sine expressa licentia Potestatis, vel Capitanei Ciuitatis, in medietate dictarum pœnarū puniatur, singula singulis referendo. Item nullus forensis arma offensoria, vel defensoria per Ciuitatem Firmi, vel per Portum Sancti Georgij portare præsumat: & qui contrafecerit, pro quolibet dictorū armorum offensoriorum in lib. quinq; den. & pro quolibet defensoriorum in sol. viginti den. puniatur, & arma perdat, & Cōmuni applicentur, & illico post inuentionem Bancherio tradantur, nisi talis forensis excusationem, vel defensionem legitimam ostenderit de prædictis, quam æstimare legitimam, aut admittere, vel reijcere, Rectoris arbitrio relinquatur. Et quilibet hospitator forensium, item quilibet custos portarū Ciuitatis Firmi, & Portus Sancti Georgij, & aliorum Castrorum teneantur prædicere cuilibet forensi tunc cùm peruenerit in eius hospitio, vel ad portas prædictas, ne portet arma per Ciuitatem, Portum, vel aliud Castrū, vbi tale hospitium est, vel vbi custodiā facit: quod si non fecerit, damnum, in quo talis forensis incurrerit propter portationem talium armorum, de facto eidem resarcire, & restituere de proprio compellatur. Et Potestas, & Capitaneus Ciuitatis vinculo iuramēti ad minus semel qualibet die teneatur mittere suam familiam ad inquirendum, & rimandum contra portantes per Ciuitatem arma prædicta, vel aliquod prædictorum: & inuentos sic portare, ex sola relatione familiæ de facto, & sine processu aliquo puniat, & punire possit, & valeat, nullo alio requisito, seu discusso. Si quis autem (exceptis Prioribus, aut Vexillifero iustitiæ Ciuitatis prædictæ) de die, vel de nocte detulerit, seu portauerit aliquod ex armis antedictis in Concilio, Parlamento, vel Congregatione, vel in Palatio Cōmunis, vel populi residentiæ ipsorum DD. Priorum, vel D. Potestatis, seu Capitanei, siue de die, siue de nocte, in lib. decem vice qualibet puniatur de facto, & arma perdat. Et de prædictis quilibet habeatur legitimus accusator, & etiam relationi familiæ, vel officialis stetur. Et in omnibus, & singulis casibus huius statuti præsentis sit in electione officialis, eiusq; arbitrio aliquem sic inuentum ad Curiam ducere, seu fideiussoribus relaxare. Et quando familia alicuius officialis Ciuitatis, Portus, vel comitatus per Ciuitatem, Portum, vel Castra inquirendo, vel rimando vadit cōtra sic portantes, si quis de conspectu talis familiæ aufugerit, seu non permiserit se rimari, perinde ac si cultellus feritorius fuisset ei inuentus puniri valeat de facto: & de hoc relationi cum iuramento duorum famulorū talis Rectoris, seu officialis fides habeatur, & stetur. Item si quis secum ante, vel post, iuxtà, vel propè aliquem puerum, seu ragatiū duxerit arma ad ipsius instantiam deferētem, ille talis, ad cuius instantiā arma sic ferebantur, de facto

punia-

puniatur, ac si ipse deferret. Item nulla persona prætextu alicuius dignitatis, familiaritatis, vel priuilegij, nisi tantùm Prioratus, vel Vexilliferatus iustitiæ priuilegio aliqua portare arma præsumat. Si quis autem aliquo prætextu prædicto se à pœna defendere voluerit, in libr. vigintiquinque denariorum de facto puniatur: & hoc casu pater pro filio, frater pro fratre teneatur, & ab eo de facto talis quantitas exigi possit, & valeat, si ab indiuiso, & communiter viuant. Liceat autem vnicuique in eundo extra Ciuitatem, Portum, vel aliud Castellum, vel in redeundo de aliquo ex eis, vel veniendo ad Ciuitatem, Portum, vel Castrum, & inde recedendo recto tramite de domo, vel hospitio, seu ad domum, vel hospitium impunè arma portare. Et si quis inuentus fuerit in sic eundo, veniendo, vel recedendo recto tramite palàm portare galetium, sine malitia, aut somerium ducere, vel ligna, herbas, paleas, fœnum, olera, aut similia deferre; aut comestionem, vel potum laboratoribus portare, licet secum arma habuerit; si tamen sine malitia hoc fecerit, super quo Rectoris conscientiam oneramus, non teneatur ad aliquam pœnam. Item possit quilibet cum expressa licentia Potestatis, vel Capitanei; de qua constet per scripturam, seu apodissam Rectoris prædicti, arma defensoria portare, præstito fideiussore idoneo, vno, vel pluribus, de non offendendo cum eis. Si autem cum eis, vel eorum aliquo aliquẽ offenderit cum sanguine in facie, vel capite, in quinquaginta lib. den. vltra alias pœnas statutorum, vice qualibet puniatur: ad quam quantitatem soluendam fideiussores, etiam principali non excusso, realiter, & personaliter compellantur. Potestas autem, vel Capitaneus portandi arma offensoria cum fideiussoribus, vel sine, nulli concedat licentiam, vel concedere valeat, suis officialibus, vel familiaribus duntaxat exceptis. Et in casibus huius statuti neque pacis, neque confessionis beneficium vendicet sibi locum. Item si quis in Girone Firmi aliquod genus armorum offensibilium portauerit, in lib. vigintiquinque pro quolibet armorum genere puniatur, & vice qualibet. Et quilibet possit accusare, & denunciare portantes arma præfata in loco prædicto, & habeat medietatem pœnæ.

De pœna euntium post tertium sonum campanæ. *Rubr.* 67.

VNiuersis interdicimus per Ciuitatẽ, Portũ, vel Castrũ aliquod Ciuitatis sine sufficiẽti lumine, vel stipite ignito, seu thezone ambulare post tertiũ sonũ campanæ, quæ pulsatur de sero pro custodia Ciuitatis, & ante pulsationẽ campanæ, quæ pulsatur de mane pro die. Si quis autem cõtra hoc fecerit, & inuẽtus fuerit per officialẽ, vel familiã Potestatis, exceptis illis, qui inuẽti sunt per tres domos propè domũ suã, in sol. x. den. de facto vice qualibet puniatur. Scholares autẽ ad scholas euntes, aut molendinarij cũ somerio ad molendinũ euntes, vel redeũtes ex inde, aut fornarij, vel fornariç, vel trotariç, aut oliuas ad macinandũ portantes pro exercitio artis suç euntes statuto huiusmodi minimè teneantur. Item præsenti statuto adijcimus, q̃ vnũ lumen pluribus euntibus per Ciuitatẽ, Portũ, vel Castrum ad euitationem pœnç sufficiat. Et huic statuto nec pax, nec cõfessio aliquid operetur.

De pœna ludentium ad taxillos, vel aliũ ludum prohibitum. *Rubr.* 68.

ITem statuimus, quòd si quis ad aliquem ludum taxillorum, vel ad virgitas, vel cartas lusorias in Ciuitate, vel districtu Firmi luserit secretè, vel de nocte, in lib. decem den. si verò publicè, & de die, in lib. quinque puniatur vice qualibet, si ludatur de pecunia tacitè, & expressè: intelligatur autem publicè, si locus, in quo sic luditur, clausus tunc temporis nõ existat, & habitator domus, in qua sic lusum fuerit, condemnetur, & puniatur in lib. quinquaginta den. Item tenens candelas, seu lumen ludentibus, aut ipsis pecuniam mutuans, aut taxillos, vel tabulerium gratis, vel aliter cõcedens, eadem pœna, qua ludens, puniatur. Item ille, qui sic ludenti mutuauerit, mutuum perdat, & pignora, si qua propterea acceperit, de facto restituere teneatur: & instrumenta, vel obligationes, seu cautelæ occasione tali factæ, vel initæ, auctoritate statuti huius nullius valoris existant, & sic delinquẽtes de facto, & sine processu aliquo puniri possint, & valeant in pęnis superius annotatis. Et de prædictis stetur relationi familiæ cuiuslibet Rectoris, & habeat Rector, cuius familia tales delinquentes inuenerit, quartam partem dictarum pœnarum. Et possit quilibet tales ludentes denunciare, & talis denuncians habeat, & habere debeat quartam partem eius, quod deuenerit in Cõmuni occasione talis denunciæ, & teneatur secretus, cui credatur cum vno teste: & Bancherius Communis teneatur dare dictam quartam partem tali denunciatori absque alia apodissa DD. Priorum, vel Regulatorum, sed tantummodo credatur simplici verbo, & dicto Potestatis dicentis eidem Bancherio, quòd dictus talis denuncians denunciauit dictũ ludentem, vel dictos ludentes. Liceat autem cuilibet ad aleas palàm ludere, & in exercitu, vel caualcata ad aleas, & taxillos, siue ad azardum ludere sine pœna quomodocun-

que,& qualitercunque. Item liceat vnicuique in tabernis,& hospitijs ludere impune scottum,dummodo tabernarij, & hospitatores prædicti non retineant domum, tabernam, vel hospitium clausum cum stanga, siue pessulis, vel quomodocunque: nulli verò liceat ludere ad pilam, vel ludum alium quemcunque ad & propè Ecclesias, ne diuina officia ludis impediantur, sub pœna decem sol. pro quolibet contrafaciente,& vice qualibet.

De pœna negantis filiationem,notarium,vel similia. Rubr. 69.

CVnctos veritatem sine calumnia asserere cupientes,statuimus,quòd si quis in ciuili,vel criminali causa negauerit per quodcunque verbum, quod negationem importet, aliquem esse, vel fuisse notarium,vel mortuum,vel patrem,vel filium,virum,vel vxorem,patruum,vel auunculum,vel alium affinitate,vel consanguinitate coniunctum vsque in tertium gradum de iure Canonico computandum: si talem negationem eadem die,vel sequenti,qua sic negauerit,non reuocauerit,& negatum confessus fuerit; si tale quid negatum deinde probatum fuerit per quatuor testes de publica voce, & fama super inde testimonium perhibentes, quam probationem in prædictis validam esse decernimus; talis sic negans,seu qui sic negauerit,in lib. x. de facto,& sine processu aliquo puniatur.

De pœna petentis debitum iam solutum,vel plus debito. Rubr. 70.

ILlorum fraudibus,qui debitum iam solutum,vel aliter satisfactum petierint in iudicio, etiam sine litis contestatione,obuiare volentes,statuimus,vt si quis tale debitum sic petierit,vt præfertur,in lib. viginti quinque de facto, & sine processu aliquo puniatur: cuius pœnæ medietas sit Communis,alia illius,contra quem sic petitur, siue ipse querelam, siue accusationem super inde exposuerit, siue non. Et eadem pœna similiter puniatur petens plus debito, & cadat nihilominus à toto. In petente autem ante tempus, debitori duplicentur induciæ. Prędicta autem in hæredibus, aut successoribus vniuersalibus, vel singularibus debitum iam solutum petentibus iure prædicto locum non habeant,nisi scienter sic petierint,vel post protestationem,vel certiorationem de tali solutione,vel satisfactione emissa petierint,vt supra fertur.

De pœna inuadentiũ,vel occupantium rẽ immobilẽ,vel turbantiũ aliquẽ in possessione sua. Rub. 71.

NOstræ intentionis existit, in omnibus modis alienam proteruiam coercerę. Vnde statuimus,quòd si quis auctoritate propria cum collecta, seu societate duorum, vel plurium alienam possessionem,vel rem immobilem violenter per se,vel alium,seu alios eius nomine occupauerit,vel inuaserit, aut tale quid fieri fecerit nomine antedicto; siue tale quid factum fuerit expellendo de tali re,vel non permittendo possessorem eiusdem rei, vel alium eiusdem nomine reingredi, seu recuperare rem, vel possessionem præmissam; principalis faciens, vel fieri faciens in ducentis lib. deñ. quilibet verò associans facientem in lib. centum vice qualibet puniatur. Si autem sine collecta tale quid factum, vel commissum fuerit, puniatur sic committens, aut committi faciens, in lib. centum deñ. & in quolibet casuũ prædictorum omne eius,quod in tali possessione, vel re, vel ad eam haberet, ipso facto non expectata iudiciali sententia amittat,& sit inde priuatus. Si quis autem alicuius rei immobilis aliquẽ in possessione cum collecta, de qua supra dicitur,turbauerit,seu molestauerit modo aliquo alio quàm prædictis,per se, vel alium eius nomine,principalis in lib. centum deñ. quilibet autem ad prædicta associans in lib. quinquaginta deñ. puniatur. Si verò collecta non interuenerit,principalis sic faciens,vel fieri faciens,in lib. quinquaginta puniatur. Laboratores autem, vel mercennarij, qui nullo turbandi, vel molestandi animo in alterius possessionem accesserint, ad pœnam aliquam minimè teneantur. Item quilibet Rector Ciuitatis teneatur,& debeat toto suo posse manutenere, conseruare, atque tueri in eorũ possessionibus districtuales,& Ciues Ciuitatis,& habitatores in eis,& super inde eis auxilium, fauoremq; præstare contra quoscunque, cuiuscunque dignitatis, priuilegij, vel iurisdictionis existant, turbantes, vel molestantes ipsos, aut eorum possessiones, vel res occupantes, vel inuadentes, vt præfertur, aut quicquam de prædictis volentes facere, vel attentare contra violentiam quorumcunque: & nihilominus talis Rector habita fide summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, quòd quis spoliatus fuerit de eius possessione, vel re, vel eius res, aut possessio prædicta sic occupata fuerit, vel inuasa, & quòd sic spoliatus spoliationis tempore possidebat; ipsum in eiusdem rei possessionem de facto reintegret, atque tueatur. Item si quis de syluis, pratis, pascuis, vel alijs quibuscunque possessionibus, & rebus Communis auctoritate præsumpta occupauerit quo

quo modo, in lib. x. deñ. puniatur, & occupatum in pristinum restituat vna cum damno, & interesse Communis. Et si in aliquo ex casibus antedictis interuenerit accusator, victus victori in expensis legitimis condemnetur. Adijcientes prædictis, ac etiam declarantes, quòd etiam dicantur inuadere, turbare, & occupare omnes illi, qui intrauerint possessionem alterius possessore non citato, non obstante quòd alicuius iudicis auctoritate intrauerint, & dictam possessionem quomodocunque coluerint, vel ex ea aliquem fructum collegerint, vel perceperint.

De pœna fodientis, vel mouentis terminos. *Rub.* 72.

ILlud præsenti statuto decernimus, quòd si quis auctoritate propria aliquem terminum vicinalem inscio, vel inuito vicino, vel domino, vno, vel pluribus, effoderit, vel mouerit, in lib. vigintiquinque deñ. vice qualibet, & pro quolibet termino sic effoso, vel moto condemnetur. Sin autem inter aliquos de termino, vel confinibus, vel tali occasione lis orta fuerit, talis lis summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij intra decem dies post querimoniam super inde factam debeat terminari per Potestatem, vel eius iudicem, vel per iudicem damnorum datorum, prout eis melius visum fuerit conuenire, ferijs quibuscunque solennibus, vel in honorem Dei inductis, seu alijs non obstantibus quoquo modo.

De pœna inuadentis tenutam datam per Curiam. *Rub.* 73.

AD hoc, vt Rectorum, vel iudicum decreta ludibrio non existant, statuimus, quòd si quis tenutam rei suæ, vel ad se spectantis alteri datam per Rectorem, vel officialem aliquem Communis Firmi habentem ad hoc potestatem intrauerit, in sol. quadraginta pro solo introitu, si sciuerit, vel ei notificatum fuerit talem tenutam datam esse, de facto puniatur. Possit autem ille, cuius talis res fuerit, ire ad Curiam intra octo dies post talem dationem tenutæ, & petere, atque facere ipsam ad debitam quantitatem, & tertium plus per iudicem refrenari: quod si non fecerit, & ipsam sic intrauerit, pœna prædicta puniatur, nisi tempore excusationis suæ ab accusatione super inde facta talem tenutam cum effectu restituerit, facto scilicet, & non verbis: quo casu iudex eidem mandet pœna decem lib. quòd talem tenutam dimittat, siue disgombret, eaque per se, vel alium non vtatur: possit tamen talis tenuta vsque ad in solutum dationem refrenari. Accusatio autem super inde porrecta semper possit aboleri, secundum modum, & formam traditam supra in statuto de abolitione concedenda.

De offendentibus exbannitos. *Rubr.* 74.

IN odium, & pœnam exbannitorum statuimus, quòd si quis exbannitum, & condemnatum ad mortem principaliter, vel sub conditione aliqua offenderit, etiam si occiderit, ad pœnam aliquam minimè teneatur. Offendens verò exbannitum, & condemnatum in persona principaliter, vel sub conditione, citra mortem tamen, non aliter ex offensione teneatur, nisi mors talis exbanniti interuenerit: qua morte interueniente, offendens talem exbannitum in quingentis lib. deñ. puniatur. Offendens autem exbannitum, & condemnatum merè, & simpliciter in pecunia tantùm, videlicet in quinquaginta libr. deñ. vel ab inde supra, non teneatur ad pœnam, nisi ex offensione cicatrix in facie perpetuò remansura, aut incisio totalis, vel fractura alicuius ossis, seu debilitatio perpetua alicuius nerui, membri, vel officij membri facta, secuta, vel secutura fuerit: quibus casibus, vel eorum aliquo interuenientibus, seu interueniente, talis offendens in lib. centum puniatur. Si autem mors talis exbanniti interuenerit, talis offendens in mille lib. puniatur: quas si non soluerit intra mensem à die latæ sententiæ, caput ei à spatulis amputetur, ita quòd moriatur omnino. Offendens autem exbannitum, & condemnatum à quinquaginta lib. citra, & non vltra, siquidem sine sanguine, in libr. decem, si verò sanguis exiuerit ex offensione talis exbanniti, & condemnati, in vigintiquinque lib. deñ. puniatur. Si autem ex offensione tali mors sequeretur, aut incisio, vel fractura totalis alicuius ossis, vel debilitatio perpetua alicuius nerui, vel membri, vel officij membri, seu cicatrix in facie perpetuò remansura facta, secuta, vel secutura fuerit in persona talis exbanniti, & condemnati; tunc talis offendens perinde puniatur, & condemnetur, ac si talis offensus non fuisset, seu non fo- [illegible] ret exbannitus, ac etiam condemnatus.

De exbannitis pro offensionibus factis contra iuratos populi. *Rub. 75.*

VOlumus,& statuimus, quòd si quis occasione alicuius offensionis, vel percussionis factæ contra aliquem de collegio populi, vel contra aliquem, qui ratione, & causa collegij in officio fuerit, vel contra aliquem collegiatum, vel non collegiatum occasione arrengarionis factæ per eum in Concilio populi generali, vel speciali, aut in Credentia, vel Cernita aliqua hominum de mandato DD. Priorum, & Vexilliferi conuocata, vel contra statutarium aliquem Communis condemnatus extiterit,& contumax fuerit, de cætero ad Ciuitatem Firmi, vel eius districtum redire non valeat, licet aliquem exbannitum, vel condemnatum Communis Firmi cepisset, seu etiam in Communis, vel alicuius Rectoris fortiam præsentasset; sed immo de dicta Ciuitate, & eius districtu perpetuò sit exbannitus.

De capiendis forensibus offendentibus Ciues. *Rubr. 76.*

NE forenses præsumant Ciues, aut districtuales Firmanos offendere, statuimus, quòd si quis forensis aliquem Ciuem, vel districtualem Firmanum cum armis offenderit astantes in loco talis offensionis, seu vnde talis forensis aufugerit, si negligentes fuerint in faciendo rumorem, & prosequendo talem forensem, in lib. vigintiquinque puniantur: & possit talis forensis offensor in continenti à Ciuibus,& alijs quibuscunque offendi. Sinautem homicidium commiserit talis forensis contra aliquem de prædictis, quandocunque, etiam ex interuallo, offendi impunè valeat,& occidi. Si quis autem Firmanus, aut habitator Ciuitatis, vel districtus aliquem talem forensem receptauerit, aut ipsi offensori auxilium, consilium, vel fauorem præstiterit; ea pœna, qua forensis, similiter puniatur, & talis forensis de Ciuitate Firmi perpetuò sit bannitus, nec occasione capturæ, aut etiam præsentationis alterius exbanniti ad eandem Ciuitatem, eiusq. districtum venire valeat quoquo modo.

De ijs, qui se subtraxerint, seu excusauerint ratione alicuius priuilegij. *Rubr. 77.*

COnstituimus, & ordinamus, quòd si quis ratione priuilegij clericalis, aut alicuius dignitatis, vel alia ratione iurisdictionem Potestatis, suæq. Curiæ, vel Capitanei declinauerit, vel recusauerit per se, vel alium, aut de ea fuerit quoquo modo subtractus, quominus de maleficio per ipsum commisso per Rectorem aliquem de prædictis puniaruri; si postea quandocunque clericalem habitum deposuerit, vel dimiserit, aut vxorem acceperit, de delicto iam commisso per accusationem, denunciationem, vel inquisitionem secundum formam statutorum Firmi puniatur, & condemnetur, non obstante statuto disponente, quòd de commissis ante certum tempus Potestas, vel Capitaneus cognoscere non valeat, vel punire. Et hoc statutum Potestas, vel Capitaneus sub pœna centum lib. den. debeat obseruare. Et non possit dictus Potestas, Capitaneus, vel Iudex iustitiæ, vel eorum cuiusli bet ipsorũ officialis super aliquo processu ciuili, vel criminali pronunciare se iudicem incompetentẽ, nisi fuerint oppositæ in scriptis exceptiones declinatoriæ, & probatæ, pœna quingentarum lib. den. qualibet vice, qua contrafecerit, ei tempore scindicatus auferenda,& Communi Firmi applicanda.

De malefactoribus, qui post maleficium commissum religionem intrauerint. *Rubr. 78.*

TEmeritatem alienam impunitam remanere nolentes, statuimus, quòd si quis aliquod delictũ commiserit, deinde religionem intrauerit, & demum apostatauerit; nisi in sacris fuerit ordinatus, possit, & debeat per accusationem, denunciationem, vel inquisitionem de tali delicto puniri,& condemnari, non obstante absolutione de eo iam facta, quia religionem intrauerit, ac etiam statuto, quod de commissis ante certum tempus cognosci prohibet, non obstante.

De receptatoribus exbannitorum. *Rubr. 79.*

OMnes cuiuscunque sexus scienter receptantes aliquem exbannitum, & condemnatum Communis Firmi, etiam si talis receptatus fuerit in quocunque gradu consanguinitatis, vel affinitatis receptatoribus coniunctus, infrascripto modo puniatur, videlicet. Si quis exbannitũ,& condemnatum occasione proditionis, vel rebellionis contra Commune Firmi commissæ, seu de crimine læsæ maiestatis dicti Communis,& præsentis popularis status receptauerit, caput ei à spatulis amputetur, ita q moriatur, eiusq. bona omnia publicentur,& rebellis Communis Firmi perpetuò habeatur. Si quis verò alia causa exbannitum,& condemnatum ad mortem principaliter, vel sub conditio-

ne scien-

ne scienter receptauerit,in lib. quingentis deñ.puniatur. Si quis verò exbannitum, & condemnatum personaliter,seu in persona principaliter,vel sub conditione,citra mortem tamen,receptauerit,in centum lib.deñ.puniatur. Quisquis verò scienter receptauerit exbannitum,& condemnatum in pecunia tantum,in duplo eius, in quo talis receptatus erat condemnatus, receptans debeat condemnari, dum tamen centum lib.deñ.dicta condemnatio fienda de dicto receptante non excedat. Comitatiuus verò Firmi nobilis receptans scienter exbannitum,& etiam condemnatum ad mortẽ principaliter, vel sub conditione,pœna capitis puniatur,ita ꝙ moriatur. Si verò talis nobilis comitatiuus aliquem exbannitum,& condemnatum personaliter principaliter, vel sub conditione citra mortem,vel etiam pecunialiter tantùm,receptauerit scienter,in mille lib.deñ.puniatur. Et in quolibet casuum prædictorum talis comitatiuus nobilis sic receptans omnibus, & singulis iuribus, & priuilegijs, immunitatibus, & exemptionibus quibuscunque, quæ obtineret à Commune Firmi, ipso facto perpetuò sit priuatus. Quælibet autem Communitas,seu Vniuersitas districtus Firmi,quę scienter passa fuerit aliquem exbannitum,& cõdemnatum occasione rebellionis,seu proditionis, seu de crimine læsæ maiestatis Cõmunis Firmi,& præsentis popularis status stare,& moram trahere in eorum Castro,vel ipsum scienter receptauerit,in lib.mille deñ.puniatur. Si verò Cõmunitas,seu Vniuersitas receptauerit scienter exbannitum,ac etiam condemnatum ad mortem principaliter,vel sub conditione ex alia causa,ꝗ suprascripta,aut ipsum passa scienter fuerit habitare,vel moram trahere in eius Castro,vel Villa,in lib.ducentis deñ.condemnetur. Si verò exbannitum,& condemnatum personaliter citra mortem principaliter,vel sub conditione,siue etiã pecunialiter,scienter tamen receptauerit,aut habirare,stare, vel moram trahere passa fuerit,vt supra scribitur,in lib.quinquaginta deñ.cõdemnetur. Item quęlibet Cõmunitas,vel Vniuersitas districtus Firmi teneatur,& debeat operã dare ad capiendum,& capi faciendum toto posse omnes,& singulos exbannitos, & cõdemnatos Communis Firmi in eorum territorijs morantes,seu venientes,& etiam omnes, & singulos in eorum territorio delinquentes. Sin autem in prædictis fuerint negligentes, in libris quinquaginta vice qualibet puniantur. Hoc autem generaliter statuimus,& statuto præsenti adijcimus,ꝙ exbannitus,& condemnatus,vt superius adnotatur,intelligatur esse receptatus scienter à singulari persona,vel Cõmunitate,aut Vniuersitate suprascripta, & patientia mansionis,vel moræ talis exbanniti scienter pręstita intelligatur,ex quo alicui Communitati,seu Vniuersitati Castri,vel Villæ nomen exbanniti,& cõdemnati notificatum fuerit per litteras Rectoris Ciuitatis,aut si nomen exbanniti,& condemnati prædicti publicè,& palàm scriptum,& positum fuerit in tabula pendenti in logia S.Martini, vel alio loco ad hoc deputato; aut si nomen exbanniti,& condemnati in Concilio Communis Firmi fuerit publicè lectum: quorum aliquo interueniẽte,ignorantia in prædictis non valeat allegari,sed scientia vera in prædictis præsumatur,& reputetur. Receptatio autem intelligatur, si in territorio Ciuitatis, comitatus, vel districtus Firmi fuerit ab aliquo taliter exbannitus,& condemnatus receptus in domo, vel alibi, vel fuerit associatus, sit datus cibus,vel potus,vel habitum cum eo aliquod commercium.

De pœna præstantium patrocinium,auxilium,consilium,& fauorem alicui exbannito, vel condemnato. Rub. 80.

SI quis alicui exbannito,& condemnato Communis Firmi occasione alicuius rebellionis, seu proditionis, seu criminis læsæ maiestatis Communis eiusdem, & præsentis popularis status scienter patrocinium in procurando, vel aduocando præstiterit principaliter quidem, pœna centum lib.deñ.vice qualibet puniatur,& ex nunc auctoritate præsentis statuti tali exbannito,& cõdemnato in causa ciuili,vel criminali in agendo,vel etiã defendendo principaliter,seu per consequentiam nullatenus ius reddatur per aliquem Rectorem,vel officialem Cõmunis Firmi, pœna centũ flor. auri cuilibet Rectori, vel officiali contrafacienti vice qualibet imminente. Condemnatis verò,& exbannitis ex alijs,quàm suprascriptis criminalibus in ciuili,vel criminali causa nullatenus ius reddatur in agendo duntaxat,pœna xxv.lib.deñ.Rectori,vel officiali contrafacienti,vice qualibet imponenda. Si quis autem auxilium,consilium,vel fauorem præstiterit alicui exbannito, & cõdemnato occasione rebellionis,proditionis,læsæ maiestatis Cõmunis,vel status prædicti, siue ipsum associando,siue pecunias,vel res sub vsuris mutuando eidẽ, siue comestibilia, aut alia ad victum necessaria præstando, seu præbendo eidẽ,aut ei aliter,ꝗ receptando,quoquo modo faciendo,in lib.tercentis deñ.puniatur. Exbannitis verò,& condemnatis de delictis alijs,ꝗ prædictis,præstans auxilium,cõsilium,vel fauorem,in lib.xxv.deñ.puniatur. De his autem,quæ in pręsenti statuto continentur,Rector quilibet libero arbi-

trio inquirere valeat,& in pœnis punire prædictis. Per prouisionem autem statuti præsentis superiori de receptatoribus exbannitorum disponenti nullum præiudicium, nullauè derogatio generetur, sed ipsum in suo robore immotum,firmumq́ue permaneat.

De beneficio exbanniti repræsentantis alium exbannitum. *Rub. 81.*

HAc generali lege decernimus,q̃ si quis aliquẽ exbannitum,& condemnatũ in eius cõtumaciã de Ciuitate,& districtu Firmi in aliqua quantitate pecuniæ merè,& simpliciter ceperit,& cũ effectu repræsentauerit per se,vel alium in fortiã Communis Firmi,vel alicuius Rectoris Ciuitatis; siquidem talis capiens,& exbannitus,condemnatusq́; Cõmunis non fuerit,talis capiens,& repræsentans per se,vel alium,de pecunia,& hauere Cõis v.sol.pro qualibet libra condemnationis talis capti,& repræsentati percipere,& petere valeat,& habere. Sinautẽ exbannitus condemnatus principaliter,vel conditionaliter in personam,vel ad mortẽ captus,& repræsentatus fuerit,vt præfertur,per alium non exbannitum, neq; condemnatum,lib.centum deñ.de bonis talis præsentati,si reperiũtur, aliàs de bonis Cõis percipere,atq; petere valeat,& habere. Si quis autẽ ceperit,& repręsentauerit,vt præfertur,aliquem exbannitũ,& cõdemnatum occasione rebellionis,proditionis, aut læsæ maiestatis, vel status popularis præsentis huius Cõis, licet ipse exbannitus fuerit, & cõdemnatus occasione quacunque,ipse intelligatur,& sit ab ipso banno,& cõdemnatione absolutus,excẽptus,& liber,& in pristinũ auctoritate huius statuti restitutus,& ipsius bãnum,& cõdemnatio pro cancellatis,& cassis,& nullius efficaiæ habeantur,& sint. Sinautẽ exbannitũ,& cõdemnatũ ex delictis alijs,q̃ prædictis,quisquã ceperit,& repræsentauerit,vt supra,& capiens,& sic repræsentans bannitus,& cõdemnatus esset in pari,vel minori pœna,q̃ talis repræsentatus sit,ipse repræsentans ab ipsius cõdemnatione,& bãno liberè exemptus,& absolutus sit,ac restitutus,vt supra,& habeatur,& sit,ac si bannitus, & cõdemnatus non esset. Quæ autẽ in prædictis par,vel minor pœna intelligi,ac reputari debeat, & haberi, Rectoris arbitrio relinquatur. Et quilibet Rector,& Iudex Ciuitatis ad instantiam,& petitionẽ capientis,& repræsentantis,vt supra,teneatur,& debeat cõdemnationẽ,& bannum talis repræsentãtis secundũ modum suprascriptum cassare,irritare,& annullare,& cassam,& irritam,atq; nullatã pronunciare, decernere, & declarare,& super inde instrumentũ,& litteras fieri facere opportunas.Hoc autem generaliter pręsenti staturo adijcimus in quolibet eius casu,quòd vnus tantũ capiens, & repræsentans principaliter, fructu,& beneficio huius statuti gaudeat, & fruatur. Et quis principalis intelligi debeat in prædictis, Rectoris arbitrio relinquatur. Per dispositionem autem rubricæ,vel statuti huius alicui alteri statuto specialiter disponenti in contrarium præiudicare,vel derogare nolumus vllo modo.

De Aduocatis, & Procuratoribus paciscentibus de quota. *Rub. 82.*

OMnes,& singuli Aduocati,& Procuratores paciscentes de quota litis causæ,vel rei,super qua agitur,in lib.xxv.de facto vice qualibet puniatur,& ĩ tali lite,vel causa de cętero nõ audiatur vlterius,& sint infames ipso facto, & de cætero officiũ procurationis,vel aduocationis exercere nõ debeãt,& eis per Iudicẽ interdicatur exercere;& si exercerẽt,nõ valeat,qđ fecerint ipso iure.

De pœna accusantium, & non probantium. *Rub. 83.*

RAtioni conuenit,vt pœnam sentiat qui nõ probauerit accusationem. Statuimus itaque,quòd si quis aliquem de confectione,seu fabricatione falsi instrumenti accusauerit,& non probauerit,in lib.centũ deñ.puniatur. Si verò accusauerit de productione,seu vsu falsi instrumẽti, vel testimonij,aut de perhibitione falsi testimonij,& nõ probauerit,in lib.quinquaginta vice qualibet puniatur. Si quis autẽ de homicidio quemquã accusauerit,& nõ probauerit,in lib.ducẽtis puniatur. Si verò aliquẽ de robbaria,vel crimine priuati carceris quis accusauerit,vel alio delicto,de quo imponi posset,seu imponenda veniret ex forma statutorũ nostrorum pœna in totũ,vel in partẽ corporalis, aut corporis afflictiua principaliter quidẽ,non autẽ cõditionaliter,& non probauerit, in lib.centũ vice qualibet puniatur. Si verò quemquã accusauerit de delicto,cuius pœna esset merè pecuniaria,vel etiam haberet annexam corporalem,aut corporis afflictiuã in modum cõditionis,& non probauerit, puniatur in xij.deñ.pro qualibet libra illius pecuniæ,quã Rector posset,aut potuisset imponere accusato,si delictũ verum,& probatum fuisset: dum tamen talis pœna non probantis centum lib.vllatenus non excedat. Et prædicta,& quodlibet prędictorum in accusatore,qui non fuerit calumniator euidẽs, intelligantur statuta. Sinautem fuerit euidens calumniator, ad pœnam talionis omnimodo teneatur.

Et non intelligatur euidens calumniator ex eo solû,quòd non probauerit. Sufficiat autem accusatori ad sui excusationem,& pœnarũ prædictarum euitationem,si suam accusationẽ probauerit semiplenè. Et in omnibus,& singulis casibus suprascriptis possit accusator non probans,vt prædicitur, in ipsa instantia accusationis prædictæ,& etiã postea in cõtinenti,vel etiã ex interuallo, ex officio Rectoris, vel Iudicis,vel etiam ad petitionem partis accusatæ,in pœnis prædictis puniri, & condemnari. Et semper accusator sic non probans in expensis legitimis accusato condemnetur. In accusationibus autem in damnis datis,aut inuasionibus, turbationibus, seu occupationibus tenutarum, prædictæ pœnæ, vel aliarum aliqua non vendicent sibi locum, sed tantùm victus victori in expensis legitimis condemnetur. Scindici verò Castrorum, & Villarum districtus Firmi denunciantes maleficia ex eorum officio, licet denunciationem non probauerint,ad pœnam aliquam non teneantur,nisi fuerint in euidenti calumnia: quo casu puniantur,vt supra in accusatore calumniante statutum est.

De pœna præstantium auxilium, consilium, & fauorem alicui maleficio, vel committenti aliquod maleficium. *Rub. 84.*

Reprimendorum delictorum,atq; delinquentiũ causa, statuimus,quòd nullus audeat,vel præsumat dicto,vel opere,seu quomodolibet præstare,seu præbere alicui maleficio,seu cõmittẽti aliquod maleficium,vel delictum,auxilium,consilium, vel fauorem. Si quis autẽ secus,vel contra fecerit,aut venerit; siquidem pœna secundum formam nostrorum statutorum merè,& simpliciter pecuniaria sit statuta,talis sic contrafaciens,vel veniens,in medietate pœnæ, qua principalis cõdemnatur,vel punitur,condẽmnari debeat,& puniri. Si verò delictum tale fuerit, cuius pœna principaliter,vel sub conditione fuerit statuta personalis in totum,vel in partẽ, seu corporis afflictiua principaliter,vel conditionaliter contra delinquentem principalem, tunc ille,qui sic auxilium,consilium, vel fauorem præstiterit maleficio,aut ipsum committẽti,realiter,vel etiam personaliter,citra mortem tamen,Rectoris arbitrio puniatur; non tamen in plus,quàm ille,cui præstiterit tale quid auxilij, consilij,vel fauoris: statutis huius voluminis,quæ pro tali auxilio, consilio, vel fauore specialem pœnam imponunt,in suo robore permansuris; quibus per hoc nullatenus derogetur.

De prouocantibus ad duellum, siue bellum. *Rub. 85.*

Bonum,& pacem obseruari,& haberi inter singulos affectantes,ordinamus,quòd si quis in Ciuitate,vel districtu Firmi,quemquam ad bellum prouocauerit,seu inuitauerit,aut per se,vel alium requisiuerit ad duellum,in scutis quinquaginta puniatur. Et habeat Rector liberũ arbitrium cogendi realiter,& personaliter talem prouocantem, inuitantem, aut requirentem, ac etiam prouocatum,inuitatum,seu requisitum,ad pacem,& cõcordiam faciendam; & si recusauerit,recusantem mulctare,& relegare,seu ad confinia destinare libero arbitrio possit, & valeat.

De executione sententiarum criminalium. *Rub. 86.*

IVs,& iustitiam parum fore existimantes,nisi executio fiat ipsius: idcirco statuimus,& ordinamus,quòd quilibet Rector,seu officialis Communis Firmi omnes,& singulas criminales sententias,& condemnationes per se latas, quæ recoltatæ fuerint, seu fideiussores habuerint in processu,exequi, & executioni mandare teneatur contra principales, seu fideiussores, vel principalẽ, vel etiam vtrunque simul,pro libito voluntatis,à die latæ sententiæ intra mensem,pœna ducentarum lib. den. pro qualibet sententia, quę non fuerit executioni mandata: & nihilominus quantitas in ea contenta in eius salario computetur.Sententias verò latas contra contumaces executioni mandet per res, & bona eorum, quantum potuerit diligenter, hoc modo: videlicet, quòd dicti officiales, seu Rectores tales sententias proferentes faciant, & fieri faciant inquisitionem, & inuestigationem de omnibus, & singulis bonis mobilibus, & immobilibus, ac nominibus debitorum, & creditis talium exbannitorum, seu condemnatorum in contumaciam, & de hoc appareat in actis eorum Curiæ: & si qua bona, vel res, seu credita, vel nomina debitorum reperierint, ea in scriptis assignent, & assignari faciant Scindico Communis Firmi ad negotia deputato,& etiam Notario Registri Communis, vt de eis fieri possit apprehensio, & incorporatio pro Commune: & interim talia bona descripta sequestrentur, & deponi faciant penès idoneas personas. Qui Scindicus talia bona pro Communi apprehendere teneatur, & ipsa deinde accipere, & retinere, vel vendere pro Communi. Quòd si in prędictis fuerit negligentia commissa, Rector, eiusq; miles socius, qui neglexerit tales condemnationes

exequi, in suo salario computare teneatur. Scindicus autem in prædictis negligens Rectoris arbitrio vsq; ad x.lib.deñ. & non vltra,mulctari valeat,& puniri. In sentẽtijs autem,siue recoltatis,siue non, latis vltimo mense regiminis Rectoris, prædictæ pœnæ non habeant locum in milite, vel Rectore,sed successor,eiusq; miles socius,nisi intra mẽsem à die inchoati sui officij ipsas,vt prædicitur,fuerit executus,in prædictas pœnas incidat,& quantitates contentę in sententijs recoltatis prædictis executioni non traditis in eius salario debeant computari,& effectualiter computentur.

Quòd vnum genus aliud,& singularis numerus pluralem,& è conuerso concipiat. *Rub. 87.*

TOllendæ dubitationis,altercationisq; causa, præsenti lege decernimus, ꝙ masculinum genus fœmininum,& neutrum,& è conuerso,item singularis numerus pluralem, & è conuerso concipiat,& comprehendat,& statutum in vno genere,vel numero,similiter in alio statutum intelligatur,& sit. Et hoc locum habeat,si res,casus, dispositio, materia, seu prouisio sit indifferens, aut ita vni,sicut alteri de prædictis generibus, seu numeris conueniat,seu valeat conuenire,seu in talibus habeat locum. Et hoc tam in criminalibus causis,quàm etiam in ciuilibus,siue mistis sit dispositum,& prouisum: saluis semper statutis,quibus oppositum,siue contrarium reperiretur esse prouisum.

De possessionibus Ciuium,et rebus stabilibus non alienandis,vel transferendis in non subiectis, & non parentando cum non subiectis. *Rub. 88.*

STatuimus,& ordinamus,ꝙ nulla persona,cuiuscunque status,& conditionis existat,possit,vel quoquo modo debeat alienare, vel quoquo modo transferre aliquas res immobiles, possessiones,domos,vel fortilicias sitas in Ciuitate Firmi,vel eius comitatu,vel districtu,vel extra, iuxta tamen confinia districtus Firmi,& eius comitatus, in aliquam personam ecclesiasticam,vel secularem nõ subiectam iurisdictioni temporali,vel dominio dictæ Ciuitatis,vel in aliquẽ,qui non subeat onera dictæ Ciuitatis,vel comitatus,& qui non sit cõtinuus habitator dictæ Ciuitatis, vel comitatus, sine expressa licentia, & voluntate DD.Priorum populi, & Vexilliferi iustitiæ dictæ Ciuitatis, & specialis Concilij dictæ Ciuitatis: & si secus factum fuerit,alienatio, vel contractus sit ipso iure nulla, & nullius valoris,& dicta res sic alienata,vel translata auctoritate præsentis legis sine aliqua alia sententia intelligatur,& sit ipso iure Communi Firmi cõfiscata,& applicata. Et ita intelligatur, si fiat ex vltima voluntate,ex testamento,codicillis,donatione causa mortis,vel quauis alia causa,vel titulo vltimæ voluntatis. Si tamen sic alienans,siue transferens in vltima voluntate non subditis, vt supra dictũ est, haberet consanguineos sibi cõiunctos vsque in tertium gradum consanguinitatis inclusiuè de iure Canoñ. computañ. & dicti cõsanguinei essent habitatores Ciuitatis, vel comitatus Firmi, & onera Communis Firmi sustinerent; tunc,& eo casu in talibus bonis sic dicto titulo translatis succedant, & succedere debeant dicti consanguinei: salua semper gradus prærogatiua. Si verò dicti consanguinei non extarent,tunc dicta bona deueniant,& deuenire debeant in Communi prædicto,& dicto Cõmuni applicentur,& confiscentur, & pro publicatis, & confiscatis auctoritate præsentis legis habeantur,& reputentur. Adijcientes insuper,quòd idem intelligatur,& locum habeat ab intestato in bonis mobilibus,& stabilibus,ita quòd non subiecti,etiam qnòd ipsi, vel ipsorum auctores si nullatenus ferant onera Communis Firmi,fuerint oriundi à Ciuitate,vel comitatu Firmi,nullo modo,nec via succedere possint,nec debeant in dictis bonis stabilibus,& mobilibus in Ciuitate,& Comitatu Firmi remanentibus,siue existentibus, nec in eorũ æstimatione,tam ab intestato,q̃ ex testamento, vel quauis alia vltima voluntate. Item statuimus,& ordinamus,ꝙ nulla persona,cuiuscunq; status,gradus,vel dignitatis existat,audeat,vel præsumat aliquod matrimonium,sponsalia de præsenti,vel de futuro contrahere,vel contrahi facere cum aliquo nobili,vel plebeio,vel alia quauis persona non subiecta iurisdictioni dictæ Ciuitatis,vt supra dictum est,sine expressa licentia DD. Priorum populi, & Vexilliferi iustitiæ,& Concilij dictæ Ciuitatis: quòd si aliter fiat,ex nunc auctoritate præsentis legis intelligantur omnia bona dotalia, & non dotalia talis personæ nubentis, vel sponsalia contrahentis ipso facto esse applicata,& confiscata Communi dictę Ciuitatis,& ille,cum quo contraheretur,incidat in pœnã quingentorum flor. auri Communi prædicto applicandorum. Et simili pœna quingentorum flor. puniantur mediatores,vel alij consanguinei,& amici,qui in talibus darent auxilium,consilium,vel fauorem: & etiam Notarius simili pœna puniatur, qui de prædictis, vel aliquo prædictorum reciperet rogitum, vel contractum, & se rogaret de prædictis. De quibus omnibus, & singulis Scindici Communis teneantur denunciare D. Potestati, & suæ Curiæ, prout tenentur denunciare alia maleficia.

Et Po-

Et Potestas,qui pro tempore fuerit,teneatur in prædictis procedere,etiam ex suo officio,& ad denunciationem cuiuscunque,& repertos culpabiles punire, omni etiam solennitate iuris omissa, sola facti veritate reperta. Item nulla persona audeat,vel præsumat contrahere sponsalia per verba de præsenti,vel de futuro cum aliqua muliere sine licentia,& consensu patris mulieris,si patrem habuerit: si verò patrem non habuerit, sine consensu matris talis mulieris, & duorum proximorum consanguineorum talis mulieris nubentis, vel saltem duorum ex eis, pœna tali mulieri patienti se tradi nuptui, & sponsalia contrahenti suæ dotis applicandæ Communi Firmi ipso facto,& cuilibet tractanti,& matrimonium contrahenti cum ea,vel sponsalia prædicta,quingentarum lib. deñ. de facto; & sine processu aliquo exigenda per Potestatem Ciuitatis Firmi [illegible]

De pœna occidentis,vel aliter percutientis bestias alicuius. *Rubr. 89.*

SI quis equum, bouem, asinum, vel mulum alterius occiderit, puniatur in lib. vigintiquinque deñ. Si verò non occiderit,sed aliter percusserit; si cùm debilitatione alicuius membri,in decem lib. deñ. puniatur: si sine debilitatione percusserit quomodocunque cum sanguinis effusione,in quadraginta sol. deñ. puniatur vice qualibet. Si verò quis occiderit, vel percusserit porcum, capram,ouem,vel aliam similem bestiam paruam, condemnetur in tertia parte dictarum pœnarum: & in singulis casibus supradictis ad emendationem damni domino dictæ bestiæ in duplo teneatur. Liceat tamen cuilibet domino possessionis,& suis familiaribus,& etiam laboratoribus possessionum, vel alijs ius habentibus in fructibus,bestias,& anseres, & pullos alterius percutere, & occidere, si eos, vel eas reperierint damnum dare in vineis,hortis,& cannetis cultis,& laboratis, & etiam in blado, impunè. Et sufficiat in prædictis probatio vnius testis deponentis de visu,quòd talis occidens occiderit, & inuenerit in dictis locis,vel aliquo ex dictis locis damnum dare. Et pacis beneficium habitæ à domino bestiarum percussarum, vel occisarum,in dictis casibus vendicet sibi locum.

De maleficijs non cognitis intra mensem in comitatu. *Rubr. 90.*

STatuimus,& ordinamus, ne delicta occupentur, & remaneant impunita, quòd maleficia non cognita intra mensem à die commissi maleficij per officiales Castrorum, & aliorum locorum comitatus,& districtus Firmi iurisdictionem habentes cognoscendi ea,per Potestatem Ciuitatis Firmi cognosci, & puniri possint, & debeant: & elapso dicto mense, super dictis maleficijs dicti officiales Castrorum,& aliorum locorum comitatus, & districtus Firmi, nullatenus in posterum se intromittant,& de eisdem cognoscere, & punire nullo modo valeant, sub pœna vigintiquinque ducat. auri pro quolibet ipsorum officialium,& qualibet vice contrafacientium, de facto auferendorum. Et quicquid attentatum,& cognitum fuerit per ipsos officiales post lapsum dicti mensis non valeat,& sit ipso iure nullum. Et Scindici Castrorum prædictorũ teneantur referre maleficia prædicta Iudici maleficiorũ Potestatis Firmi,sicut cætera maleficia: quibuscũque in contrariũ facientibus nõ obstantibus.

De pœna,quam DD. Prioribus inobedientes incurrunt. *Rubr. 91.*

CVm obedientia sublata regna deficiant,nec status vllus manere queat,ad reprimendam inobedientium contumaciam,& malignitatem, hac lege cautum sit,quòd si quando per Mag.DD. Priores verbo,aut in scriptis aliquid præcipitur,aut per eorum commissarios,legatos,aut officiales, vel officiales Castrorum,nomine, & ex parte ipsorum DD. Priorum, illi, quibus iussum fuerit, statim absque contradictione parere teneantur. Qui verò contrafecerint, soluere debeant de facto Communi Firmi ducatos auri xxv. & decies in eculeo positi excutiantur. Et vt intelligi possit quis fuerit inobediens, officialis sic præcipiens teneatur statim mittere ad DD. Priores, ad pœnam decem ducatorum auri sibi de facto auferendorum, in lista numerum, & nomina huiusmodi inobedientium.

Quòd Albanenses venientes ad Ciuitatem Firmi, vel comitatum eius pro maleficijs commissis extra districtum puniantur,ac si in Ciuitate,& comitatu deliquissent. *Rub. 92.*

VT magis delicta inhibeantur,quia videntur Albanenses ad malefaciendum proniores,hac iustissima lege cautum sit,quòd de cætero ipsi Albanẽses committentes aliqua maleficia,& cõdemnati extra districtum Firmi venientes, & commorantes in Ciuitate, vel comitatu non sint tuti,sed capiantur,& puniantur pro eorum condemnationibus,ac delictis quibuscunque, non secus,quàm si in Ciuitate,vel comitatu deliquissent.

De pœna committentium fraudem in suo apprecio. *Rubr. 93.*

SI quis in fraudem Communis possessiones sitas in districtu Ciuitatis Firmi, & appreciatas in libro appreciorum Ciuitatis Firmi fecerit de suo apprecio leuari, & in apprecio alicuius poni fictè, cum reuera dominium, vel quasi dominium, vel possessio rei positæ in dicto apprecio alicuius non transeat in ponentem, sed fecerit ad hoc, vt ponens eam habeat maiorem summam apprecij, vt esse possit conciliarius, vel vxor sua possit portare scarlatum, vel alia occasione, & reperiatur talis, qui fecerit de suo apprecio leuare, possidere dictam rem, & fructus ex ea recolligere, licet de suo apprecio sit extracta, talis ponens in fraudem puniatur in vigintiquinque lib. deñ. & possit à quolibet accusari.

De pœnis non terminatis per statutum. *Rubr. 94.*

EOrum delictorum pœna, quæ per statuta huius Ciuitatis determinata non est, secundum similitudinem aliarum pœnarum statutorum huius Ciuitatis statui, & determinari debeat: ad quod faciendum, seu declarandum, Iudex iustitiæ cum Rectore, vel eius iudice debeat conuenire. Et id pro simili habeatur, & rectè statutum, & determinatum intelligatur, in quo consenserint vnanimiter, & illa sit pœna talis delicti. Si autem per ipsos de similibus ad similia videretur eis vnanimiter non posse procedi, tunc pro delicto statuatur delinquenti pœna realis, seu personalis, quam eorum iudicio, & voluntate communiter decreuerint, seu taxauerint.



QVARTI LIBRI FINIS.

STATV-



STATVTORVM COMMVNIS FIRMI LIBER QVINTVS FELICITER INCIPIT.

De officio, & iurisdictione D. Capitanei. *Rubr. Prima.*



Apitaneus populi Ciuitatis Firmi, eiusque districtus, & comitatus teneatur, & debeat iurisdictiones Communis, & populi Ciuitatis prædictæ requirere, manutenere, & defendere, ac etiam gubernare pro posse; statum prosperum, & tranquillum excelsi præsentis, & liberi popularis status Ciuitatis Firmi, necnon & Societates artium populi, & Priores, & Confalonerios, Capitaneos, & Consules mercatorum, eorumque iurisdictionem, ac statum prosperum, & tranquillum dictarum artium, & populi augere: & statuta condita, & ordinata, stabilita, & reformata, & etiam fienda pro ipsis Societatibus, & populo, & per ipsos integraliter obseruare, & facere sine diminutione aliqua obseruari. Statuta, præpositas, & ordinamenta, & reformationes nullo modo faciat, vel fieri faciat, vel facere volentibus consentiat, & permittat, quæ sint, & esse possent contra ipsum populum, & Commune, nechon contra statuta huius voluminis, vel alia quęcunque edita, vel edenda pro honore, & statu prospero, pacifico, & tranquillo dictæ Ciuitatis populi, & Societatis artium dictæ Ciuitatis, sed semper ipsa statuta, & ipsum Commune, & Societates, & artes, & dictum populum, & bonum, & pacificum statum prosperum, & tranquillum ipsorum obseruare, manutenere, custodire, defendere, gubernare, accrescere, & augere conetur ad posse, omnemque iniuriam, omnemque turbationem ad proprium præiudicium, periculum, vel grauamen DD. Priorum populi, & artium, & Societatum populi, vel alicuius de ipso populo fieri prohibeat, factamque, vel illatam puniat; & repellat, iuxta formam continentiæ statuti; & vbi statuta non loquerentur, iuxta formam iuris communis, omni modo, via, iure, & forma, quibus melius potest. Sitq. dictus D. Capitaneus, & eius iudex, & vicarius, & quilibet ipsorum iudex super appellationibus ciuilibus, & criminalibus, iudicialibus, & extraiudicialibus, & querelis quibuscunque, & restitutionibus in integrum, & reductionibus, seu petitionibus reductionum ad arbitrium boni viri coram ipsis, vel altero ipsorum interponendis, seu ad ipsos, vel ipsum deuolutis, siue contingat coram ipso, vel altero ipsorum appellari, seu reclamari, vel interponi reductio ad arbitrium boni viri, siue contingat coram iudice, arbitro, vel arbitratore inferente grauamen appellari, seu restitutio in integrum peti, seu reductio ad arbitrium boni viri. Ac etiam sit iudex ordinarius, & iurisdictionem habeat ordinariam super omnibus his, in, & de quibus ex forma statutorum huius voluminis potest cognoscere. Et quòd ipse Capitaneus obseruet, & faciat obseruari per Potestatem, & suos officiales, & quoslibet alios officiales præcipuè statuta huius voluminis, & alias reformationes, & ordinamenta omnia Communis, & populi dictæ Ciuitatis, & pro ipso populo, & Societatibus populi facta, & fienda: & contra ipsa, vel aliquod prædictorum non faciat, siue veniat. Et si qua alia facta inuenerit contra ipsa statuta, & ordinamenta, vel reformationes factas pro dicto populo, & Societatibus, non obseruabit, nec faciat, vel permittat aliqualiter obseruari, sed potius ipse faciet quòd habeatur, & haberi faciet totaliter pro infectis. Sitq. dictus D. Capitaneus, & esse debeat cum Scindicatoribus Communis Firmi ad requi-

rendum,& exigendum rationem à Poteſtate,& ſuis officialibus,& omnibus alijs officialibus Commu
nis Firmi de omni officio, & adminiſtratione ipſorum officij de omnibus , quæ geſſerint, vel commi-
ſerint,vel adminiſtrauerint,vel fecerint,vltra,præter, vel contra formam ſtatutorum,& ordinamento
rum Communis, & populi ſupradicti: & hoc faciat, & facere teneatur, ſub pœna centum lib. deñ. de
ſuo ſalario. Quos Scindicatores dictus Capitaneus eligi faciat per DD. Priores,& Confalonerium iu
ſtitiæ,& debeat dictus Capitaneus pro ſtatu pacifico,& tranquillo Ciuitatis Firmi manutenendo,de-
fendendo,& augumentando pro Societatibus populi,& artium gubernandis, & omnibus, & ſingulis
exercendis, quæ ad eius ſpectant officium, & pro ſua iuriſdictione melius obſeruanda implorare bra-
chium DD. Priorum,& Poteſtatis. Qui DD. Priores, & Poteſtas teneantur dicto D. Capitaneo im-
partire,& dare auxilium,conſilium,& fauorem,prout materia requiret,ſecundum occurrentiam facto
rum,& facti qualitas exiget,vt melius poſſit ſuum officium exercere. Præterea dictus D. Capitaneus
teneatur, & debeat condemnare Poteſtatem, & militem, iudices, notarios, familiares, ſeu berroarios
ſuos in omnibus pœnis,& bannis contentis in capitulis Communis Firmi,ſi in ipſis,vel aliquibus ip
ſorum contrauentum fuerit,vel fecerint ipſi,vel aliquis ipſorum,pro modo,& qualitate delicti,ſecun
dum formam ſtatuti Communis Firmi : & hoc etiam tam ex ſuo officio, quàm ad petitionem cuiuſli-
bet Ciuis,vel habitatoris Firmi, ſeu diſtrictus denunciantis, vel accuſantis, ſummariè,ſimpliciter, &
de plano,ſine ordine aliquo,ſine ſtrepitu,& figura iudicij,ſecundum formam ſtatutorum,quæ loquun
tur ſuper maleficijs puniendis,& ipſas condemnationes exigere pro Commune : & prædicta facere te
neatur tempore ſcindicatus dicti Poteſtatis. Durante verò officio Poteſtatis, non poſſit contra eum,
vel ſuos officiales,vel familiam de aliquo crimine,vel delicto procedere,vel condemnare, niſi de pro-
dimento,vel proditione præſentis ſtatus populi,ſub pœna centum lib.deñ. de ſuo ſalario pro vnoquo
que dictorum capitulorum. Et hæc omnia, quæ in quolibet capitulo continentur , loquentia de eius
officio teneatur dictus D. Capitaneus facere obſeruare , & adimplere , prout in vnoquoque capitulo
continetur, ſub pœna,& pœnis in ipſis capitulis contentis. Item dictus D. Capitaneus omnem pecu
niam recuperatam per ipſum D. Capitaneum , vel Regulatores Communis , vel per aliam quamcun-
que perſonam debeat facere peruenire in Cameram Communis Firmi , & non faciat compenſari ali-
quam pecuniam. Et ad hoc,vt non ſit turbatio,& contentio aliqua inter dictos Rectores ſuper cogni
tione maleficiorum,ſupra quibus Capitaneus præfatus habet eandem iuriſdictionem , quam & Pote-
ſtas ; volumus, quòd ſi ambo Rectores procederent , qui primò præuenit per ſolam miſſionem copiæ
ad Cameram, valeat ſuum proceſſum finire. Rector verò,qui eſſet præuentus,fide habita,debeat pro-
nunciare non eſſe procedendum ſuper proceſſu per ſuam Curiam initiato,pœna ducentarum lib. con
trafacienti pro qualibet vice de facto auferenda. Et quilibet Rector,Poteſtas,vel Capitaneus tenea-
tur expedire ſuos proceſſus intra terminos ſtatutos,& aſſignatos per ſtatuta Communis Firmi loquē
tia de tali materia , ſub pœna in dictis ſtatutis contenta : teneaturq; dictus Capitaneus præciſè intra
primos quatuor mēſes ſui regiminis inquirere,& inquiri facere,requirere,terminare,& aſſignare om
nia prata, paſcua,ſyluas,& nemora Communis,quæ hactenus fuerint à quibuſcūque poſſeſſa, poſſide
rentur, vel tenerentur, & ipſa pro Communi in vſu tenere, non obſtante venditione, vel conceſſione
aliquarum tenutarum,vel ipſarum prætextu : & non obſtantibus acceptionibus,vel in ſolutum datio
nibus, & conceſſionibus de ipſis pratis, paſcuis, & ſyluis, & nemoribus à quibuſcunque factis : quam
inquiſitionem,& requiſitionem per ſe faciat, & ex ſuo officio, vel ad denunciationem , & inſtantiam
cuiuſcunque petentis hoc fieri,cum duobus hominibus per quamlibet contratam per ipſum D. Capi
taneum,DD. Priores,& Confalonerium eligendis, bonis, & fidelibus, qui non ſint de habentibus,&
tenentibus de prædictis,nec de eorum conſanguineis,& affinibus,vel etiam ſine hominibus pro libito
voluntatis. Et ſi quem inuenerit occupaſſe, ſiue occupare, puniat pœna contenta in ſtatuto de occu-
pantibus poſſeſſiones Communis,& teneatur facere inquiſitionem de prædictis. Item teneatur,& de-
beat dictus D. Capitaneus inquirere , & inquiſitionem facere contra omnes, & ſingulos de Ciuitate
Firmi, & eius diſtrictu , qui dediſſent, vel quocunque titulo alienaſſent de terris, & poſſeſſionibus in
Ciuitate Firmi,& eius diſtrictu poſitis alicui,vel aliquibus, qui non ſint ſubiecti iuriſdictioni Ciuita-
tis Firmi,nec ipſi Communi reſponderent in datijs, & collectis. Et quoſcunque in prædictis inuene-
rit deliquiſſe,puniat, & condemnet ſecundum formam ſtatuti Communis Firmi. Item teneatur , &
debeat dictus D. Capitaneus inquirere contra omnes,& ſingulos Ciues, & diſtrictuales, qui eorum
proprias habitationes reliquerint,& ad alia loca iuerint ad habitandum non ſubiecta Communi Fir-
mi:& omni modo procuret, quòd intra certum tempus per eum aſſignandū reuertantur cum tota eo-

rum familia ad proprias habitationes, quas reliquerint: & si non redierint, ipsos, & ipsorum quemlibet condemnet in pœnis eius arbitrio imponendis, & condemnationes huiusmodi exigat pro Communi. Item dicto D. Capitaneo intelligatur, & sit concessa, & attributa potestas, & omnis iurisdictio in omnibus,& singulis casibus,in quibus per formam alicuius statuti, vel reformationis reperitur attributa,seu concessa potestas.

De eadem iurisdictione D. Capitanei. *Rub. 2.*

ITem teneatur dictus D. Capitaneus inquirere, & inquisitionem facere, & obseruare capitulum,quod loquitur de die Dominico, & festiuitatibus custodiendis. Item teneatur dictus Capitaneus inquirere,& procedere ex suo officio ad denũciationem,vel accusationẽ per quemcunque factam,quæ de prædictis fieri possit, & per quemlibet; & teneatur talis denunciator secretus: & contra omnes,& singulos, qui auderent, vel præsumerent malè loqui, dicere, vel tractare publicè, vel occultè, modo aliquo, seu casu, & in dedecus, & verecundiam, vel opprobrium officij D. Potestatis, DD. Priorum populi, & Vexilliferi iustitiæ, Collegij, vel Societatis de populo,vel alicuius ipsorum Ciuitatis Firmi, & contrafacientes puniat à centum sol. deñ. vsque ad xxv. lib. deñ. eius arbitrio. Et prædicta dictus D. Capitaneus faciat publicè banniri per Ciuitatem, ad hoc, vt omnibus pateat euidenter,in principio sui regiminis. Item dictus D.Capitaneus sollicitè intendat ad inquirendum contra Beccharios non facientes carnes, & aliter in eorum arte delinquentes contra formam statutorum loquentium de Beccharijs,& his ad quæ tenentur &c.

De eadem iurisdictione D.Capitanei contra dominas portantes ornamenta vetita. *Rub. 3.*

ITem teneatur dictus D.Capitaneus inquirere, & inquisitionem facere,inuestigare, & rimari facere contra mulieres, & dominas portantes ornamenta contra formam statutorum, & eas punire, & condemnare secundum formam statutorum loquentium de ornamentis dominarum in luctu mortuorum.

De eadem iurisdictione D.Capitanei. *Rub. 4.*

ITem teneatur, & debeat mense quolibet inquirere contra illos, qui incarcauerint,vel excarcauerint oleum, vel aliquas mercantias in aliquo loco riueriæ maris,& iuxta mare à flumine Tronti,& à Tronto vsque ad Potentiam, in quo non solueretur gabella Cõmuni Firmi, vel qui non sit subiectus in totum iurisdictioni dicti Communis; ita quòd in ipso loco possit per Commune Firmi imponi datiua, & apprecia, & fumantiæ, vt in alijs locis subiectis dictæ Ciuitati: & si aliquẽ inuenerit huiusmodi delinquentem,eum punire debeat realiter, & personaliter eius arbitrio pro modo delicti: dummodo in illis locis, quæ sunt de districtu Firmi, & legitimè potest Commune Firmi imponere,prædicta locum non habeant.

Quòd Capitaneus teneatur exercere officium gabellæ. *Rub. 5.*

ITem teneatur, & debeat dictus D. Capitaneus præcisè exercere officium gabellæ per se, & suum Iudicem si habuerit,secundum capitula,& statuta loquentia de gabella: & nullus alius Iudex eligatur ad dictum officium gabellæ exercendum; ita tamen quòd nullo modo ad manus dicti Capitanei, vel suorum officialium de pecunia dictæ gabellæ possit, nec debeat modo aliquo peruenire,sed ad manus Bancherij Communis. Et Capitaneus,& officiales, qui in prædictis aliquam fraudem commiserint,in lib. centum deñ. pro quolibet,& vice qualibet puniantur.

Quòd Capitaneus possit cognoscere de omnibus maleficijs. *Rub. 6.*

ITem dictus D.Capitaneus teneatur,possit, & debeat cognoscere de omnibus, & singulis maleficijs,de quibus Potestas cognoscere potest, & valet: supra quibus maleficijs postquàm dictus Capitaneus cognoscere incœperit, quod intelligatur incœpisse per transmissionem copiæ ad Cameram,Potestas,& eius Iudex de prædicto maleficio, de quo Capitaneus cognoscere incęperit,nullo modo se intromittere possit,vel debeat, nec cognoscere valeat, nec processum aliquem facere: & si quod fecerit,in dicto casu sit ipso iure nullum, & nullius valoris. Possit etiam,teneatur, & debeat dictus D. Capitaneus cognoscere, ac etiam sua sententia terminare, & diffinire cum consilio

sui iudicis, & assessoris, si habuerit, omnia, & singula maleficia. Et omnes processus criminales inceptos per D.Potestatem,& eius Curiam non finitos,vel terminatos intra terminum in statutis contentum finire,& terminare debeat; & de ipso processu condemnationem facere in pœnis de illo tali maleficio in statuto contentis, vel absoluere, vt melius ius fiat, & iustitia obseruetur. Et dictus Capitaneus omnia,quæ ad suum spectāt officium, cognoscere, & terminare,finire,& examinare debeat: & si contra statuta,& eorum formam fecerit,Capitaneus pro officiali in solidum teneatur. Et ad hoc,vt veritas sciatur,si maleficia incepta per Potestatem,& eius Curiam sint determinata,vel nō,intra dictum tempus in statuto contentum;& si dictum tempus procedendi est elapsum,vel non,Potestas,& Iudex, & Notarius eius teneantur, & debeant singulis mensibus, saltem in fine mensis acta ostendere dicto Capitaneo. Et è contra simili modo fiat per dictum Potestatem, & eius Curiam de processibus dicti D.Capitanei; cui ipse D.Capitaneus, & sua Curia teneatur ostendere processus suos simili modo, & forma terminandos.

Quòd Dominus Capitaneus teneatur exigere condemnationes. *Rub.* 7.

ITem teneatur dictus D. Capitaneus, & eius Curia omnes condemnationes per ipsum factas, recoltatas tamen,intra xx. dies post factas,& latas ipsas condemnationes exigere, & executioni mandare cum effectu,& in Commune facere peruenire penès Bancherium Communis Firmi pro ipso Commune recipiente,pęna centum lib.deñ. & nihilominus in suo salario computetur, & per eius officiales successores exigi debeant intra viginti dies post sui officij inchoationem. Possit etiam exequi,& executioni mandare omnes,& singulas sententias criminales,& condemnationes criminales per quemcunque Rectorem latas realiter,& personaliter,prout in sententijs continetur,sine aliquo processu, de facto. Sententias autem non recoltatas,seu in contumaciam latas exequi, & executioni mandare teneatur, prout, & sicut continetur in statuto maleficiorum, sub Rubrica de executione sententiarum &c.

Quòd Capitaneus inquirat contra offendentes Potestatem,& eius officiales. *Rub.* 8.

ITem habeat iurisdictionem dictus D. Capitaneus inquirendi, & procedendi in omnibus, & singulis maleficijs,iniurijs,& offensionibus factis,& cōmissis in personam Potestatis, & suorum officialium,& familiarium,& delinquentes condemnandi in pœnis contentis in capitulo loquenti de ipsis maleficijs.

Quòd Capitaneus inquirat contra extrahentes grassiam. *Rub.* 9.

ITem habeat iurisdictionem,& sit Iudex competens,& ordinarius in omnibus casibus specificatis supra in quocunque capitulo huiusmodi statutorum, & habeat potestatem puniendi, procedendi,& exigendi, vt in his capitulis continetur. Et intelligatur esse Iudex ordinarius, & iurisdictionem ordinariam intelligatur habere,non obstantibus aliquibus statutis,nec aliquo iure ciuili,vel canonico,quod in contrarium loqueretur.

De bannis imponendis per Dominum Capitaneum. *Rub.* 10.

CApitaneus, & eius officiales in bannis imponendis illam habeant iurisdictionem, quam habet Potestas, & eius officiales in capitulo de iurisdictione Potestatis, & officialium in bannis imponendis contentam. In exercitu verò, vel in caualcata,parlamento generali, briga, vel rixa, tam Capitaneus, quàm Potestas pœnam possit imponere eorum arbitrio, persona, & facti qualitate pensatis.

De balijs Domini Capitanei. *Rub.* 11.

HAbeat, & habere debeat dictus D. Capitaneus pro suo officio exercendo quinque balios ad scarsinam trahendos,qui balij stare debeant continuè cum ipso Capitaneo, & eidem, & suis officialibus pareant, & attendant in omnibus, quæ ad eorū spectant officium, & nouerint ad officiū pertinere. Et quilibet ipsorum baliorum habeat pro eius salario, & mercede de hauere Communis salarium per DD.Regulatores declarandum quolibet mense, & habere, & deferre debeant, & portare cōtinuè in capite,discoopertas infulas rubeas cū cruce alba super eas,vt in vexillo Cōmunis

est,ad hoc,vt ab alijs cognoscantur. Et subiaceant dicti balij pœnis,bannis,& legibus,quibus subiacent alij balij Potestatis,in quibus possint, & debeant per ipsum Capitaneum puniri, & condemnari secundum formam statutorum Communis Firmi loquentium contra eos,& pro eis.

In quibus casibus in criminali causa sit licitum appellare,& in quibus non. *Rub. 12.*

ORdinamus, quòd ante tempus diffinitiuæ sententiæ in aliqua causa criminali non sit licitum appellare; & si appellauerit,per Iudicem appellationum non admittatur,pœna Iudici appellationis centum lib.deñ.contrarium facienti: & nihilominus habeatur ac si non esset appellatum: & Iudex à quo non obstante aliqua appellatione, vel inhibitione aliqua in causa, procedat vsque ad diffinitiuam sententiam inclusiuè,in qua sententia diffinitiua omnia iura, & defensiones rei sint,& esse intelligantur penitus reseruata, etiam sine ministerio Iudicis, auctoritate præsentis legis. A diffinitiua verò sententia personali in totum,vel in partem possit,& valeat appellari die latæ sententiæ,vel sequenti. Cuius interpositio fieri possit coram Iudice à quo, vel coram Iudice ad quem, & talis interpositio de iure valeat. Quam appellationem sic interpositam, dictus Iudex appellationum teneatnr, & debeat ipsam diffinire, & terminare intra octo dies à die interpositionis numerandos: & si eam non terminauerit intra dictum tempus, prima sententia firma remaneat, & eam exequatur pro libito voluntatis. Et Iudex à quo fuerit appellatum,siue Scindicus Communis ad causas teneatur, & debeat receptis litteris inhibitorijs assignare, & producere acta, & totum processum coram Iudice ad quem,pœna centum flor. auri Iudici à quo,si negligens fuerit in prædictis,& extiterit;& mittere suos Iudices ad defensionem,& pro defensione,siue pro defendendo suum processum, & sententiam. Qui terminus octo dierum non currat,si per Iudicem à quo steterit, & negligens fuerit producendo acta, & actitata in causa de qua extitit appellatum; exceptis casibus dictis, in quibus non liceat appellari, de quibus infra fiet mentio: videlicet de prodimento Ciuitatis, vel alicuius Castri, vel turbatione status præsentis,robaria,lenocinio, raptu virginum,monialium, seu carceratarum, vel de percussione facta in personam alicuius DD.Priorum,vel Vexilliferi iustitiæ durante eorum officio: & etiam non sit licitum appellare à sententijs datis super damnis datis personaliter, vel cum bestijs. A sententia verò diffinitiua in casibus merè pecuniarijs, vel etiam pecuniarijs, sed in defectum personalibus in totum, vel in partem,sit licitum appellare intra quinque dies continuos à die latæ sententiæ numerandos: & appellatio valeat,siue sit interposita coram Iudice à quo, siue coram Iudice ad quem. Quam appellationem Iudex ad quem terminare debeat intra decem dies continuos post appellationem interpositam: & Iudex à quo appellatur,exhibere debeat acta,& alia facere, vt supra dictum est. Et si Iudex appellationis appellationem non terminauerit intra dictos decem dies continuos, prima sententia firma remaneat; & Iudex à quo eam exequatur pro libito voluntatis, nisi recusauerit, vel non exhibuerit acta, & totum processum; quo casu tempora terminandæ appellationis non currant. Contumaces autem in criminalibus careant beneficio appellationis. Et in omnibus casibus supradictis prædictus Iudex à quo teneatur, & debeat facere copiam suæ sententiæ,si fuerit requisitus statim ea die: aliàs tempora appellandi non currant quousque copiam non fecerit de prædictis, & ipso facto pœnam quingentarum lib. deñ. incurrat. Et in omnibus, & singulis casibus, in quibus appellatur in causis criminalibus,omnia tempora,tam interponendæ appellationis,quàm prosequendæ, quàm etiã terminandæ intelligantur, & sint continua, & feriæ etiam introductæ in honorem Dei ea non impediant,seu impedire valeant.

De appellationibus causarum ciuilium. *Rub. 13.*

ORdinamus, quòd ante sententiæ diffinitiuæ tempus in aliqua ciuili causa vbi speratur sententia diffinitiua ferri, non sit licitum appellare quoquo modo, sed omnia grauamina,iura, & defensiones partis reseruẽtur in diffinitiua,& sint, & esse intelligantur reseruata auctoritate præsentis legis sine ministerio Iudicis: quæ omnia reseruentur, & reseruari debeant in appellatione interponenda à diffinitiua, & veniant cognoscenda, & terminanda per Iudicem ad quem. A diffinitiua verò sententia iudiciali appellari possit, & etiam reclamari viua voce, vel in scriptis, & etiam de nullitate dici,siue in vna eadẽ appellatione principaliter, vel incidenter inferatur,siue non,intra quinque dies continuos numerandos à die latæ sententiæ: quam appellationem, & nullitatis causam Iudex appellationis sic se habeat terminos abbreuiando,quòd intra xxx.dies cõtinuos à die interpositæ appellationis,vel nullitatis numerandos terminet, pœna quingentarũ lib.deñ.A sententia verò arbi-

trorum appellari possit, vel de nullitate dici principaliter, vel incidenter intra quinque dies continuos à die laudi, vel sententiæ enumerandos; quam causam appellationis, vel nullitatis Iudex terminet intra viginti dies continuos à die interpositionis, appellationis, vel nullitatis, sub dicta pœna. A sententia verò arbitratorum, & amicabilium compositorum, seu ab eorum arbitramentis, vel compositionibus, seu laudis appellari possit, & de nullitate dici, & etiam peti reductio ad arbitrium boni viri, intra quinque dies continuos à die lati arbitramenti, seu laudi, seu compositionis. Quam causam appellationis, & nullitatis, vel reductionis ad arbitrium boni viri, dictus Iudex eam terminare teneatur, & debeat intra viginti dies continuos à die interpositionis, appellationis, seu nullitatis, vel reductionis ad arbitriũ boni viri, sub dicta pœna. Et in omnibus casibus huius statuti tempora data Iudici ad terminandum causas appellationis, nullitatis, reductionis ad arbitrium boni viri, restitutionis in integrum sint, & esse intelligantur continua ferijs messium, vindemiarum, repentinis, & omnibus alijs diebus feriatis descriptis sub statuto de ferijs exceptis, quæ omnia tempora sint feriata, & de medio subducantur. Possint etiam dicta tempora de partium voluntate prorogari, & tempus prorogatum de partium voluntate, etiam de medio tollatur: & in quolibet casuum prædictorum Iudex cognoscens de dictis causis semper condemnare teneatur victum victori in expensis: & in quolibet supradictorum casuum si intra tempora supradicta statuta ad terminandum causam non fuerit per Iudicem appellationum terminata, firma semper remaneat prima sententia diffinitiua, vel interlocutoria, & pars intelligatur actum primi Iudicis approbasse. Causæ verò restitutionis in integrum, quæcunque sint, interponi debeant, & agitari coram Capitaneo, seu Iudice iustitiæ Communis Firmi: qui interpositas cognoscere, & terminare debeat intra viginti dies continuos à die petitionis, vel restitutionis in integrum: & in omnibus causis appellationũ procedatur simpliciter, summariè, de plano, sine strepitu, & figura iudicij, pœna prædicta. Quæ petitio restitutionis in integrum aliqua fieri non possit, nec debeat ante diffinitiuam sententiam, sed ea intelligatur, & sit reseruata in ipsa diffinitiua sententia, & in appellatione interponenda à diffinitiua. Ab interpositione verò secundi decreti, & à quolibet præcepto, vel sententia interlocutoria habente vim diffinitiuæ, quæ negotium principaliter diffiniat, & non sit intermedia causæ, & post ipsum, vel ipsam, vltra non speratur ferri diffinitiua super causa principali, in eadem instantia appellari possit, & de nullitate dici intra quinque dies continuos à die interpositionis, vel lati præcepti, vel sententiæ: & ipsa appellationis, & nullitatis causa terminari debeat intra viginti dies continuos à die interpositionis, appellationis, seu nullitatis. Item volumus, quòd postquàm à dictis sententijs, vel aliqua ipsarum fuerit intra tempora suprascripta appellatum, reclamatum, de nullitate dictum, petita restitutio in integrum, vel reductio ad arbitrium boni viri, vt supra est descriptum, teneatur pars sic appellans, & de nullitate dicens, vel petens reductionem ad arbitrium boni viri, vel petens restitutionem in integrum, intra quinque dies continuos post appellationem, vel petitiones prædictas, vel prædictam immediatè sequentes causam prædictam prosequi, & partem aduersam citari facere ad prosecutionem prædictam fiendam in dicta causa: quod si non fecerit intra dictos quinque dies, Iudex à quo procedere possit, & debeat in causa, ac si appellatum, vel petitum non fuerit, vel aliquid contradictum in causa prædicta. Adijcientes, quòd post tempora prædicta transcursa ad appellandum, prosequendum, & terminandum, vt supra est descriptum, si non fuerit per Iudicem ad quem sententia retractata, vel confirmata, & fuerit causa deserta, non possit vlterius contra dictam sententiam, & pronunciationem factam per primum Iudicem aliquid dici, conqueri, vel opponi per modum appellationis, vel nullitatis, vel restitutionis in integrum, vel reductionis ad arbitrium boni viri; sed sententia lata per Iudicem à quo firma remaneat, & plenissimam habeat roboris firmitatem, & executioni mandetur, iuxta formam traditã in tertio libro causarum ciuilium in Rubrica de executione sententiarum causarum ciuilium. Adijcientes etiam, quòd à descriptione facta, siue facienda ad bastardellum de instrumentis guarentisiatis, & sententijs, quæ in rem iudicatam transiuerint secundum formam statutorum ad instantiam principalis, vel cessionarij, seu ipsorum hæredum, siue eorum procuratorum, actorum, tutorum, siue curatorum, non possit appellari, nec reclamari, vel de nullitate dici vllo modo, nec audiri, vel admitti vllo pacto; sed auctoritate præsentis legis appellandi, reclamandi, & de nullitate dicendi sit penitus sublata facultas, & præclusa via super descriptione prædicta. Et similiter de executionibus gabellarum, & fraudum earundem, datiuarumque, & aliorum debitorum Communis, dummodo per dictos debitores contrarium non probaretur.

Nil innouari appellatione pendente. *Rub. 14.*

ORdinamus, quòd si appellatum fuerit, vel de nullitate dictum, vel petita restitutio in integrũ, vel reclamatũ aliquo casu permisso per formam statutorum nostrorũ, quòd Iudex à quo, tam contra appellantẽ, vel reclamantem, vel de nullitate dicentem, vel petenrem restitutionẽ in integrum, quàm etiã cõtra eius bona, seu fideiussores nullam faciat noxiam, vel nouitatẽ aliquo quæsito colore, pœna quingentarum lib. deñ. de facto ei auferenda qualibet vice, qua cõtrafecerit: & hoc intelligatur, si cognitionem habuerit, seu sciuerit appellatum esse, vel reclamatum, vel de nullitare dictum, vel petita restitutio in integrum per inhibitoriam, vel alio modo quocunque; & de hoc expresſè scindicetur: & nihilominus attentata, & innouata Iudex appellationis possit, & debeat reuocare, & in statum pristinum reducere, quam pœnam incurrat etiam pars innouans, vt supra.

De pœna Iudicis non permittentis appellare. *Rub. 15.*

ORdinamus, quòd nullus Rector, vel alius officialis impediat aliquem appellare volentem, nec ipsum prohibeat appellare, sed omnem appellare volentem liberè permittat appellare in casibus permissis à statuto, sub pœna quingentarum lib. deñ. de facto ei auferenda. Et intelligatur impedire, vel non permittere appellare, si coactum detinuerit, vel aliam vim intulerit, quominus appellare possit.

Quòd omnia statuta loquentia in causis appellationum, intelligantur in primis, & secundis appellationibus. *Rub. 16.*

VOlumus, quòd omnia statuta loquenria in appellationibus, & causis appellationũ, habeant locum, & locum habere volumus in primis, & secundis causis appellationũ; & omnia quę in eis dicuntur, tam in terminis, & dilationibus datis ad appellandum, quàm in dilationibus datis ad prosequendum, & terminandum, & in omnibus alijs causis comprehensis in dictis statutis vendicent locum, & intelligantur in primis, & secundis, vt superius est expressum.

Quòd statuta loquentia in Capitaneo habeant locum in Iudice iustitia, & è conuerso. *Rub. 17.*

ITem statuimus, quòd si in Ciuitate Firmi non esset Capitaneus populi, & dictum officiũ Capitaneatus vacaret in Ciuitate prędicta, & esset in ea Ciuitate Iudex iustitiæ; quòd omnia statuta loquentia de Capitaneo populi habeanr locum in Iudice iustitiæ: & illam iurisdictionem potestatem, & baliam Iudex iustitiæ habeat, quam habet, & habere posset per statuta huius voluminis Capitaneus: & è conuerso, si in aliquo staruto fieret mentio de Iudice iustitiæ, & in Ciuitate Firmi non esser Iudex prædictus, sed esset Capitaneus populi, intelligantur talia statuta loquentia de Iudice iustitiæ in omnibus, & per omnia in persona Capitanei; & perinde sit, ac si in Capitaneo loquerentur, & per Capiraneum vniformiter debeant seruari, & adimpleri. Insuper volumus, quòd Capiraneus populi, & eius Iudex, vel Collateralis, & etiã Iudex iustitiæ prædictus cognoscere possint quilibet ipsorum de causis appellationum, nullitatis, restitutionis in integrum, reductionis ad arbitrium boni viri, & de gabellis, & de damnis datis, & possit procedere contra Dominas portantes ornamenta contra formam præsentis statuti, & de luctu mortuorum, & de excedentibus modum in conuiuijs, & de deueto salis, & grassiæ, & de omnibus alijs, quæ per formam nostrorum staturorum eis, vel alicui ipsorum concederentur. Ac etiam sit dictus D. Capitaneus, vel eius Vicarius, & Iudex iustitiæ, & quilibet ipsorum Iudex competens, & iurisdictionem habeat ordinariam scindicandi DD. Priores populi, & Vexilliferum iustitiæ, Regulatores, Bancherios, & cæteros officiales Communis, & etiam Vicarios, siue Potestates Castrorum comitatus. Et reneatur prædictos condemnare secundum formam nostrorum staturorum, si in eorum officio fraudem, dolum, & malignitatem committerent, vel contra formam nostrorum statutorum aliquid facerent, vel omitterenr. Quòd si prædicta facere neglexerit dictus D. Capitaneus, cadat in pœnam ducentarum lib. deñ. qualibet vice; & ipse tempore scindicatus per suos scindicatores de prędictis debeat scindicari. In causis verò ciuilibus, ordinarijs, vel summarijs se nullatenus immisceat, & iurisdictionẽ non habeat: quòd si secus fecerit, non valeant actitata, nisi fuerit per viam appellationis, nullitatis, restitutionis in integrum, & reductionis ad arbitrium boni viri, vt supra dictum est.

Incipiunt Damna data.

De iurisdictione, & balia Iudicis damnorum datorum, viarum, pontium, & fontium. Rub. 18.

STatuimus, & otdinamus, quòd D. Capitaneus populi, qui pto tempore fuerit, siue Iudex iusti tię Ciuitatis Firmi sit, & intelligatur esse competens iudex, & officialis damnorum datorum, pontium, & fontiũ, & habeat iurisdictionem plenã super omnibus, & singulis in hoc Quinto libro statutorũ contentis procedendi per viam inquisitionis, denunciationis, vel accusationis, prout ei videbitur, & delinquentes condemnandi in pœnis in statutis contentis: ita quòd pœnas in statutis cõtentas non excedat. Volumus tamen, quòd de stipulare, magese, vel sodo non inquirat, nec per viam inquisitionis procedere possit, nec in alijs casibus in statutis damnorum datorum insertis, in quibus inquisitio est prohibita specialiter, sed solum per viam accusationis, nisi in arboribus, & fructibus arborum ibidem existentium fuerit damnum datum; quo casu possit per viam accusationis, denũciationis, vel inquisitionis procedere, prout sibi videbitur, vt superius dictum est. Et ipsius sententię valeãt, & teneant, non obstante aliqua solennitate in procedendo omissa, dummodo pœnas in statuto damnorum datorum insertas non excedat, & dummodo de maleficio, & damno dato constet per confessionem, vel testes, vel alias probationes, prout ex forma statutorum conceditur. Saluo semper, quod supra dictum est de stipulare, vel sodo: videlicet, quòd non possit inquirere, nisi in arbotibus &c. dummodo non intelligatur turbare possessionem propter incisionem arborum, vel collectionem fructuum ab aliquo factam: quo casu nullũ ius possessionis acquiratur incidenti. Et quòd nullus alius de damnis datis contentis in præsenti libto statutorum iurisdictionem cognoscendi habeat quoquo modo, nisi per officialem damnorum datorum procedere, & cognoscere omissum fuerit intra mẽsem à die cõmissi criminis numerandum; quo termino elapso, possit Potestas, & eius officiales procedere, & punire secundum formam statutorum. Addimus etiam præsenti statuto, quòd iudex iustitiæ, & gabellarum Communis Firmi, & etiam Capitaneus populi, quando Capitaneus adesset in Ciuitate Firmi, quilibet eornm habeat iurisdictionem omnimodam procedendi, cognoscendi, & puniendi omne delictum, crimen, seu excessus quoscunque, quæ commissa essent, vel cõmitterentur in futurum in aliquo membro officij cuiuscunq; pertinentis ad ipsum, ac etiam ad officium gabellarum, & occasione gabellæ, & quæ in fraudem quacunque causa cum dolo, vel sine committerẽtur, etiam si cõtra veritatem aliquod fieret, vel factum fuisset tempore sui officij, puniendo, & condemnando pecunialiter secundum formã statutorũ Ciuitatis Fitmi, & pœnas pecuniarias duntaxat imponendo, & condemnando, & non aliter. Item addimus, quòd officiales damnorum datorum Ciuitatis Firmi non possint ex suo mero officio in quirere, nisi fuerit ad denunciationem, vel accusationem domini cõtta damnum dantes cum bestijs in pratis à Kal. Nouembris, vsq; ad Kal. Martij. Alijs verò temporibus possit per accusationẽ, denunciationẽ, & etiã ex suo mero officio inqnirere, punire, & cõdemnare secundũ fotmã nostrorum statutorũ.

De his, qui in prima citatione non venerint. Rub. 19.

STatuimus, & ordinamus, quòd quicunque denunciatus, accusatus, relatus, vel inquisitus fuerit in Curia, & per Curiam D. Capitanei, vel Iudicis iustitiæ de his, quæ pertinent ad iurisdictionẽ suam super dammis datis, debeat citari semel tantùm personaliter, vel ad domũ habitationis, qui si intra terminũ citationis nõ comparuerit, habeatur pto confesso de his, quę procedũtur cõtra eum, & condemnetur secundum formã statutorũ loquentiũ de ipsa materia. Et si aliter procederetur nõ seruata forma prædicta per dictũ officialem, nõ valeat processus, vel sentẽtia quoquo modo.

Quòd D. Capitaneus mittat Notarios suos ad inueniendum damnum dantes. Rub. 20.

STatuimus, & ordinamus, quòd D. Capitaneus teneatur mittere officiales per Ciuitatem, cõtratas, & vicos Cõmunis Firmi, intus, & extra, de die, & de nocte, ad hoc, vt inueniant damnũ dantes, & facientes contra formam statutorum dictorum. Et teneatur officialis mittere de familia sua, & ire ad ianuas Ciuitatis Firmi ad videndum, & inquirendum si aliqui sunt deferẽtes vuas, vel fructus aliquos, vel ligna, vel oliuarum ramos, ad hoc, vt possit explorare si portant de eorum possessionibus, vel non; & si quem inuenerit delinquentem in prædictis, vel aliquo prędictorũ, condemnet tales delinquentes in pœnis in hoc volumine statutorum comprehensis secundum formam statutorum loquentium de materia. Et ptædicta non intelligantur, nec locum habeant in Castris districtus Firmi, quæ habent Potestatẽ, & Vicarium, vel alium officialem, qui eos regat, datum eis per Cõmune

Firmi,pœna D.Capitaneo,si contrafecerit in prędictis,xxv.lib.deñ.tempore sui scindicatus auferenda:& stetur,& credatur relationi Notarij,vel officialis,vel familiaris dicti Capitanei, vel Iudicis iustitiæ,si quem dixerit inuenisse,& vidisse damnum dantem cum vno teste,vel saltem cum balio.

Quòd officialis non recipiat aliquid ab aliqua persona. *Rub. 21.*

ITem statuimus, & ordinamus, quòd prædictus officialis suum officium exerceat per se tantũ, & non per substitutũ aliquem; nec munus aliquod recipiat per se, vel alium ab aliqua persona ecclesiastica, vel seculari, sub pœna quinquaginta lib.deñ.pro qualibet vice, qua contrafecerit in prædictis. Et idem D.Capitaneus habeat quatuor balios de balijs Communis Firmi.

Quòd Capitaneus faciat, & fieri faciat bannimentum de non dando damnum personaliter, vel cum bestijs. *Rub. 22.*

ITem statuimus,quòd D.Capitaneus faciat,& fieri faciat banniri in principio sui officij,quòd nulla persona det damnum personaliter,vel cum bestijs, de die,vel de nocte,contra formam dictorum statutorum.

De abolitione concedenda. *Rub. 23.*

STatuimus,& ordinamus, quòd quandocunque, & qualitercunq; in damnis datis ex varchis, vel aliter vigore statutorũ damnorum datorũ in præsenti volumine statutorum descriptorũ procederetur, siue per modum accusationis, siue denunciationis,siue inquisitionis, abolitio peti possit per accusatorem,denunciatorem, vel damnum aliquod recipientem, vsq; ad lecturam sententiæ inclusiuè,& non postea: dum tamen petatur, & peti possit per ciuem, vel habitatorẽ Ciuitatis intra sex dies; & per comitatiuum,vel habitatorem comitatus intra x.dies à die excusationis factæ in comparente,in contumace à die banni dati numerandos: & soluat petens abolitionem prædictã bancherio Cõmunis sol.v.deñ.aliàs non audiatur petens abolitionem prædictam. Et Capitaneus teneatur dictam abolitionẽ admittere dicta forma seruata: quòd si non fecerit dictus Capitaneus,condemnetur in xxv.lib.deñ.vice qualibet,qua contrafecerit, de qua per Scindicos tẽpore sui scindicatus debeat condemnari. Quæ abolitio nullatenus admittatur in oppositione contra capientes, & reducẽtes animalia reperta damnum dare. Nec admittatur in præsentatione non facta de dictis animalibus per capientem, & reducentem dicta animalia Iudici, seu officiali competenti intra tempus terminatũ per statutum sub Rub.quòd vnicuiq; liceat sua auctoritate propria capere bestias &c. Volumus insuper, quòd de inuentionibus factis per officialẽ D.Capitanei,vel Iudicis iustitiæ; si aliquos inuenerit damnum dantes cum bestijs,vel sine,nõ admittatur, vel recipiatur abolitio modo aliquo, sed sit totaliter petenti interdicta facultas: & si admitteretur,vel reciperetur,non valeat receptio,& puniatur officialis recipiens, & admittẽs in supradicta pœna. Et pro receptione dictæ abolitionis in casu in quo recipi possit,non possit, nec debeat officialis ab aliqua partium aliquid nomine mercedis recipere, sub dicta pœna de eorum salario tempore eorum scindicatus retinenda. Adijcientes, quòd quando patronus possessionum,siue damnũ passus duceret officialem ad inueniendum,& videndũ personas, siue bestias damnum dantes,tunc patronus,& damnum passus possit retrahere talem inuẽtionem per abolitionẽ, solutis v.sol.bancherio Communis. Et officialis ductus occasione dictæ inuentionis,si pœna ascenderet summam quatuor lib.deñ.& abinde intra, habeat pro suo labore sol.quatuor deñ.tãtum:& ab inde supra xij.deñ.pro qualibet lib.deñ.qua veniret condemnandus damnum dans,siue patronus animalium inuentorum,vt supra,damnum dantium.

De damnis datis in cassinis. *Rub. 24.*

SI quis fregerit cassinã,domũ, vel atterratũ extra muros Ciuitatis, vel Castri existentẽ serratã ostio,& serramine,pro sola fractura in flor.xxv.vice qualibet puniatur.Si verò post fracturã prædictã in eã intrauerit,& damnũ dederit capiẽdo columbos,vel pullos in ea existentes,vel occidendo,vel aliud quodcunq; damnũ dando,puniatur in quinquaginta flor. Si verò quis cassinã,domũ,vel atterratum prædictos serratũ ostio, & serramine nõ fregerit, sed ostiũ aperuerit sine fractura ostij,vel cassinę,pro sola apertione in xx. flor.puniatur. Si verò post aperitionẽ intrauerit, pro solo introitu vltra pęnã aperturę,in xx.flo.puniatur.Si verò in ea damnũ dederit,puniatur vt supra dictũ est in fractura cassinę, & damnũ datũ semper emẽdet in duplo damnũ passo in oĩbus casibus supradictis.

De his, qui debent admitti ad accusandum. *Rub. 25.*

STatuimus,& ordinamus,quòd in processibus factis,& fiendis in Curia Capitanei, vel Iudicis iustitiæ super damnis datis,tam in accusando,quàm in defendendo,& excusando ab accusatione damnorum datorum contentorũ in hoc volumine, admittatur filiusfamilias,& habeatur pro legitima persona,non obstante quòd non habuerit patris consensum: & quilibet maior decẽ annis possit interesse in dicto iudicio, nõ obstante ꝙ non interuenerit tutoris,vel curatoris auctoritas: & etiam quilibet alter familiaris, vel laborator,colonus,eiusq; filius,& famulus, & quiuis alter familiatis, & credatur accusatoris sacramento,si dixerit se vidisse,sine aliqua alia probatione, secundũ distinctionem dictorum statutorum,& vsque ad illam quantitatem. Sed nulli liceat nisi semel in mense accusare principaliter cum iuramento, ad pœnam duorum ducatorũ auri pro quolibet cõtrafaciente, & officiale recipiente; & tamen secus factum sit ipso iure nullum. Et si quis fecerit accusam,seu denũciationẽ calumniosam,seu falsam,puniatur dicti Rectoris arbitrio, vsq; ad quantitatẽ centũ sol.deñ. Si verò accusator non viderit damnum dantem,& voluerit accusare incertas personas, admittatur ad accusandum,& denunciãdum incertas personas hoc modo: videlicet, quòd omnes personas accusat, & denunciat,quas dixerint, & testificati fuerint se vidisse tales testes dicti,etiam si de seipsis dixerint, & testificati fuerint; ex quorũ testimonio delinquẽtes condemnari debeant, si probatum fuerit,secũdum formã statutorum,absq; aliquo processu faciendò. Et possit,& teneatur inquirere dictus officialis suo officio,& etiam ad petitionem cuiuscunque,qui diceret sibi damnum datum fuisse,& esse,si iurare voluerit se nescire damnum dantes,de quo petit inquiri. Statuẽtes,quòd in accusatione,siue denunciatione generali accusans, siue denuncians non possit producere vltra sex testes de comitatu, & octo de Ciuitate,& cõtra,vel prçter prçdictam formã nõ debeat recipere Capitaneus,vel eius Curia, nec aliquis quiuis officialis aliquã accusationẽ,seu denunciationẽ generalẽ,sub pœna xxv.lib.deñ.

De damnis datis personaliter. *Rub. 26.*

ITem statuimus,& ordinamus,quòd si aliquis hortũ clausum alicuius intrauerit,de solo introitu in sol.xl.vice qualibet condemnetur.Si verò post dictum introitũ damnum dederit in horto clauso,in centum sol.deñ.cõdemnetur in totum pro damno,& pro introitu.Si verò in horto nõ clauso,de solo introitu in medietate supradictæ pęnæ de horto clauso cõdemnetur. Si verò post introitum damnum dederit,in xl.sol.deñ.vice qualibet condemnetur: nec de introitu si damnũ dederit puniatur. Si quis verò intrauerit in vineis alienis cultis,& laboratis,à Kal.Martij vsq; ad Kal.Nouembris,pro solo introitu in vno ducato auri condemnetur: in alijs verò temporibus,in v.sol.deñ.vice qualibet condemnetur. Si verò post dictum introitum damnũ dederit colligendo vuas acerbas,vel maturas,vltra pœnã dicti introitus,pro quolibet racemo vuæ,vel agrestæ,in x.sol.deñ.condemnetur. Si verò aliter damnum dederit colligendo oleta,caprolos,vel pedagnolas, vel cannas, vites, vel aliter damnum dando in dictis vineis, vltra pœnam introitus,in xx.sol.deñ. vice qualibet condemnetur. Si verò quis intrauerit vineam alienam non cultam,vel laboratã,vel damnum post introitum in ea dederit,puniatur in quarta parte pœnæ eius,qua puniretur in vineis cultis,& laboratis. Si quis verò damnum dederit in canneto colligendo frondes, vel exportando frondes factas, in xl. sol. vice qualibet condemnetur. Si verò damnum dederit frangendo cimas cannarum,incidat in pœnam v,bonoñ. pro qualibet cima,& procedi possit etiam contra inuentos in itinere cimas prædictas asportantes,vel domi,seu alibi retinentes,& illas asportantes:& denegantes domino, vel officiali cimas inuentas numerari,& adnotari,possint puniri arbitrio domini,vel officialis pro numero quem ipsi voluerint, seu arbitrati fuerint. Si verò cannas fregerit,siue abstulerit,puniatur pro qualibet canna in supradicta eadem pœna. Si quis autem intrauerit possessionem alicuius bladatam aliquo genere bladi, lini, acruminis, seu leguminis,à Kal.Aprilis vsquequo bladum, seu legumen,vel linum, vel acrumen esset, vel maneret in possessionibus prædictis,vel aliqua ipsarum non secatum, vel euulsum, pro solo introitu in sol. quinque condemnetur. Si verò damnum dederit post dictum introitũ,vltra prædictos v.sol.in xx.sol. deñ.vice qualibet condemnetur. Saluo,quòd si aliquis damnum dederit in ferragina,metendo,vel aliter damnum dando,in xl.sol.vice qualibet condemnetur. Si quis verò personaliter damnum dederit in pratis alicuius custoditis,vel in fœnis alicuius giffatis, metendo herbam,seu fœnum à Kal. Aprilis vsq; ad Kal. Iulij, in xx. sol. vice qualibet condemnetur. Si quis verò damnum dederit in arboribus mori,legendo frondes ex dictis arboribus,in xl.sol.vice qualibet condemnetur. Si verò damnum de-

derit in vlmis colligendo frondes,incidat in pœnam x.ſol.deñ.pro quolibet,& vice qualibet,& qualibet arbore. Si quis autem damnum dederit in fructibus arborum domeſticarum,vel in fructibus oliuarum,in centum ſol.deñ.vice qualibet cōdemnetur. In cæteris verò fructibus domeſticis hominibus comeſtibilibus,in xx.ſol.deñ.vice qualibet condemnetur. In alijs verò fructibus hominibus non comeſtibilibus,& non domeſticis,ſi quis damnum dederit,in x.ſol.deñ. vice qualibet condemnetur. Et in ſingulis capitulis prædictis damnum dantes damnum paſſo damnum in duplo emendare teneātur.

De pœna colligentis oliuas alienas. *Rub.* 27.

SI quis vendiderit,permutauerit, ſeu quouis modo diſtraxerit, ſeu macinauerit, ſeu macinari fecerit,vel aliter exportauerit,ſeu retinuerit aliquam etiam minimam quantitatem oliuarū, qui non habeat poſſeſſiones proprias, vel conductas cum oliuis, ſi non probauerit vnde, & à quo habuerit,vel emerit,incidat in pœnam x.ſcutorum qualibet vice,& pro qualibet quantitate,applicañ.pro dimidia Communi Firmi,pro alia dimidia accuſatori,& executori ęqualiter. Si verò prædicta commiſſa fuerint in Caſtris, & locis habentibus cognitionem ſuper maleficijs, & illorum pœnis fruuntur,tunc quarta pars pœnæ applicetur Communi Firmi, quarta loco prædicto cognoſcenti, reſiduum verò dictæ pœnæ applicetur vt ſupra: & poſſit procedi in præmiſſis per viam accuſationis,inuentionis,& inquiſitionis,etiam non præcedente diffamatione,& accuſator teneatur ſecretus,cui credatur cum iuramento,& vno teſte fide digno. Et in eandemmet pœnam incidant ementes,& receptātes,contra quos procedi poſſit,vt ſupra,ſi nō docuerint emiſſe à poſſidente,& oliuas habente, cui legi etiam ſubiaceāt tertiæ perſonæ,per quarum manus præmiſſa commiſſa fuerint. Et in eandemmet pœnam incidant habētes oliuas,ſi reperti fuerint illas legere in alienis poſſeſſionibus,vel collegiſſe probatum fuerit.Et eadem pœna de oliuis,eodem modo,& forma,vt ſupra,habeat locū in malis arancijs: quam pœnam in ſupradictis caſibus ſi non ſoluerint intra menſem, tunc puniantur pœna furti. Paritérq; nec liceat alicui oliuas recolligere,vt vulgò dicitur,per lo ricolticcio, abſq; licentia domini poſſeſſionis,ſub pœna v.flor.de qua licentia ſtetur iuramento domini.

De damnis datis cum beſtijs. *Rub.* 28.

ITem ſtatuimus,& ordinamus,quòd ſi quis equum,bouem,ſomarium,poledram,mulum,porcum,capram,vel equam,vel his ſimilia in vineam cultam, ſeu laboratam vuis plenam,& nō vindemiatam,hortum,cannetum cultum,ſeu laboratū immiſerit,vel cum eis,vel aliquo prædictorum damnum dederit à Kal.Martij vſq; ad Kal.Nouembris,ſi in vineis prædictis,hortis,vel cannetis laboratis,ſiue cultis,ſoluat pro damno cuſtos beſtiarum pro qualibet vice, & qualibet dictarum beſtiarum xl.ſol.deñ. Si verò in ſegetibus, ſoluat damnū pro qualibet vice,& qualibet beſtia xx.ſol. deñ. In arboribus verò fructiferis hominibus comeſtibilibus alibi exiſtentibus quàm in dictis locis omni tempore, ſoluat v.ſol.deñ. Si verò in giardinis malorum aranciorum cultis,& laboratis cum beſtijs groſſis damnum datum fuerit omni tempore, cuſtos, ſiue dominus beſtiarū ſoluat pœnā xx.ſol. deñ.pro qualibet beſtia, & vice qualibet. Cum beſtijs verò minutis,x.ſol. deñ. pro ſingula beſtia, & qualibet vice. A Kal.Nouembris vſq; ad Kal.Martij,vel quocunq; alio tēpore,ſi fuerit vindemiatū in vineis cultis,hortis,vel cānetis cultis,ſoluat Cōmuni pro damno qualibet vice, & pro qualibet beſtia xx.ſol.deñ. In ſegetibus verò ſol.v.deñ.Et in omni caſu de prędictis damnum emendet patienti in duplum. Si verò cum pecudibus,ſeu pecude in vineis,vel hortis cultis damnū datum fuerit à Kal.Martij vſq; ad Kal.Nouembris,ſoluat,& condemnetur cuſtos beſtiarū pro qualibet pecude,& qualibet vice, ſol.v.deñ. & in canneto,blado,vel fœno,ſol.duos deñ. Si verò à Kal.Nouēbris vſq; ad Kal.Martij in dictis locis,ſoluat pro damno pro qualibet beſtia,& qualibet vice xij. deñ. Si verò in cāpo, fœno,vel ſtipulare,vj.deñ.Si verò alibi q̃ in prędictis locis omni tempore,& pro qualibet beſtia,& qualibet vice,vj.deñ.& damnū emendet patiēti in duplum. Si verò dictę beſtiæ minutæ,vel aliqua ipſarū in pratis cuſtoditis,ſyluis,ſeu arboribus nō domeſticis damnū dederit,ſoluat xij.deñ. pro qualibet beſtia, & qualibet vice. Si verò beſtiæ groſſæ damnum dederint à Kal.Martij vſq; ad Kal. Octobris, videlicet equa in prato non ſecato, vel fœnato, vel fœno cuſtodito, ſoluat pro damno Communi xx.ſol.deñ. Aliæ verò beſtiæ groſſæ dictis temporibus,x.ſol.deñ. Alijs verò temporibus,& etiam dicto tempore ſi fuerit ſecatū pratum, vel fœnatum, xij.deñ. & intelligatur pratum eſſe, tempore quo eſt giſſatum in quolibet campo. Giſſari autem nulli liceat terrenum, niſi vſq; ad ſex modiolos tantùm,quod terrenū ſit,& eſſe debeat idoneum ad faciēdum fœnum,nec alio modo liceat giſſare. Et officiales nullo modo

in præ-

in prædictis procedere aliter valeant,& quod fecerint vltra prædicta, sit nullum,expressè declarando, quòd terrenum intelligatur,& sit proprium illius, à quo giffatur. Si verò dicta immissio dictarum bestiarum facta fuerit,vel damnũ datum cum eis studiosè de die,siue de nocte, soluat duplum dictarum pœnarum. Et intelligatur studiosè damnum datũ esse, & immissio bestiarum,quando custos inuentus fuerit custodire dictas bestias in locis prædictis. Et in talibus damnis datis cum bestijs,vel sine,credatur,& stetur sacramento domini possessionis,vel laboratoris,vel eorum familiarium,seu familiaris, & cuiuscunq; ipsorum,si viderit damnum dare,vsq; ad quantitatem xx.sol.Et si habuerit vnum testem, credatur cum sacramento vsq; ad quantitatem xl.sol.den.pro omnibus bestijs, quas testis dixerit, & testificatus fuerit se vidisse. Ab inde verò supra cum duobus testibus puniatur in pœnis superius annotatis. Et in omni casu vbi quis condemnatur de damno dato,debeat ex eodem processu,& condemnatione cõdemnari ad emendationem damni,illi qui damnũ passus fuerit, in duplum, de cuius damni æstimatione stetur , & credatur sacramento dñi possessionis vsq; ad quantitatem xx.sol.den. Ab inde verò supra,stetur,& credarur dicto duorum vicinorum proximorum iuratorum vsq; ad x.possessiones propè possessionem in qua damnum datũ fuerit positorum, & electorum per damnum passum: dum tamen in singulis casibus supradictis stetur dicto domini cũ vno teste de visu de damno sibi dato de nocte; quo casu habeatur pro plena,& legitima probatione. Insuper Notarius damnorum datorum teneatur,& debeat vinculo iuramenti, & pœna xxv.lib. de suo salario diligenter inquirere tempore inquisitionis fiendę de custode ipsarum bestiarum in casibus supra expressis. Statuentes etiam,quòd vineæ,& canneta culta,seu cultæ,laborata,seu laboratæ,intelligantur etiam si per tres annos,& non vltra,tunc proximè præcedentes non fuerint laboratæ. Si verò per maius tempus steterint incultæ, & non laboratæ,non intelligantur vineæ,& canneta cultæ,& culta,laboratæ,& laborata.

De pœna incidentis oliuam,& alias arbores. *Rub. 29.*

SI quis contra,vel præter voluntatem domini possessionis inciserit à pede aliquem pedem oliuarum,vel eundem euulserit in totum, vel pro maiori parte, siue inciserit ramum, vel ramos alicuius pedis oliuarum,vel distramauerit,condemnetur in scutis decem. Si verò inciserit aliquam partem alicuius pedis oliuarum, velut vt dicitur stacchiando,non in totum, vel pro maiori parte,condemnetur in xx.lib.den.& debeat emendare damnum in duplum damnũ passo. Et si dictas condemnationes non soluerit intra mensem à die latæ sententię computandum,per Ciuitatem Firmi debeat nudus,& carnibus discoopertis fustigari; & nihilominus emendet damnum in duplum damnum passo. Si verò arborem quancunq; sustinentem vitem,vel præparatam ad sustinendam vitem, vel aliã arborem domesticam fructiferam hominibus comestibilem, vel arborem mori si à pede, seu à stipite, in scutis quinque vice qualibet condemnetur. Si verò ramos inciserit, vel plantas arborũ extirpauerit,soluat dimidium supradictæ pœnæ quinque scutorum, quorum bannorum medietas sit Cõmunis, & alia damnũ passi,& sufficiat probatio vnius testis de visu in omnibus casibus prædictis. Si verò arbores syluestres non ferentes fructus hominibus comestibiles, pro qualibet arbore sic incisa à stipite, seu pede,in scutis duobus vice qualibet condemnetur. Et si arbor sic incisa fuerit magna, & apta ad ædificium,puniatur in scutis quinque. Si verò plantæ paruæ,seu stirpes,cõdemnetur pro qualibet arbore,seu stirpe parua,seu nouello,pro qualibet earum sic incisa,in vno scuto pro qualibet,& qualibet vice. Et hoc locum non habeat in spinis,veticis,& genestris,& his similibus, in quibus damnum dantes puniantur pro qualibet salma in vno floreno. Si verò fractam,seu sepem fregerit,pro sola fractura condemnetur in libris duabus. Si verò fractam , seu sepem inciserit, vel aliter fregerit, pro quolibet passu condemnetur in vno floreno. Si verò in dicta sepe fuerint arbores de aliquo genere supradictorum arborũ,& ipsas inciserit in dicta sepe,seu limite, puniatur delinquens ad similitudinem dictarum pœnarum. Et in omnibus casibus supradictis si damna prædicta facta fuerint de nocte , condemnetur delinquens in duplum dictarum pœnarum. Et si quis acceperit de aliqua catasta, vel de aliquo leuio, vel alia qualibet adunantia lignorum, vel vitium iacentium in possessione alicuius, incidat in pœnam vnius scuti pro qualibet salma. Si verò minus salma acceperit, in dimidium pœnæ prædictæ. Si verò de aliquo canneto fascios cannarum,vel frondes factas abstulerit, soluat pro banno qualibet vice, & quolibet fascio, vel brancata cannarum,quomodocunq; constabit, seu apparuerit per plenam,seu semiplenam probationem,xl.sol.den. vice qualibet; & credatur sacramento accusatoris vsq; ad quantitatem xx.sol.sine aliqua alia probatione,si dixerit se vidisse. Et damnum in omnibus supradictis capitulis emendetur in duplum damnum passo: & officialis de prædictis inquirere possit, & debeat ex suo

officio,

officio, præterquàm in ſpinis, gineſtris, veticis, ſanguinis, ſcorciaturis, & lignis minutis ſylueſtribus, & his ſimilibus, in quibus per inuentionem procedi non poſſit, ſed officiali damnorum datorum ſuper prædictis procedendi, & inquirendi per inuentionem ſit penitus denegata poteſtas, & iuriſdictio.

De pœna incidentis vites. *Rub. 30.*

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quicunq; inciſerit aliquam vitẽ, ſi à ſtipite, ſeu pede, ſoluat bannum pro qualibet vite x.lib.deñ. Si verò inciſerit caput dictæ vitis, ſoluat pro bãno centum ſol.deñ. pro qualibet vite. Si aliter quomodocunq; inciſerit ſine licentia domini vineæ, dummodo remaneat caput prædictum, ſoluat bannum ſol.v.deñ. pro quolibet ramo dictæ vitis: & de licentia data per dominum vineæ ſtetur ſacramento domini vineæ. Et prædictæ pœnæ nõ intelligantur in vitibus, ſeu ramis ipſarũ inciſis exiſtentibus in poſſeſſionibus, ſeu vineis non laboratis per tempus trium annorum proximè præteritorũ ante tempus inciſionis vitium, ſiue ramorum prædictorum. Sed ſi quis vitem in dicta poſſeſſione, ſiue vinea non laborata per dictum tempus trium annorũ à ſtipite, ſeu pede dictæ vitis; ſi dicta vitis fuerit putata intra dictum tempus, ſoluat bannum centũ ſol. deñ. Si verò non inciſerit à ſtipite, ſeu pede dictæ vitis, ſed aliter quomodocunque, ſoluat bannum x. ſol.deñ. Si verò putata non fuerit intra dictum tempus, ſoluat bannum pro quolibet pede dictæ vitis, v.ſol.deñ. Et ſi quis fuerit condemnatus ex aliqua ex dictis cauſis in xxv.lib.deñ.vel ab inde ſupra, & dictam condemnationem non ſoluerit intra terminum arbitrio D.Capitanei, ſeu officialis damnorum datorum in dicta condemnatione aſſignandum, per Ciuitatem nudis carnibus debeat fuſtigari. Et ſi quis inciſerit aliquam pergulam intra muros Ciuitatis, vel Caſtrorum Firmi, ſoluat bannum xxv.ſcutorum, pluris etiam, vel minoris arbitrio D.Capitanei pro qualitate damni: & in quolibet caſu prædictorum damnum emendet damnũ paſſo in duplum. Et de æſtimatione damni in quolibet caſu prædictorum credatur, & ſtetur ſacramento domini poſſeſſionis vſq; ad quantitatem centũ ſol. Ab inde verò ſupra, ſtetur dicto duorũ hominum conuicinorum poſſeſſioni vbi damnum eſt illatũ, vſq; ad decem poſſeſſiones eligendos per damnum paſſum. Adijcientes huic ſtatuto, quòd executio dictę pœnæ corporalis nõ poſſit fieri per aliquem officialem Communis Firmi, ſi condemnatus ſoluere voluerit eius condemnationem intra menſem poſtquàm venerit in fortiam Communis Firmi.

Quomodo debeat emendari damnum de diè, & de nocte, & per quem, & per quos. *Rub. 31.*

ITem ſtatuimus, & ordinamus, ꝙ ſi aliquod damnum datum fuerit de die, vel de nocte in poſſeſſione alicuius, & neſciretur per quem, vel quos damnũ datum eſſet, ſi dicta poſſeſſio fuerit propè aliquam Villam, vel aliquod Caſtrum, quæ, vel quod diſtaret per medium miliare à dicta poſſeſſione, per homines de dicta Villa, vel Caſtro propinquiori dictæ poſſeſſioni, teneatur dictum damnum datum poſtquàm ſciri, inueniri, & reperiri non poterit dans, vel dantes damnum, ipſum damnum emendari illi, cuius fuerit poſſeſſio prædicta: & credatur de damno dato ſacramento damnũ paſſi vſq; ad quantitatem xx.ſol.deñ. Ab inde verò ſupra ſeruetur forma ſtatutorum de damnis datis reficiendis. Si verò damnum datum fuerit in poſſeſſione alicuius alibi q̃ in dictis locis in contrata aliqua, vel cõuicinio, modo prædicto aſtantes, ſeu poſſeſſiones habentes, videlicet per x. poſſeſſiones propinquiores conuicini circuncirca poſſeſſionẽ, in qua damnũ datum eſſet, teneantur, & debeant emendare tale damnũ damnũ paſſo, ſimili modo vt ſupra dictum eſt. Et ad hoc ſimiliter teneantur Fornachiarij, Molẽdinarij, & Grancerij, & Bubulci, qui propè poſſeſſionem, in qua damnum datum fuerit, ſteterint, fuerint, vel habitauerint per medium miliare. Et de prædictis vicinis aſtantibus, vel alijs ſupradictis ſtetur, & credatur ſacramẽto patientis damnum. Quæ omnia ſupradicta officialis prædictus teneatur, & debeat obſeruare vinculo iuramenti, & pœna x.lib.deñ.de ſuo ſalario perſoluenda.

De his, qui inuenti fuerint per D.Capitaneum, vel ſuos officiales, & familiam cum fructibus, ſeu lignis in Ciuitate, vel via aliqua, & non habeant poſſeſſionem, & laboritium ſuum. *Rub. 32.*

STatuimus, & ordinamus, quòd ſi aliqua perſona inuenta fuerit per D. Capitaneum, vel Iudicem iuſtitiæ, vel per officialem, vel officiales eorum, & cuiuſcunq; ipſorum cum fructibus, ſeu lignis in terra, via, vel ſtrata; & ipſa perſona in ipſa contrata vbi erit inuenta non haberet aliquam poſſeſſionẽ ſuam, vel laboritium, aut ſi haberet, & in ea non eſſent fructus teperti ſibi, vel ligna, dictus D.Capitaneus, ſeu officiales ſui, qui pro tempore fuerint, poſſit, & debeat contra talem perſonã

repertam cum prædictis inquirere, procedere, punire, & condemnare in pœnis supradictis sine aliqua alia probatione. Saluo quòd si talis persona reperta probaret, quòd prædictos fructus, seu ligna portaret, vel acciperet de licentia domini possessionis: de qua licentia cõstet, & constare, & apparere debeat per publicum instrumentũ, vel per iuramentum domini possessionis cum vno teste ad minus, qui deponat dictum talem licentiam dedisse, & concessisse ante datum damnum dicto tali inuento, tunc ad prædictam pœnã talis inuentus minimè teneatur. Possit etiam talis persona portans dictos fructus à quolibet accusari, & denunciari, & credatur sacramento accusatoris vsq; ad quantitatẽ x. sol. deñ. Addentes, quòd si quis inuentus fuerit portare ligna oliuarũ, & arborum producentium fructus hominibus comestibiles, & vlmorum cum vitibus, & ipsas vites grossas, si non docuerit incidisse in sua possessione propria, vel de licentia domini probata, vt supra, teneatur soluere ducatum vnum auri pro quolibet, & qualibet vice. Et possit etiam à quolibet accusari, & inquisitio fiat ad portam, & vbiq; ab officialibus damnorum datorum. .

De pœna facientis cansarolam. *Rub. 33.*

STatuimus, & ordinamus, quòd si quis per possessionem alterius viam malitiosam sine bestia, vel cansarolam fecerit, in x. sol. deñ. vice qualibet puniatur: & si damnum dederit, puniatur in pęnis superius declaratis, & inferius in statuto de damnis datis: si cũ bestijs, in xx. sol. deñ. puniatur, & credatur sacramento accusatoris: videlicet domini possessionis, si dixerit se vidisse, vel suę familiæ. Et intelligatur viam malitiosam facere, vel cansarolã, quando via cõmunis esset bona, & ambulabilis ad ambulandũ hominibus, & bestijs, & aliter non. Et ꝙ de prædictis oĩbus dictus D. Capitaneus, & sui officiales nõ possint procedere contra aliquẽ, seu aliquos, nisi ad petitionẽ dñi possessionis.

De pœna facientis exuarchum. *Rub. 34.*

STatuimus, & ordinamus, quòd quicunq; fecerit exuarchum per possessionem, vel beneficium alicuius, si personaliter fecerit exuarchũ, puniatur in xx. sol. deñ. & de hoc credatur sacramẽto domini possessionis. Et si accusator probare poterit per vnum testem exuarchũ fecisse, puniatur in xl. sol. deñ. Si verò exuarchum fecerit cum bestijs, pro qualibet bestia grossa vltra pœnam prædictam, in v. sol. deñ. condemnetur. Et si aliquis iuerit eques, soluat pœnã personæ tantùm, & hoc si probare poterit per duos testes. Et si probare non poterit per duos testes dictum exuarchum fecisse cum bestijs, in xx. sol. deñ. condemnetur cum sacramẽto accusatoris, vel denunciatoris. Et si habuerit vnum testem, vsq; ad xl. sol. deñ. vt supra dictum. Et intelligatur exuarchum fecisse causa abbreuiandi iter suum, ita tamen quòd dictum statutum non vendicet sibi locum in locis vbi nõ sunt viæ determinatæ, sed secundum quòd temporibus retroactis consuetum est in plano Montis Sicchi, & in alijs locis consuetum est ire, ita vadant. Si verò dictum exuarchum factum fuerit per stipulare, soluat medietatem dictarũ pœnarũ. Et si per aliquam possessionem sodatam, soluat quartam partem dictarum pœnarum. Et de prædictis officialis non possit ex suo officio procedere, nisi ad petitionem, & voluntatem domini possessionis. Et hoc locum non habeat in venaroribus de exuarcho tantùm; sed si damnũ dederint, puniantur vt in statuto damnorum datorum continetur: dum tamen dicti venatores de mensibus Maij, Iunij, & Iulij non possint exuarchare, & venari per possessiones bladatas. Et hoc statutum de exuarcho contra forenses non vendicet sibi locum.

Quòd nullus Notarius possit sedere ad banchum D. Capitanei, vel Iudicis. *Rub. 35.*

AD euitandum omnem suspitionẽ, statuimus, & ordinamus, quòd nullus Notarius Ciuis, nec aliquis alius vltra officiales ipsius D. Capitanei, seu Iudicis Iustitię, possit stare, nec morari ad banchum D. Capitanei, seu Iudicis, & officialis præfati modo aliquo, vel ingenio. Nec ipse D. Capitaneus, Iudex, seu officialis possit aliquem alium Notarium ad suum banchũ retinere, vel sederi facere ad scribendum aliqua acta officij dicti Iudicis, seu officialis. Nec possit ipse D. Capitaneus, seu Iudex, vel officialis committere suum officium, tam in damnis datis, quàm de vijs, pontibus, & fontibus, per formam statutorum alicui Ciui Firmano, sub pœna, & ad pœnam quinquaginta lib. deñ. de suo salario: saluo, quòd sit licitum vnicuique ducere pro suo velle ad banchum dicti D. Capitanei, Iudicis, seu officialis Notarium quemcunque voluerit pro exercendo, & scribendo exempla, & acta ad se pertinentia.

Quòd D. Capitaneus, seu Iudex iustitiæ debeat ferre sententias. Rub. 36.

STatuimus,& ordinamus,quòd D.Capitaneus,vel Iudex Iustitiæ teneatur, & debeat de omnibus, & singulis excessibus, inobedientijs, culpis,& delictis,& damnis datis,ex quo, vel quibus resultaret aliqua condemnatio, facere condemnationes bis quolibet mense ; de quibus fiant immediatè duæ copiæ, quarum vna esse debeat penès eum, alia penès Bancherium Communis, eo die quo leguntur condemnationes, & penès dictum Bancherium remaneant ipsæ condemnationes: quas condemnationes,& condemnationum sententias idem D.Capitaneus, Iudex, seu officialis teneatur, & debeat vinculo iuramenti, & pœna xxv.lib.deñ. de suo salario exigere, & exigi facere, & solui cum effectu : videlicet condemnationes, quæ poterunt exigi licitè, & commodè, & pecuniam exactam,& exigendam de ipsis condemnationibus dari, solui, & deueniri facere in Bancherium Communis Firmi,qui fuerit ad officium Bancheriatus. Qui Bancherius,& Notarius eius teneatur,& stare debeat tempore opportuno in Palatio D. Capitanei ad recipiendum pecuniam,& soluendum,& eorũ officium exercendum,& non alibi,sicut tenetur Bancherius Cõmunis,& eius Notarius. Et dictus Capitaneus,seu Iudex teneatur facere prius condemnationes,quàm absolutiones,& quando cancellantur condemnationes, debeant per Notarium Bancherij dicti officialis cancellari, & scribi in margine soluentes condemnationes : & similis ordo seruetur in præmissis, prout seruatur, & seruari debet in Bancherio generali Communis Firmi,sub pœna x.lib.deñ.pro quolibet,& qualibet vice.

De beneficio confessionis,& pacis. Rub. 37.

STatuimus,& ordinamus,quòd quicunq; accusatus,denunciatus,vel inquisitus occasione alicuius damni dati,introitus,vel exuarchi cum bestijs,vel sine coram D.Capitaneo, Iudice iustitiæ,vel eorum,& cuiuscunq; ipsorum officiali,& in prima sua excusatione, siue responsione,quam fecerit coram prædictis,vel aliquo ipsorum,sponte, purè, & simpliciter confessus fuerit contenta in accusatione,denunciatione,vel inquisitione prędicta,in condemnatione fienda de ipso quarta pars pœnæ originalis pro dicto damno dato personaliter,vel cum bestijs sibi minuatur. Si verò habuerit pacem ab illo, qui damnum passus est, & dictum instrumentum pacis produxerit coram prædictis in publicam formam ante lecturam sententiæ,tunc alia quarta pars pœnæ minuatur,& minui debeat. Volumus tamen, & expresse declaramus, quòd dictum beneficium pacis non vendicet sibi locum, nec opituletur in dictis damnis datis, nisi solum in incisione arborum domesticarum, & fructus hominibus comestibiles producentium, ac etiam in fractura cassinarum, & damnis datis in ipsis cassinis post fracturam. In alijs verò damnis datis quomodocunque, nullatenus dictum beneficium pacis extendatur. Beneficium verò solutionis intra certum terminum cõcessum condemnatis in dictis damnis datis nullatenus extendatur.

De pœna mittentis ignem. Rub. 38.

STatuimus, & ordinamus, cùm propter immissionem ignis in stipulare, vel fractali, sæpissimè multa enormia damna occurrant,& temporibus retroactis occurrerunt, quòd nulla persona de Ciuitate Firmi,& sui comitatus,& districtus,vel aliunde,aliquo tempore audeat,vel præsumat absque licentia D. Capitanei populi, vel sui Iudicis iustitiæ, qui pro tempore fuerint, ignem mittere in aliquo stipulare, vel fractali, seu sodo, in sylua, seu rotis, vel alio quocunque loco, modo, vel forma,pœna,& banno xxv.lib.deñ.pro quolibet,& qualibet vice : & nihilominus damnum emendare teneatur patienti in duplum. Et ille qui habuerit licentiam à D.Capitaneo, vel à suo Iudice,vel à Iudice iustitiæ, ad pœnam Communi soluendam minimè teneatur, sed ad emendationem damni volumus solummodo teneri damnum passo : dummodo petens licentiam à D. Capitaneo, vel suo Iudice, vel à Iudice iustitiæ primò, & ante omnia teneatur, & debeat dare, & præstare dictis DD.Capitaneo, vel Iudici idoneos fideiussores de non faciendo damnum alicui cum igne prædicto, & si fecerit damnum,emendare teneatur modo prædicto.

De pœna damnum dantis in malis arancijs. Rub. 39.

STatuimus, quòd intrantes viridaria malorum aranciorum custodita sine licentia patronorũ, de solo introitu incurrãt pœnam vnius anri vltra pœnam damni illati : exceptis tamen viridarijs, quæ ita angusto calle mari sunt contermina, vt mari vndante per litus iri non possit,

vel aliter ex necessitate propter angustiam, vel aliter transiri non possit; dummodo damnum datum nõ sit. Item statuimus, & ordinamus, quòd si quis inciserit pedem, seu stipitem alicuius malorum aranciorum, citri, vel pomi Adæ, vel ellemoncelli, condemnetur pro quolibet, & qualibet vice in scutis decem. Si verò non inciserit, sed ruperit, seu branconem, in scutis duobus condemnetur pro qualibet vice, & quolibet ramo, seu brancone. Si quis verò damnum dederit aliter, videlicet colligendo fructus ex dictis arboribus, vel ipsorum aliquo, præter citrum, in sol. v. deñ. condemnetur pro quolibet malo arancio, vsq; ad decem mala arancia; ab inde supra, pro quolibet malo in sol. tribus deñ. vice qualibet puniatur: & pro quolibet citro in sol. decem: & operetur pax, & confessio in prædictis. Et in quolibet casu prædictorum teneatur, & condemnetur in eodem processu ad emendam damni damnum passo in duplum; & æstimari debeat per duos proximiores vicinos. Et si in quolibet casuum prædictorum, excepto introitu, condemnatus condemnationem non soluerit Communi intra vnum mensem postquã venerit in fortiam Communis Firmi, nudus per Ciuitatem debeat fustigari: & quòd in prædictis, & quolibet prædictorum pœnæ duplicẽtur de nocte. Et de ijs omnibus Potestas Ciuitatis Firmi, & sui Iudices, & Iudex damnorum datorum, & quilibet alius officialis Ciuitatis, & comitatus Firmi, seu Castri vbi talia fierent, possint, & debeant inquirere, & delinquentes in pœnis prædictis cõdemnare, vinculo iuramenti, & pęna xxv. lib. deñ. de suo salario retinenda; ita tamen, quòd habentes dicta poma, & fructus prædictos teneãtur, & debeant apportare, seu apportari facere ad Ciuitatem Firmi: videlicet tertiam partem ipsorum fructuum, & pomorum prædictorum, & præsentare coram officiali gabellarum Ciuitatis, dicendo, & asserendo numerum, & quantitatem ipsorum pomorum, & fructuum cõcurrentium ad tertiam partem, & officiali gabellarũ riueriæ maris scribi facere; & qui contrafecerit, qualibet vice, qua requisiti fuerint, & non portauerint, in x. lib. deñ. vice qualibet puniatur. Damnum verò dantes in pomis citrorum, in x. sol. deñ. pro quolibet citro, & qualibet vice, & in emẽdatione damni in duplum puniatur, & condemnetur. Addentes, quòd venatores, & aucupes non possint, nec valeant attoccare, vel attentare præiudicialiter pedes, seu ramos supradictarũ arborum cum aliquo genere baculorum, seu cannarum, vel lapidum, ex quo posset damnum inferri iardinis, & arboribus, sub pœna xx. bonoñ. pro quolibet, & qualibet vice, & qualibet arbore. Si verò in dictis iardinis damnum datum fuerit cum bestijs, dominus bestiarum incidat pro qualibet bestia, & vice qualibet in pœnam vnius floreni: & bestiæ inuentæ possint impunè occidi, sicut in hortis, vineis, cannetis, & bladis, & vltra pœnas bestiarum etiam custos puniatur in lib. xxv. si studiosè immiserit: quæ pœnæ de nocte duplicentur. Si quis verò sepem, seu fractam iardini deuastauerit, incidat in pœnam xij. lib.

De pœna mutantis sibi nomen. *Rub. 40.*

SI quis accusatus, denunciatus, inquisitus, vel aliter interrogatus per D. Capitaneum, Iudicem iustitiæ, vel eius officialem, vel coram aliquo ipsorum interrogatus de proprio nomine, & mutauerit sibi suum proprium nomen, vel patris, ex hoc solo de facto absq; aliquo processu condemnetur in centum sol. deñ. & in his operetur beneficium confessionis.

Quòd vnicuique liceat sua auctoritate propria capere bestias inuentas damnum dare in sua possessione, & habeat quartam partem. *Rub. 41.*

STatuimus, & ordinamus, quòd vnicuique, tam domino, & eius familiæ, quàm laboratori, vel laboratoribus, liceat, & licitum sit capere sua propria auctoritate bestiam, vel bestias, quam, seu quas inuenerit damnum dare in possessionibus suis per eum laboratis, dummodo tempore capturæ habeat præsentiam vnius testis, qui testificetur bestiam repertam sic damnum dare, esse, & stare in possessione, siue laboritio talis capientis: dummodo ea die, qua cœperit, vel sequenti, adducat, seu conducat, & præsentet coram officiali damnorum datorum: aliàs si non præsentaret dicto die, vel sequenti coram dicto Iudice, ipso facto ex sola captura, & retentione incurrat pœnam xxv. lib. deñ. in qua Iudex damnorum datorum, Potestas, Capitaneus, vel eorum officialis condemnare teneatur talem sic capientem, & retinentem, & non præsentantem prædicto modo. Et nulli liceat resistere contra capientem, & ad Curiam ducentem animalia prædicta quoquo modo, sub pœna prædicta xxv. lib. deñ. Et quicunque cœperit in damno sibi dato aliquam bestiam de nocte, vel de die absq; aliqua offensione facienda, & ipsam præsentauerit, & in fortiam dicti Iudicis, & officialis posuerit, habeat quartam partem suæ condemnationis: quam executionem dictus Iudex, & officialis vinculo iuramenti facere teneatur.

De dam-

De damno dato cum bobus,& alijs animalibus,cuius malefactor non reperitur. Rub. 42.

Item statuimus,& ordinamus, quòd si quod damnũ repeririretur fore datum in possessione alicuius:videlicet blado,vinea,vel canneto,& metis,horto, & fœno custodito,seu giffato,cum bobus,& alijs animalibus, exceptis ouibus, & non repeririretur damnum dantes cum bobus, & animalibus prædictis,quòd bubulci,siue custodes bobũ,& animalium prædictorum tempore damni dati existentes, siue laborantes in dicta cõtrata,vbi damnum datum esset,propè medium miliare à loco vbi dictum damnũ datum esset,teneantur emendare damnum patienti,& condemnentur inter omnes Cõmuni Firmi in xx.sol. deñ. Et dictum statutũ locum non habeat in blado, & fœno à Kal. Augusti vsq; ad Kal. Aprilis. Et præsumantur,& intelligantur esse dicti bubulci, vel custodes tempore dicti damni dati in contrata vbi dictum damnum datum est, in qua consueti sunt, siue erunt, facere aliquam residentiã,siue laborare, nisi probauerint se dicto tempore dicti damni dati fuisse alibi vltra medium miliare. Et vt clarè liqueat,qui sunt bubulci,in principio officij Capitanei,& intra quinq; dies post bannimentum fiendũ per præsentem D. Iudicem iustitiæ teneãtur se scribi facere à Notario dicti D.Capitanei,qui nomina eorum scribat,& contratas,vbi morantur,& numerum bobum,pœna quinquaginta sol.deñ.pro quolibet ipsorum,& qualibet vice,vltra damni emendationem.

Quòd dominus non possit cogi ad soluendum condemnationem factam de famulo,vel bubulco. Rub. 43.

Statuimus, & ordinamus,quòd dominus,siue patronus nõ possit cogi per officialem damnorũ datorum,vel alium aliquo tempore ad soluendum aliquam cõdemnationem factam,vel quæ fieret in futurũ de aliquo famulo suo bubulco, vel seruiente,nisi vsq; ad concurrentẽ quantitatem salarij,siue stipendij dicto famulo,bubulco,vel seruienti: & vtrum debeat vel non,& quantam quantitatem,stetur,& credatur sacramento domini,vel patroni. Et hoc statutum sit vltimum, & derogatorium omnibus alijs in contrarium loquentibus.

De parte danda accusatori,vel denunciatori. Rub. 44.

Item statuimus,& ordinamus,quòd accusator, vel denunciator semper,& omni casu habeat, & habere debeat dimidiam partem condemnationis, quæ fieret per officialem occasione accusationis,vel denunciationis per eum factæ, & reliqua pars deueniat in Communi. Quam dimidiam partem Bancherius Communis eidem D. Capitaneo, Iudici, seu officiali damnorum datorum persoluere teneatur absq; alia bulla,visa sola condemnatione.

Quòd Capitaneus, seu Iudex damnorum datorum, & eius officiales teneantur dare copiam petenti accusationis,denunciationis,vel inquisitionis. Rub. 45.

Statuimus, & ordinamus, quòd de omnibus processibus faciendis per D. Capitaneum, seu Iudicem,& eius officiales super damnis datis, quilibet ipsorum teneatur, & debeat dare copiam accusationis, vel denunciationis, vel inquisitionis,accusato,denunciato, seu inquisito petenti,vel eius procuratori facto per accusatum,denunciatum,vel inquisitum post excusationẽ,pœna xxv.lib.deñ. pro quolibet, & qualibet vice: dummodo talis accusatus,denunciatus,vel inquisitus, vel eius procurator, vel quiuis alius pro eo non possit opponere aliquam exceptionem ante sui excusationem,seu ante litem contestatam, sed sint omnes exceptiones in ipsa excusatione reseruatæ ipso iure absq; ministerio Iudicis. Et quod dictum est supra in processibus damnorum datorum, idem intelligatur in processibus viarum,& stratarum,pontium,& fontium dictæ Ciuitatis.

De citatis non comparentibus in termino. Rub. 46.

Statuimus, & ordinamus, quòd si quis citatus fuerit per balium Communis personaliter,vel ad domum vna die pro alia, & in termino citationis non comparuerit, possit per Iudicem, seu officiales eius mulctari, & aggrauari de mittendo denarios in Cyppum, prout ipsis officialibus, vel alteri ipsorum videbitur conuenire, vsque ad quantitatem quinque sol. & minus,considerata qualitate personæ,& negotij.

De bannis imponendis per D. Capitaneum, suosq; Iudices, & officiales damnorum datorum. *Rub. 47.*

STatuimus, & ordinamus, q D. Capitaneus, vel eius Iudex, seu officialis, qui nunc est, & pro tēpore erit super damnis datis, vijs, pontibus, & fontibus, pro suo officio exercēdo possit, & debeat bannū imponere pro primo præcepto x. sol. deñ. vel intra: pro secundo xx. sol. deñ. vel intra: pro terrio xl. sol. deñ. seu intra; dummodo vnūquodq; dictorū præceptorum fiat, & fieri debeat per interuallū vnius diei ad minus, & cōtemnētē, seu cōtemptorē huiusmodi cōdemnare possit: & ipsa banna à dictis, seu ab ipsis cōtemptoribus, seu cōtemnētibus exigere, & in Cōmuni facere deuenire. Et contra ipsos cōtemptores possit procedere per inquisitionē, vel alio modo, prout videbitur dicto Capitaneo, seu Iudici cōuenire: & q sui Notarij possint præcipere, mādare, & banna imponere in medietate dictarū pœnarū pro eorū iurisdictione exercenda in absentia D. Capitanei, seu Iudicis, modo, & forma prædictis. Quæ medietas dictarum pœnarum à dictis contemptoribus mandatorum dictorum Notariorum, vel alterius ipsorum, possit liberè exigi cum effectu pro Commune Firmi.

De exbannitis Curiæ D. Capitanei, seu Iudicis capiendis. *Rub. 48.*

ITem statuimus, quòd liceat vnicuiq; exbannitū, seu exbannitos Curiæ D. Capitanei, seu Iudicis damnorū datorū, seu officialium suorū, capere, cogere, & dictis DD. Capitaneo, seu Iudici, & suis officialibus præsentare. Et quicunq; talē exbannitū, seu exbannitos præsentauerit vt dictū est, habeat tres sol. pro qualibet libra cōdemnationis dicti cōdemnati, quæ exigeretur, & deueniret in Cōi. Quos Bācherius Cōis dictorū D. Capitanei, seu Iudicis cuicunq; præsentāti, vel cui præsentauerit exbannitū, vel exbānitos, & cōdemnatos, modo prædicto soluere teneatur. Et si dictus D. Capitaneus, seu Iudex dictā executionē non fecerit, de suo salario illā quātitatē soluere teneatur.

De his, qui inuenti sunt de nocte per officialem, seu familiares Iudicis damnorum datorum, damnum dare. *Rub. 49.*

STatuimus, & ordinamus, quòd si quis inuentus fuerit de nocte per officiales, seu familiares Iudicis damnum dare in aliqua possessione, vel re alicuius personaliter, vel cum bestijs, & arma portauerit, quòd de dictis damnis sibi inuentis possit, & debeat per dictum D. Iudicē, vel Capitaneum contra ipsum procedi, & debeat ipsum condemnare in duplo eius pœnæ contentæ in statuto posito sub Rubrica supra: quòd nullus bubulcus possit portare arma, quod duplum sit pœna originalis, & principalis dicto casu. Et de armorum inuentione stetur, & credatur relationi officialis, seu familiaris, vel alterius ipsorum, sine aliqua alia probatione.

Quòd nullus portet cum bestijs, vel sine, lignamina, vites, cannas grossas, vel minutas, & de damnis datis in rotis custoditis. *Rub. 50.*

ITem statuimus, quòd nullus de Ciuitate Firmi, vel eius districtu, vel aliunde audeat, vel præsumat apportare, vel apportari facere in capite, vel in spatulis, cū bestijs, vel sine, lignamina aliqua, vites, cannas grossas, vel minutas aliunde, quàm de suis possessionibus: & qui contrafecerit, puniatur vice qualibet in x. sol. deñ. Et nemini etiā liceat portare cannas, palos, aut sarmenta, etiam de proprijs possessionibus, sine bullectino Cancellarij cū sigillo Cōmunis, pœna vnius auri pro quolibet, & vice qualibet: & quilibet possit accusare, & quattā partē pœnæ lucretur. Et q Iudex, seu officialis damnorū datorum teneatur, & debeat inquirere, & rimari de prædictis, & culpabiles cōdemnare; & nihilominus cōtrafacientes possint à quolibet accusari, & denunciari. Item statuimus, quòd quicunq; damnum dederit cum bobus, vel capris in rotis custoditis, soluat, & condemnetur pro quolibet boue in sol. quinque deñ. & etiam tantundem pro qualibet capra, & credatur sacramento accusatoris, si dixerit, & iurauerit damnum prædictum fuisse datum.

Quòd D. Capitaneus debeat mittere vnum ex suis Notarijs per vicos, & pageses, & contratas Firmi ad inquirendum pro damnum dantibus. *Rub. 51.*

STatuimus, & ordinamus, ad hoc, vt damna non transeant, vel remaneant impunita, quòd D. Capitaneus, seu Iudex, vel officialis, qui pro tempore fuerit, teneatur, & debeat vinculo iuramenti, & pœna xxv. lib. deñ. de eorū salario vice qualibet, qua prædicta, & dicta neglexerit

obseruare,

obseruare,continuè de die, & de nocte mittere vnum ex suis Notarijs, & ipse Notarius ire cũ familiaribus ipsorũ,vel alterius eorũ per vicos,pagenses, & contratas Ciuitatis Firmi de foris ad inquirendũ, & inuestigandũ,& inueniendũ damnum dantes personaliter,vel cum bestijs in possessionibus, & locis alienis prohibitis per formã statutorum in præsenti volumine cõtentorum, & repertos culpabiles punire in pœnis statutorũ in hoc volumine insertorum: dum tamen dictus officialis nõ possit aliquẽ custodẽ portarũ existẽtẽ ad custodiã portarũ secum cõducere,sub pœna xxv.lib.deñ. pro qualibet vice.

De pœnis duplicandis in damnis datis de nocte. *Rub. 52.*

STatuimus, & ordinamus, ne damna nocturna remaneant impunita, & quia pro maiori parte latenter fiunt,quòd in omnibus, & singulis damnis datis personaliter, vel cum bestijs noctis tempore,& de nocte,pœnæ debeant duplicari: & D.Capitaneus,seu Iudex,vel eius officialis semper in his damnis datis pœnam duplam omni tempore imponere, & exigere teneatur, & debeat cum effectu,ita quòd damna clandestina non remaneant impunita.

Quòd D.Capitaneus, seu Iudex damnorum datorum non possit cogere aliquem ad soluendum ante condemnationem de eo fiendam. *Rub. 53.*

ITem statuimus,& ordinamus, ꝙ D.Capitaneus, vel Iudex damnorũ datorũ nõ possit,nec debeat aliquẽ cogere ad soluendum,vel deponendum aliquã quantitatẽ pecuniæ prætextu alicuius processus,qui fieret per dictos D.Capitaneum,seu Iudicẽ modo aliquo,vel ingenio de pœna quacunq; applicañ.Cõmuni Firmi; nisi post sententiã cõdemnatoriã per eos,vel alterũ ipsorũ latã: saluo in casibus,in quibus in defectũ solutionis pœnę pecuniarię,pœna corporalis imponeretur.

De pœna forensium damnum inferentium in possessione Ciuium, & comitatensium Ciuitatis Firmi. *Rub. 54.*

STatuimus,& ordinamus,quòd cùm honestũ sit,& cõgruum rationi,quod quisq; iuris in alterum statuerit,ipse eodẽ iure vtatur,& sæpè cõtingit,quòd Terræ circunstantes, quæ nõ sunt de comitatu Firmi,damnũ dantes Ciues, & comitatẽses cum eorum bestijs in possessionibus dictarum Terrarum extra comitatũ existentium,vt prædicitur,immodicè puniũr, & condemnãt,quòd illam pœnam sustineat in Ciuitate Firmana,& eadẽ pœna cõdemnetur per D. Capitaneum, seu Iudicẽ iustitiæ, & damnorum datorũ quilibet nõ Ciuis,vel comitatensis cũ bestijs, vel personaliter damnum inferens in possessionibus Ciuium,seu comitatensium, seu in possessionibus Cõmunis; quam sustinerent Ciues,seu comitatenses damnum dantes personaliter,vel cum bestijs in possessionibus Terrarum,seu Castrorum extra comitatum existentium in Terris,seu locis,quibus fieret punitio de prædictis. Et vt officialis damnorum datorum ad reperiendum prædicta magis reddatur attentus, volumus, quòd dictus officialis de prædictis supra contentis in hoc statuto per eum inuentis, habeat dimidiam partem pœnæ eius,quod idem officialis venire fecerit in Communi,& exegerit cum effectu.

Quòd condemnationes non cancellentur non satisfacto domino damnum passo. *Rub. 55.*

ITem statuimus,& ordinamus,quòd officialis damnorum datorum, seu Bancherius Communis Firmi non possit,nec debeat sententiam, nec condemnationem aliquam cassare,vel cancellare, nisi prius damnum fuerit emendatum per condemnatum domino damnũ passo, pœna officiali,seu Bancherio x.lib.deñ.si contrafecerit in prædictis.

Intra quantum tempus possit procedi de damnis datis. *Rub. 56.*

STatuimus,& ordinamus,quòd de damnis datis personaliter, vel cum bestijs in quibuscunque possessionibus procedi non possit quoquo modo per accusationem, denunciationem, vel inquisitionem elapso anno à die commissi damni. Et processus taliter factus ipso iure sit nullus auctoritate præsentis statuti.

Quòd non possit pro cancellatione sententiarum aliquid accipi. *Rub. 57.*

ITem statuimus, & ordinamus, ꝙ nullus Notarius, qui nunc est, & qui pro tempore fuerit ad officiũ damnorũ datorum, vel ad officium cancellationis cõdemnationum,non possit,nec debeat pro cãcellatione alicuius cõdemnationis recipere aliquã pecuniæ quãtitatẽ ab eo,cuius

condemnatio, seu sententia cancellatur, nec ab aliquo alio pro eo, sed proprio salario sit contentus; & si secus fecerit, puniatur tempore sui scindicatus, & ratiocinij in x. lib. deñ. pro quolibet, & qualibet vice. Et quòd prædicti Notarij non possint, nec debeant aliquas condemnationes damnorum datorum cancellare, nisi prius damnum fuerit emendatum damnum passo, sub pœna prædicta.

Quòd D. Capitaneus, vel Iudex iustitiæ non possit aliquem ponere ad torturam occasione damnorum datorum. Rub. 58.

STatuimus, & ordinamus, ꝙ D. Capitaneus, Iudex iustitiæ, vel quiuis alius officialis damnorũ datorũ non possit, nec debeat occasione alicuius damni dati aliquẽ ponere ad torturam, nec aliquod aliud genus tormentorũ sine causa legitima motus: nec possit aliquẽ retinere occasione alicuius testimonij pro damno dato, vel alia causa, nisi per vnã diem; si condemnatio, siue pœna ascenderet ad quantitatem centũ sol. deñ. vel intra. Et si cõdemnatio, siue pœna ascenderet ad quantitatẽ centum sol. deñ. supra vsq; ad lib. xxv. deñ. tunc detineri possit per duos dies. Et si ascẽderet vltra dictã quantitatẽ xxv. lib. deñ. detineri possit suo arbitrio plus, vel minus, cõsiderata qualitate delicti, & conditione testium: & si secus fecerit, puniatur in xxv. lib. deñ. Item non possit aliquem cathenare, seu ad cathenam ponere occasione alicuius damni dati, vel alia de causa, sed solum in pœnis in hoc statuto cõtentis punire, sub dicta pœna, nisi esset pro grauioribus damnis datis de die, vel de nocte; & pro falsitate testiũ; in quibus casibus ei liceat cathenare, & ad cathenam ponere, prout sibi videbitur conuenire. Et quæ sint damna grauiora, arbitrio dicti Capitanei, & Iudicis relinquatur.

De parte danda officiali damnorum datorum. Rub. 59.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd D. Capitaneus, seu Iudex iustitiæ, & damnorum datorũ habeat, & habere debeat de omnibus, & singulis per ipsos, vel eorũ, & cuiusq; ipsorũ officiales inuentionibus quartã partẽ pœnæ eius, quod deuenire fecerit in Cõmuni. Quod statutũ non vendicet sibi locũ in officialibus Castrorũ comitatus Firmi, qui officiales comitatus de inuentionibus factis per eos nec aliquid, nec quartã partem habere volumus vllo modo. Itẽ addẽdo volumus, ꝙ statutũ, quod concedit partẽ officiali damnorũ datorum de inuẽtionibus per eum factis, intelligatur habere locũ quãdo officialis inueniret damnũ dantes cũ bestijs, vel sine, vel exuarchũ, vel cansarolã facientes in fragranti damno, vel exuarcho, & aliter non vendicet sibi locum dictũ statutũ. Habeat etiã officialis Cõmunis Firmi, qui cognoscere potest de ornamentis dominarũ, quartã partem pœnę eius, quod venire fecerit in Cõmuni ratione ornamentorum, & portantiũ ornamenta, vel vestimenta cõtra formã nostrorum statutorũ, si dominas portãtes inuenerit in fragranti crimine portare, & aliter non. Habeat autem dictus officialis quartam partẽ eius, quod deuenire fecerit in Cõmuni, si aliquẽ inuenerit facientem contra formã statutorum nostrorum loquentium de luctu mortuorum, & de cõuiuijs, vel donisijs, siue inuenerit in crimine fragranti, siue non; dummodo ex suo officio, & non ad denunciam, vel accusationem alicuius, qui inuenerit delinquentem, & dicta statuta non obseruantem.

Quòd de damnis datis non possit fieri gratia. Rub. 60.

QVoniam damna data innumerabilia in dies fiunt, & sub spe obtinẽdę in Cernita gratiæ quotidie crescunt: ideo auctoritate præsentis legis statuimus, quòd DD. Priores, qui pro tempore fuerint, nullo modo supplicationes damnorum datorum acceptare possint, nec debeant, nec eas in Cernitis, & Concilijs proponere, nec legi facere per Cancellarium, aut alium quemcunque, sub pœna xxv. lib. deñ. præfatis DD. Prioribus pro quolibet ipsorum, & similiter Cancellario, si ita supplicationes acceptaret, & in Cernitis, & Concilijs legeret.

Quòd custodes portarum teneantur ire cum officiale damnorum datorum. Rub. 61.

CVstodes portarum vadant, & ire teneantur die, noctuq; ad associandũ officiales damnorũ datorum, ad hoc, vt inuentiones non occupentur, vitientur, & fraudentur, & DD. Priores, & Regulatores possint conducere eos cum salario boñ. quinquaginta quolibet mense pro quolibet custode, seu portanario, & habeant bastardellos illos, vbi scribi faciant inuentiones dictorum damnorum datorum.

De pœna capientis columbos columbaria. *Rub. 62.*

STatuimus,ꝙ nullus audeat,vel præsumat attẽtare,vel præparare,vel immittere aliquod agiolum,artificiũ,vel ingenium,in quo capi possint aliqui columbi de columbaria: contrafaciens verò in xxv. scutis vice qualibet puniatur. Si verò cum dicto agiolo,ingenio,vel artificio aliquo columbos,vnum, vel plures cœperit, incurrat pœnam quadraginta scutorum. Si verò quis aliquem columbũ,siue columbas cœperit cum balista,arcu,archibusio,vel aliter quomodocunque, pro quolibet columbo,& qualibet vice eadem pœna puniatur. Sed si contra dictos columbos traxerit cũ balista,arcu,ciarabottana,archibusio,vel manu,& quouis alio instrumento in omni loco, etiam si non percusserit,incurrat eandem pœnam pro qualibet vice. Et in prædictis casibus vnicuiq; liceat accusare cum vno teste,& accusator teneatur secretus,qui lucretur quartam partem pœnæ; & similiter officialis faciens executionem habeat quartam partem dictæ pœnæ; residuum verò veniat in Communi de facto absq; tergiuersatione aliqua. Liceat tamen omnibus,& singulis columbos syluestres capere, & capi facere in rotis,& syluis Ciuitatis Firmi,& etiam comitatus,& artificia,agiola, & ingenia in eis præparare, & præparari facere, & aptare, obtenta prius licentia à DD.Prioribus populi, & Confalonerio iustitiæ dictæ Ciuitatis de aptamine,& cócimine in prædictis rotis,& syluis Ciuitatis,& Castrorum comitatus,quę non habent Vicarios,& Potestates: in rotis verò,& syluis Castrorum comitatus, quæ habent Potestates,vel Rectores,habita,& obtenta licentia à dictis Potestatibus, & Vicarijs, vel aliquo ipsorũ:& contrafacientes licentia prædicta non obtenta,in pœnis prædictis debeant puniri. Et vt copia,& fertilitas columborũ habeatur in Ciuitate Firmi,volumus,quòd omnes, & singuli facientes, vel fieri facientes in territorio Ciuitatis Firmi extra portam dictæ Ciuitatis aliquam columbariam aptam ad retinendum columbos, habeat, & habere debeat à Commune Firmi xxv. lib. deñ. de pecunia dicti Communis.

De pœna capientis,vel necantis pisces in fonte, vel in piscina. *Rub. 63.*

STatuimus,& ordinamus,quòd si quis siccauerit in totum,vel in partem fontem, vel piscinam aliquam,in quibus erunt pisces,vel in prædictis proiecerit aliquas res nociuas piscibus causa eos occidendi,vel capiendi,incidat in pœnam centum scutorum,& trium ictuum funis.Si verò in eis immiserit,vel proiecerit rhetia,vel nertas,hamos,vel quæcunq; alia instrumenta, siue artificia,cum quibus pisces capi possent,incidat in pœnam quinquaginta scutorum, quæ pœnæ de facto,& sine processu aliquo exigantur,& Communi Firmi applicẽtur: & nihilominus ipse dictus malefactor teneatur in duplum domino dicti fontis,seu piscinæ de damno dato in dicto fonte,piscina, & piscibus. Et de prædictis omnibus,& quolibet prædictorum quilibet habeatur,& reputetur,& sit legitimus accusator,& denunciator,& teneatur secretus,& lucretur quartam partem pœnę,& alia quarta pars sit, & esse debeat officialis de ea executionem facientis, & credatur dicto accusatoris cum dicto vnius testis cum iuramento.

De pœna capientis, seu deuastantis examen apium. *Rub. 64.*

DEcernimus,& volumus, quòd si quis examen apium, quod staret inclusum in aliquo alueolo, seu arbore, caperet, vel deuastaret, vel ex eo mel, vel ceram extraheret inuito domino dicti alueoli, siue arboris, incidat in pœnam centum lib. deñ. & nihilominus teneatur in duplum emendare damnum damnum passo in prædictis: quam pœnam nisi intra decem dies, à die in qua fuerit condemnatus,soluerit,per loca publica,& consueta Ciuitatis, vt fur, & latro, fustigetur; & in hoc solum sibi prosit beneficium confessionis,& pacis.

In quibus casibus admittatur accusator,in ijsdem admittatur denunciator. *Rub. 65.*

STatuimus, & ordinamus, quòd in quolibet casu,in quo admittitur accusator ad accusandum coram Iudice damnorum datorum, admittatur ad denunciandum denunciator quomodocunq; denunciet, & illam vtilitatem quam accusator consequeretur ex accusatione aliqua, consequatur denunciator ex denunciatione quacunq; facta,statutis aliquibus in contrarium loquentibus,vel ordinamentis non obstantibus. Et præsens statutum sit præcisum, & derogatorium.

Quòd Scindici Castrorum, & Villarum Ciuitatis Firmi, ad quos spectat, debeant accipere copiam dictorum statutorum omnium in præsenti volumine contentorum. Rub. 66.

STatuimus, & ordinamus, quod omnes Scindici Castrorum, & Villarum districtus Firmi, ad quos spectat, teneãtur, & debeant accipere, & accipi facere copiam dictorũ statutorum in hoc præsenti volumine contentorum, & ordinamẽtorum damnorum datorum, & legi facere in eorũ Castris, & Villis, videlicet in Parlamento publico, ad hoc, vt nullus inferat, vel inferri faciat damnum personaliter, vel cum bestijs in alienis terris, & possessionibus prætextu alicuius ignorantiæ prædictorum. Quam copiam statutorum prædictorum Scindici accipere teneantur, & debeant intra vnum mẽsem proximè venturum à die publicationis præsentium computandum, pœna centum sol. deñ. pro quolibet Scindico, & qualibet vice, qua contrafecerit in prædictis.

Incipiunt Extraordinaria.

De diebus festiuis celebrandis in Ciuitate, & districtu Firmi. Rub. 67.

AD laudem, & reuerentiam omnipotentis Dei, & B. Virginis Mariæ, omniumq; Sanctorum, vt eorũ intercessionibus Cõmune Firmi gubernerur in bono, prospero, & felici statu populari. Statuimus, quòd nullus Ciuis, & habitator Firmi, vel eius districtus aliquod seruile opus, siue laborerium faciat in festiuitatibus istis: videlicet Natiuitatis D. N. Iesu Christi, S. Stephani prothomartyris, S. Ioannis Euangelistæ, Epiphaniæ Domini, die Veneris Sancti, die Paschatis Resurrectionis cum duobus sequentibus, die festi sanctissimi Corporis D. Iesu Christi, die Ascensionis Domini, omnibus festiuitatibus B. Mariæ Virginis, cuius vocabulo glorioso præconio Firmana Ciuitas gubernetur, beatorum omniũ Apostolorum festiuitatibus, B. Laurentij martyris, B. Sauini, cuius corpus in hac Ciuitate requiescit, S. Crucis, B. Io. Baptistæ, S. Michaelis Archangeli, B. Nicolai, B. Francisci, B. Dominici confessoris, B. Augustini, B. Martini, S. Zenonis, S. Gregorij Papæ, S. Vighi, B. Catherinæ virginis, diebus omnibus Dominicalibus: in quibus diebus Dominicalibus etiã nullus Notarius possit contractus, nec aliquas scripturas facere ad officium notariæ pertinentes, sub pœna centũ sol. ipso facto exigendorum pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, tam Notario, quàm cõtrahentibus: & nihilominus dicti contractus, & scripturę sint inefficaces, & nullius valoris. Saluo in testamentis, matrimonijs, pacibus, & fideiussionibus de non offendẽdo, codicillis, & qualibet alia vltima voluntate, in quibus liceat Notarijs se rogari, & de his scripturas conficere impunè. Et cuilibet liceat accusare Notarios, & contrahentes non seruantes prædicta, & accusator teneatur secretus, & habeat tertiam partem pœnę. Diei S. Lucię virginis, festiuitatis basilicæ S. Saluatoris, & specialiter custodiatur, celebretur, veneretut, ac ab omni seruile opere abstineatur. Diei secundę Iunij, in qua extirpatus fuit crudelissimus tyrannus, & draco Raynaldus de Monte Viridi cum suis filijs, & sequacibus, ipsaq. die nec stationes aperiantur modo aliquo, vel ingenio, si DD. Prioribus, & Confalonerio iustitię Ciuitatis videbitur, quòd dicta dies celebretur. Et super his, & circa prædicta omnia Notarius D. Capitanei, vel Iudicis iustitiæ omnibus diebus Dominicis per plateas, & ianuas Firmi inquirere debeat; & si aliquẽ inuenerit delinquentem, vel aliter sibi constiterit, puniat, vel condemnet in x. sol. deñ. ipso facto, & stetur relationi ipsius Notarij, si quem retulerit inuenisse, & contrafecisse circa prædicta. Saluo, quòd sit licitum vnicuiq; volenti deferre poma, herbas, paleas, & extrahere bladum causa comedẽdi de foueis cum hominibus, & bestijs, & aquam causa comedendi, & bibendi, & farinam à molendinis deferre liceat vnicuique. Et saluo, quòd si aliqua necessitas occurreret alicui, & vellet minui sanguinem sibi. Et saluo, quòd impetu temporis, pluuiæ, vel plemæ fluminis, liceat habenti aliquod bladum in area, vel linum in flumine, vel paleas in campo, vel aliquod simile, propter dictum impetum, vel ruinam pluuiæ, vel plemæ causa euadendi: & qui contrafecerit, puniatur vt dictum est, ac etiam condemnetur pro vice qualibet. Quod statutum, & quamlibet eius partem D. Capitaneus, vel Iudex iustitiæ teneatur, & debeat facere scribi in litteris scribendis, & mittẽdis pro parte sua in omnibus Castris, & Villis districtus Firmi in principio sui regiminis, quòd prædictum capitulum præcisè obseruent, & faciant inuiolabiliter obseruare: & si fuerit negligens dictus D. Capitaneus, vel Iudex iustitiæ, perdat de suo salario quinquaginta lib. deñ. Et similiter Apothecarij, seu Stationarij, piper, & res omnes comestibiles dictis diebus possint impunè vendere, & dare volentibus: ac etiã omnibus liceat olera, & alios fructus comestibiles hominibus portare cum eorum bestijs cũ basto, & salmis, & vendere dictas res in plateis,

& alijs locis per Ciuitatē impunè. Non possit tamen aliquis vendiriculus dictos fructus, & olera emere, nec emi facere aliquo quæsito colore causa reuendēdi, pœna xx. sol. pro quolibet, & qualibet vice de facto exigeñ. per officialem, qui per inuentionē suam, aut aliā denunciationē, siue accusam veritatē comperit. Barbitonsores in statione causa necessitatis minuere sanguinē, & alia huiusmodi pro ægrotantibus facere, & videre possint, intra ostium stationis tantùm: dum tamen dictæ exemptiones locum non habeāt, nec vendicent sibi locū in diebus dominicalibus, in diebus Natiuitatis Domini, Paschatis Resurrectionis, & Pēthecostes, & in diebus festiuis B. Mariæ virg. sed ab omni opere, & negotio custodiātur, & venerentur. Et nō possit aliquis in diebus dominicis, vel Paschalibus, & in festiuitate B. Mariæ virg. ponere sellam, vel bastum somerio, nec aliquam salmam cū bestijs deferre, nisi fuerit pro portando cunctium mulieris, quæ iret ad maritum, pœna xx. sol. deñ. sine aliqua remissione vice qualibet pro quolibet contrafaciente, tam ciui, q̃ forensi. Volumus insuper, ꝙ si aliqua ex dictis festiuitatibus occurreret in die sabbathi, in quo fiet forum dictæ Ciuitatis, tunc possint retineri stationes apertæ, & per dictos stationarios, & omnes personas quascunque res omnes vendi impunè: dum tamen in dictis stationibus non fiat aliquod manuale opus, nisi sola rerū venditio, & emptio, vt moris est die fori. Adijcientes insuper, ꝙ vltra prædicta liceat omnibus volentibus ire ad aliquas indulgentias, & inde redire, posse impunè ducere bestias cum basto, & cū eorum salmis: & tinctoribus pannorū lanæ, quando haberent vascellum ad tingendum paratū, & pannos in tiratorijs ad tirādos, vel ad deponendos de dictis tiratorijs. Liceat denique omnia facere, quæ non faciendo inferrent aliquod nocumentum eorum laborerijs. Et similiter liceat volentibus aufugere propter pestem impunè ire, & ducere bestias cum bastis, & salmis: & similiter mulionibus, & alijs forensibus venientibus à locis distantibus à Ciuitate Firmi per quadraginta miliaria: ac etiam venientibus ad nundinas, & facientibus laboritia, & suis famulis ponere bastos pro deferēdo victu, videlicet pane, & vino, & similibus ad suos colonos, & agricolas: & omnia pro infirmis, & ęgrotantibus necessaria impunè facere, nullis obstantibus in contrarium facientibus. Et in supra prohibitis DD. Priores non possint alicui modo aliquo concedere licentiam.

De franchitia venientium ad forum, siue mercatum. *Rub. 68.*

NVllus veniēs ad forum, siue Mercatum in Ciuitate Firmi, tam Ciuis, & comitatiuus, quàm forensis capi valeat, vel detineri aliquo modo pro debitis ciuilibus, nec pro solutionibus equorum, nec pro debitis ciuilibus Communitatum eorum.

De pœna extrahentium grassiam de Ciuitate, & districtu. *Rub. 69.*

STatuimus, & ordinamus, quòd nulla persona audeat, vel præsumat portare, vel portari facere cum, vel sine bestia de Ciuitate, vel districtu Firmi granum, hordeū, speltam, fabas, cicera, carnes viuas, vel mortuas, recentes, vel salitas, neque aliquod aliud genus victualium per mare, vel per terram causa extrahendi de districtu Ciuitatis Firmi: & qui contrafecerit, in lib. centum deñ. irremissibiliter puniatur: & nihilominus perdat bestias ipso facto, & victualia, quæ portauerit. Quarum rerum ablatarum, & inuentarum, vel denunciatarum per aliquē, si probabitur, tres partes sint Cōmunis, & alia denunciatoris, vel inuentoris, vel ablatoris, etiam si officialis Cōmunis fuerit inuentor. Et portare, seu portari facere causa sic extrahendi, intelligatur etiam si repertus fuerit in itinere propè, seu versus terminos, & confines districtus Firmi: dum tamen non eatur ad molendinum districtus; & intelligatur etiam habere animum extrahendi etiā, qui iret versus molendinum, & molēdini fines excederet, vel etiā non recta via iret versus molendinū. Et intelligatur extrahere, qui repertus fuerit ducere, vel portare aliquod genus grassiæ intra confines districtus comitatus Firmi propè ipsos cōfines per quartum miliare. Et in quolibet casu supradicto Potestas, & Capitaneus habeant arbitriū repertos culpabiles puniendi, & cōdemnandi in maiori, vel minori pœna, inspecta qualitate delicti, & personæ, summariè, & de facto, prout sibi videbitur, & placebit. Saluo quòd si aliquis portaret dictā grassiam ad Castra comitatus Firmi de ipsa Ciuitate, vel de vno Castro ad aliud Castrum sui vsus causa cum bulla ordinata per Grasserios Cōmunis Firmi, ad pęnā aliquam minimè teneatur. Insuper nulli liceat vendere granum, hordeum, vel speltam, nec aliquod genus grassię alicui forensi nō subiecto iurisdictioni Cōmunis Firmi sine expressa licentia DD. Priorum Ciuitatis Firmi, ac etiam Grasseriorū dictæ Ciuitatis causa extrahēdi extra comitatum Firmi, & districtus eiusdem, pœna centum lib. deñ. & maiori, & minori arbitrio dicti D. Potestatis, vel Capitanei, qui de prædictis cognosceret. Addēdo dicimus, quòd nemo, vt supra, de Ciuitate, & comitatu, & eius districtu possit extrahere, & ad aliquod

forum portare,conducere, seu portari, & conduci facere caseum,oua,pullos,hœdos,agnos, suillas,& omnia volatilia,& legumina,& omnes fructus hominibus comestibiles,sub pœnis prædictis,tanquàm extraxissent grassiam. Excepto tamen, quòd per viã maris, & ad nundinas extra districtum hæc omnia impunè extrahi possint. Item adijcimus, quòd nullus,cuiuscunq; conditionis existat, audeat,vel præsumat extrahere,vel extrahi facere de Ciuitate,comitatu, vel Terris recommissis ipsi Ciuitati aliquod genus frumenti,vel alterius bladi causa portandi extra territoriũ,& fortiã Ciuitatis Firmi,sine licentia,& bullectino DD.Priorum,& Vexilliferi iustitiæ, ac Potestatis, & manu vnius ex Cancellarijs dictæ Ciuitatis, & habita prius deliberatione solennis Cernitæ, pœna in statutis Ciuitatis Firmi expressa,& declarata,non obstantibus quibuscunq; ordinamentis, & reformationibus minorẽ pœnã inferentibus, cuius pœnæ quarta pars sit,& esse debeat Rectoris, siue officialis punientis; alia quarta pars sit denunciatoris,siue accusatoris; duæ reliquæ partes deueniant in Cõmune Firmi: & cuilibet liceat accusare,& denunciare fraudãtes,& teneatur secretus; cui denunciatori,vel accusatori credatur, inspecta qualitate,& cõditione personæ dicti denunciatoris,siue accusatoris. Si verò officialis Ciuitatis,vel comitatus,vel Terrarũ recõmissarum, reperiret aliquẽ fraudãtem prostimã,& portantẽ extra, vt supra,in fragranti crimine,habeat, & lucretur dimidiã partẽ pœnæ prædictæ. Et si pœnam fraudãs non soluerit intra x.dies à die cõfessionis, vel postquàm de delicto fuerit cõuictus, fustigetur per Ciuitatem Firmanã,& loca publica Ciuitatis nudus: & nhilominus pœnã soluerę teneatur, & pro pęna prædicta reponatur in carceribus. Si verò famulus alicuius repertus fuerit fraudare prostimã prædictã,vel fuerit denunciatus,& cõuictus,vt supra,si haberi poterit famulus prædictus, statim fustigetur, vt supra,& dominus pœnã prædictam pecuniariã de suo proprio soluere teneatur. Et in prædictis officiales procedere possint cõtra prędictos per modũ inquisitionis,ex officio, accusationis,vel denunciationis,& repertos culpabiles punire, & condemnare de facto,summariè,simpliciter,& de plano,omni solennitate,& substantialitate iudiciorũ omissis, solius facti veritate reperta. Officialis verò inquirẽs ex mero officio habere debeat quartã partem pœnæ, quam venire fecerit in Cõmuni, & tres partes veniant in Cõmune. Et nullus de Castris comitatus, & Terris recõmissis possit ire ad molendina cum frumento,vel alio blado causa molendi,sine bulla officialis prædicti; & si contrafecerit,perdere debet Asinum,& salmã,siue aliam bestiã,super qua portauerit,& vltra hoc x.lib.deñ.nomine pœnæ soluere teneatur: & officialis Terrarum, siue Castrorũ debeat post reuersionẽ à molendino recipere,& reauferre bullectinũ prædictum,& penès se retinere. Item ꝙ nemini liceat portare aliquod genus bladi de vno Castro ad aliud sine bullectino DD. Priorum, vt supra, & scripto,vel subscripto vt supra,pœna prædicta statutorum cõtra portantes extra territorium Firmi: & hoc casu non requiratur deliberatio Cernitę,vt supra; & partem habeat officialis in omnibus casibus supradictis,vt supra.Si verò vacaret officium Potestatis,vel Capitanei populi,sufficiat bullectinũ illius officialis, qui erit in Ciuitate,cum bulla DD. Priorum,& Vexilliferi iustitiæ,vt supra. Et prædicta vendicent sibi locũ in præteritis, præsentibus,& futuris,& maximè in cõmissis à sex mensibus citra. Et DD. Priores, & Vexillifer iustitiæ, qui nunc sunt,& pro tempore erunt,non possint cõtra prędicta venire,nec pęnas in totum remittere, vel in parte,nec in Cernitis, vel Concilijs propositas facere,ꝙ remittantur pœnæ prædictæ in totum, vel in partem,nec aliquis consulere,vel arrengare,nec Cancellarius scribere, pœna quinquaginta ducatorũ auri pro quolibet cõtrafaciente,& vice qualibet. Item volumus,quòd DD.Priores, qui nunc sunt,& pro tempore erunt,singulis annis eligere debeant decem Ciues cum arbitrio pleno; qui electi habeant potestatem,auctoritatẽ,& baliam conduci faciendi granum, & aliud bladum in Ciuitatem à Castris comitatus,vel aliunde,prout eis videbitur,& placebit statuere in venditione frumẽti, vel bladi,& mandare Castris,vt portent ad Ciuitatẽ nostram,& omnia faciendi,& pęnas imponendi, prout, & sicut totum Cõcilium Ciuitatis Firmanæ. Et officiales Ciuitatis teneantur obseruare ordinamenta per ipsos facta,& pœnas exigere,pœna centum lib.deñ.eis tempore sindicatus auferenda pro quolibet,& vice qualibet,qua ab eis,& ab eorum quolibet contrafactum fuerit.

De pedagijs non accipiendis. *Rub. 70.*

ITem quòd nemo priuatus, Castrum, vel Vniuersitas districtus Firmi audeat accipere aliquã duanam,pedagium,vel gabellã ab aliquibus transeuntibus vndecunque,& specialiter per riueriam maris,à Tronto vsque ad Portum Sancti Georgij: & si quis contrafecerit,Capitanei arbitrio puniatur vt fur,& latro,nisi à Commune Firmi specialiter commissum fuerit.

Quòd nullus de Castro riueriæ vadat alibi ad habitandum. Rub. 71.

ITem statuimus, q nullus habitator Firmi, qui nunc est, & in posterum veniet ad habitandum in Castris riueriç: videlicet Portu S. Georgij, vel in Castro Turris Palmarum, Bucchæ Bianchæ, S. Andreæ Gruttarum ad mare, & S. Benedicti audeat, vel præsumat ire ad habitandum de vno ad aliud Castrum: & si quis contrafecerit, in xxv. lib. deñ. vice qualibet puniatur: & tale Castrum talem hominẽ recipiens in quinquaginta lib. deñ. condemnetur: & nihilominus talis cogatur ad primã habitationẽ reuerti; saluo quòd ad dictũ Castrum S. Benedicti liceat vndecunq; volẽtibus ire ad habitãdum. Et Capitaneus teneatur dictis Castris notificare prædicta, vt omnia obseruent, quç in hoc capitulo continentur. Et quicunq; ad dictum Castrum S. Benedicti iuerit ad habitandum, habeat franchitiam de non soluendo datiuam vsq; ad x. annos, & quòd venturi habeãtur pro Ciuibus.

De deueto salis. Rub. 72.

SI quis tantæ temeritatis extiterit, quòd in Ciuitate, seu comitatu Firmi sine licentia Cõcilij ipsius Ciuitatis aliquam quantitatem salis paruam, seu modicam, vel magnam de quacunq; Terra, seu de quocunq; loco conduxerit, vel portauerit quoquo modo, seu conduci, vel portari fecerit de extra districtum Firmi, vel sic cõductum receptauerit scienter, vel fecerit receptari, seu sal emerit, seu vsus fuerit pro se, vel sua familia, vel vti fecerit, seu aliquo titulo, modo, ratione, vel colore, seu causa acceperit, seu receperit, vel accipi fecerit, nisi duntaxat illud, & de illo quod vẽditur in Ciuitate Firmi, & per Cõmune ipsius Ciuitatis publicè, vel palàm, cuiuscunq; cõditionis talis temerator extiterit, in quinquaginta lib. deñ. & vltra arbitrio Rectoris realiter, & personaliter de facto, & sine processu aliquo per Capitaneũ, vel Rectorẽ Ciuitatis Firmi puniatur, & sal, cũ bestijs, & rebus, cũ quibus sal prædictũ cõduceretur cõtra prohibitionẽ huiusmodi statuti, eo ipso cõfiscatũ intelligatur; & de prædictis inquiri, & inuestigari possit per quemcũq; Rectorẽ Ciuitatis Firmi; ac etiã quilibet habeatur legitimus accusator, & denunciator, & de prędictis teneatur secretus. Possitq; quilibet, qui dictũ sal reperiretur portare, à quocunq; capi cũ bestijs portãtibus, & duci ad Rectorẽ Ciuitatis Firmi, & à cõdemnationibus factis de prædictis nõ possit appellari, querelari, nec reclamari, vel de nullitate dici, obijci, vel opponi. Nec Rector, vel officialis aliquis de his, quç prędictorũ occasione, seu aliqua ex eis fecerit, vel sententiauerit, possit aliqualiter scindicari, nisi de furto, & baractaria cõmissis in prædictis, vel aliquo prædictorũ duntaxat. Et q de cõdemnationibus, quæ fierẽt, & in pęnis, quæ soluerẽtur de prædictis, vel prædictorũ occasione, quilibet denunciator, relator, vel inuẽtor, habeat quartã partẽ. Rectores verò, seu officiales, qui etiã prædicta inuenerint personaliter, cõtrafacientes in prædictis, vel aliquo prædictorũ, habeãt quartã partẽ de eo, quod venire fecerint in Cõi, & reliquæ tres partes remaneãt in Cõmuni. Quã quartã partẽ habere debeant, tã inuentores, relatores, & denunciatores, q etiã Rectores, & officiales pro eorũ personalibus inuentionibus de pęnis, quas venire fecerint in Cõmuni.

De vestibus, & ornamentis mulierum. Rub. 73.

SIcuti vitis in omnẽ partem nimia diffundens, falce docti agricolæ cohercenda est, vt prodeat in fructũ: sic mulierum vanitas, & luxus, quæ in vestibus, auro, & ornamentis modũ non habent, sanctissimis legibus comprimendus est, vt honestatẽ cõtineant, & maritos ad miseriam nõ redigant. Hac itaq; perpetua lege sancimus, q in posterũ nulla mulier possit, nec debeat vestiri, nec vestiatur vestibus velluti, brochati aurei, vel argenti, siue serici; sed possit tantùm in manicis vestium portare duo brachia ad summũ ex prædictis velluto, brochato, siue serico, & alia duo brachia in alijs ornamentis vltra manicas, & non vltra, sub poena x. ducat. auri pro qualibet muliere, & vice qualibet de dotibus mulierũ portantiũ, ad quam soluendã de facto cogi possint, & astringi mariti Ipsarum: habeantq; de prædictis pœnis quartam partẽ officiales inuenientes, & cum effectu exequentes, & quartam partem accusatores, qui teneantur secreti: & in his accusationibus officiales exequentes habeãt etiam quartam partem: residuum verò dictæ pœnæ sit Communis Firmi.

De donisiis. Rub. 74.

CVm Ciues, & habitãtes Reipublicæ intersit habere locupletes, statuimus, & ordinamus, quòd nulla persona de Ciuitate Firmi, vel comitatu audeat, vel præsumat per se, vel alium aliquo quæsito colore donare, vel donari facere bursas de serico, vel cuiusuis alterius generis, vel

pecuniam,

pecuniam,centuram auream,vel argenteam,filatum,perlas,vel aliquas alias res,vel aliquod ensenium de aliquibus rebus,exceptis fructibus,vel pomis arborũ,nec ornaměta cuiuslibet alterius generis desponsatæ mulieri,vel viro suo,vel alicui recipienti nomine ipsorũ, vel nomine cuiuscunq; alterius directè,vel indirectè,vel aliquo alio quæsito colore ea die,qua maritus ducit vxorem ad eius domũ,vel ad domũ mulieris, vel alia die, qua prædicta per supradictos recipientes dictos honores, vel aliquem ipsorũ fierent,vel ante,vel post occasioně prædictam, sub pœna v.lib.deñ. in qua pœna quilibet contrafaciens,tam dans,quàm recipiens debeat cõdemnari. Et Potestas,& quilibet alius officialis Cõmunis Firmi teneatur,& debeat; videlicet,qui primo præuenerit in procedendo inquirere,& inquisitiones facere contra delinquentes ex eorũ,& cuiusq; ipsorũ officio, siue denunciatione, & ad denunciationem cuiuslibet referentis,& repertos culpabiles punire,& condemnare,& pœnas contra ipsos exigere cum effectu. Et possit contrafaciens in prædictis à quolibet accusari,& denunciari, & habeat accusator,siue denũciator quartam partem pœnæ; quam pœnam in continenti cum cõmissa fuerit,præfati officiales,vel ipsorum alter teneatur exigere de facto,sine strepitu,& figura iudicij,sine aliqua cõdemnatione, nemine in prædictis contrafaciente,& delinquente,pacis beneficium gaudente.

De modo,& forma seruandis in luctu mortuorum. Rub. 75.

STatuimus,& ordinamus, ꝙ nulla mulier debeat ex causa luctus exclamãdo, vel aliquod signũ tristitiæ faciendo in percutiendo manus,vel caput discoopertũ teněndo exire extra domũ,vel stare, seu morari ante, vel iuxta domum,in qua corpus humanum mortuũ fuerit, vel ex qua dictũ corpus extrahi debeat ad sepeliendum,vel in qua luctus quomodocunq; fiat: nec debeat aliqua mulier pannis vidualibus,seu vestibus vestiri extra domum prædictam, vel aliter extra domum ipsam tempore luctus in conspectu gentium apparere, sed intra dictã domum per mulieres vestiri debeat, & non per homines,ad pœnã v.lib.deñ.pro qualibet,& qualibet vice. Et nulla mulier post cadauer,causa luctus faciendi, accedere debeat ad Ecclesiam,vbi corpus sepeliendum erit, vel ad alium locũ causa prædicta,vel alia causa luctus,sub dicta pœna. Et postquã corpus ad sepeliědum portatum fuerit, siue si aliquě extra Ciuitatem mori contigerit,& sepeliri,postquàm luctus,seu tristitia in domo factus, vel facta fuerit, nulla mulier ad domum luctus deinde causa dictum corpus lugendi occasione tristitiæ redire præsumat, exceptis mulieribus in gradũ cõsanguinitatis, vel affinitatis attinentibus vsq; ad tertium gradũ de iure Canonico cõputandũ; & exceptis mulieribus vicinis,& proximis circumcirca per quinque domos. Si qua verò in aliquo ex prædictis,& infrascriptis contrariũ fecerit,puniatur in centum sol.deñ.ad quam pœnã soluědam cogi possit maritus pro vxore. Et maritus,vel eius hæres possit retinere de dote vxoris suæ tempore soluti matrimonij, vel dotis restituendæ; & nihilominus si extra domum contra formã huius statuti mulier exiuerit,vel in ea redierit,in v.lib.deñ. vice qualibet puniatur. Saluo,& reseruato,ꝙ quãdo aliquis Religiosus,vel Religiosa in aliquo Monasterio Ciuitatis moriretur,quòd mulieres possint ad dictũ Monasterium accedere luctus causa: dummodo in eundo, & redeundo honestæ,& cum silentio se habeant,& cum pallio,seu mantello incedant. Et saluo,ꝙ quando mulier aliqua sepelienda esset, & ad locũ sepulturæ accederent huiusmodi mulieres causa sepeliendi ipsam,& inde ad domũ luctus rediret ea vice: dum tamen in eundo,stando, & redeundo honestæ cum silentio,& cum mantello incedant,nulla pœna plectantur. Et nullus homo causa faciendi luctus,tempore luctus ingrediatur domũ,in qua luctus fieret,sub dicta pœna. Saluo,quòd tunc possint intrare dictam domum octo homines ad plus,causa portandi corpus ad sepeliendum, vel extrahendi corpus de dicta domo. Super quibus Potestas,& Iudex prædicti habeant arbitrium inquirendi, procedendi, & puniendi; & teneantur inquirere omni solennitate, & ordine iuris omissis, sub pœna xxv.lib.deñ. de eorum salario soluenda. Item quòd nullus homo,vel mulier possit,& debeat occasione luctus,vel alicuius tristitiæ indui se de nigro,vel alio colore, seu veste designante tristitiam, seu pannos, vel vestes in aliqua parte lacerare,vel discusire,seu laceratos,vel discusitos portare,sub pęna v.lib.deñ.pro quolibet. Saluo,quòd vxor pro marito,filius,& filia pro patre, frater pro sorore carnali, & è conuerso: & nepos carnalis cuiuscunq; sexus, & patrui, & auunculi carnales pro nepotibus possint pannos, & vestes cuiuscunq; rationis etiã designantes tristitiã delaceratos,vel discusitos portare secundũ consuetudinem hactenus obseruatã: quæ vxor possit vsq; ad annũ à morte sui viri computandum vestě delaceratam portare. Aliæ verò personæ,& consanguinei prædicti supra exceptuati vsq; ad mensem tantũ, & non vltra,& elapsis terminis prædictis,dictas vestes sutas, & cusitas portare possint vsq; ad annum tantùm: nec aliquis,vel aliqua possit,vel debeat ensenium aliquod mittere,vel mitti facere ad domũ,

ex qua cadauer extractum fuerit,vel in qua luctus,vel tristitia fuerit die mortis tristitiæ,seu luctus,& tribus diebus proximis seqnentibus,sub dicta pœna: exceptis consanguineis vsq; ad tertium gradum computandũ de iure Canonico,& vicinis vsq; ad tres domos ex vtraq; parte domus. Item statuimus, & ordinamus,quòd pręter corpora miserabilium personarum,& pauperum,qui nõ haberent in bonis centum libras,vel qui propter paupertatẽ non possent facere capsam,& præter homines de Fraternitatibus,qui consueti sunt se fustigare,qui sepeliri possint cum sacco secundum eorum cõsuetudinem, & præter corpora Militum,qui possint sepeliri pro eorũ libito voluntatis,& præsenti statuto in aliquo nõ ligentur,sed exceptuari totaliter habeãtur,omnia alia corpora mortuorum,tam masculorũ,quàm fœminarũ,cuiuscunq; cõditionis existant,in dicto ordine debeant sepeliri, & ad sepeliendum portari: videlicet in capsa clausa,& cooperta. Et in associando demum corpus ad Ecclesiam,in qua sepeliri debet,portari possint accensi octo cerei tantùm,& nõ plures. Et possint accedere omnes Fratres illius loci,in quo corpus sepeliendũ erit,cũ sex fratribus cuiuslibet alterius Ordinis,& nõ vltra,cum omnibus Clericis suæ Parrochiæ. Si verò sepeliri deberet in aliqua Ecclesia Parrochiali,vel laicali,tunc possint accedere omnes Clerici talis Ecclesiæ,vel alterius Capellæ : dummodo interesse non possint vltra octo clericos laicales,clericis suæ Parrochiæ cõputatis. Et possint etiã accedere sex Fratres cuiuslibet alterius Ordinis dictæ Ciuitatis,& præbens,seu dans candelas prædictis clericis,& fratribus associantibus dictũ corpus,teneatur,& debeat illas accẽsas ponere in manibus eorundẽ. Pueri autẽ parui intra annum constituti portentur in brachijs inuoluti in pannicellis de panno laborato, vel de serico,vel alijs pãnis pro libito voluntatis. Cęteri pueri maiores vno anno vsq; ad quatuor mortui ad sepeliendũ portẽtur in pauese discooperto pro libito : à quatuor verò annis supra portẽtur in capsa,modo, & forma prædictis. Volumus etiã,& statuimus,ꝙ pro offerta,& oblatione clericorũ,& fratrum,non possint dari Capellanio, Priori, Guardiano , vel Lectori alicuius Monasterij , vel Ecclesiæ secularis vltra quatuor candelas pro quolibet, & cuilibet alteri clerico nõ presbytero vltra vnã candelam, & dentur accensę, vt pręfertur. Ac etiã volumus,ꝙ nullus homo extra domũ,vnde extrahitur dictũ corpus mortui,die,& tempore quo dictũ corpus ad sepeliẽdum portatur,& ante ipsum diẽ, & post alta voce exclamare,vel vociferare debeat quoquo modo in faciendo corruptum, seu tristitiam mortui,nec debeat manus percutere,seu faciem,vel capillos trahere in signum tristitiæ,nec stando ante dictam domum, vel in eundo, vel redeundo ad Ecclesiam, & ab Ecclesia,in qua debet dictum corpus sepeliri : possit tamen voce submissa,& tacita plorare pro libito voluntatis. Et qui contra prædicta,vel aliquod prædictorum fecerit,sine processu,& de facto puniatur in v.lib.deñ. Et hęres,siue hęredes defuncti,seu quiuis alius,qui portari fecerit dictũ corpus contra prædictã formã ad sepeliendũ,in v.lib.deñ. vice qualibet puniatur. Portãtes antẽ corpus aliquod alibi ꝙ in capsa,vel pauese cõtra dictã formã,de facto sine processu aliquo in quinqnaginta sol.deñ.vice qualibet puniatur pro quolibet ipsorũ. Adijcientes,ꝙ in exequijs, siue officijs mortuorũ cãpanæ nullo modo pulsentur ad mœstitiã, & etiã in mense Augusti, dum fiunt nundinæ,in funere mortuorũ,ne suspicio aliqua pestis inferatur forensibus venientibus ad nundinas.

De conuiuijs,& ordinamentis in ipsis seruandis. *Rub.* 76.

STatuimus,& ordinamus, ꝙ quicunq; vxorem duxerit,in cõuiuio nuptiarum , seu tẽpore quo conuiuium fecerit propter nuptias,nõ possit, nec debeat habere vltra xx. personas ad comedendũ in ipso conuiuio ex vtraq; parte viri,& vxoris: exceptis seruitoribus ad seruiendũ stãtibus, & domesticis ipsius viri habitantibus in domo sua , & exceptis minoribus xiiij. annis masculis, vel fœminis non conuiuatis . Volumus etiam,quòd intra mensem à die contractarum nuptiarum, siue conuiuij propter nuptias computandum , nullus ex consanguineis viri faciat conuiuium , in quo habeat vltra octo personas ; exceptis domesticis, & minoribus, ac personis supra nominatis, qui possint impunè in dicto conuiuio interesse. Volumus etiam,quòd quicunq; tradiderit aliquam nuptui,vel ad virum miserit,& in posterum voluerit ipsam, & suum virum ad domum suã reducere ad comedẽdum, vt moris est,debeat suis expensis conuitare. Et maritus,vel alter pro eo tali sic reducenti nullum ensenium facere , vel mittere debeat quoquo modo , in quo conuiuio non possint conuiuari nisi vxor , & vir , & consanguinei viri, & vxoris , qui inter vtranque partem sint decem, & non vltra : exteptis domesticis, seruitoribus, & minoribus supradictis ; & qui contrafecerit in prædictis , vel aliquo prædictorum,de facto,& sine remissione aliqua,& processu in quinque lib. denariorum vice qualibet puniatur . In alijs verò conuiuijs , quocunque modo fierent, non possint conuitari , nec ad comedendum interesse vltra duodecim personas,exceptis seruitoribus,& alijs personis supra exceptuatis,qui possint

impunè huiusmodi conuiuijs interesse; & qui contrafecerit, in censum sol. vice qualibet puniatur de facto sine diminutione aliqua, & sine processu aliquo à delinquentibus exigenda. Item quòd quilibet Potestas Ciuitatis Firmi, qui est, & fuerit pro tempore, teneatur, & debeat, vinculo iuramenti in principio sui regiminis, & quolibet mense durante suo officio, omnia supradicta statuta de ornamentis dominarum, luctu mortuorum, & de conuiuijs particulariter, prout superius in singulis capitulis sunt descripta, in locis publicis, & consuetis banniri facere; sub pœna ... de suo salario sui scindicatus tempore retinenda per Bancherium Communis Firmi, vt statuta ipsa deueniant ad notitiam singulorum.

Quòd nulli liceat aliquod nouum opus facere, vel fabricare, seu fieri facere, vel fabricari iuxta viam publicam, vel vicinalem, non habita licentia, & præsentia, & auctoritate officialis, seu D. Capitanei, & vicinorum. *Rub. 77.*

Item statuimus, quòd nulli liceat aliquod nouum opus facere, vel fabricare, seu fieri facere, vel fabricari facere sine præsentia, & auctoritate D. Capitanei, seu sui officialis, vel Iudicis iustitiæ, & trium proximorũ vicinorum, iuxta aliquam viam publicam, vel vicinalem, vel aliquẽ aliũ locum publicum in Ciuitate prædicta: & qui cõtrafecerit, puniatur in lib. x. deñ. vice qualibet, qua cõtrafecerit in prædictis: & nihilominus si apprehenderit, vel occupauerit aliquid de via publica vel vicinali, illud ædificatum idem D. Capitaneus in pristinum statum reduci faciat, & demoliri: & hoc locum habeat in Ciuitate tantũ. Statuentes etiã prædicta habere locum in Castris dictæ Ciuitatis, quæ officialẽ recipiunt à Cõmune Firmi; dum tamen sufficiat habere præsentiam officialis ipsius Castri, & trium, seu duorũ Massariorum ipsius Castri deputatorũ ad regimen eiusdẽ, ac Scindici dicti Castri, & auctoritas ipsorum. In alijs autẽ Castris non habentibus officiales à Cõmune prædicto volumus etiã prædicta obseruari debere, dum tamen sit præsentia Scindici, & quatuor Massariorum dicti Castri. Et si eorum auctoritas interuenerit, tale opus nouum construens ab huiusmodi pœna valeat excusari.

Quòd nullus possit vendere vuas, vel alios fructus non maturos. *Rub. 78.*

Item statuimus, & ordinamus, quòd nullus possit vendere vuas, poma vel fructus aliquos non maturos absq; expressa licentia D. Capitanei, vel Iudicis iustitiæ Ciuitatis Firmi: & qui contrafecerit, condemnetur in xx. sol. deñ. Et quilibet possit accusare talem contrafacientem, & habeat medietatem banni, & credatur sacramento accusatoris, & nomen eius teneatur in secreto.

De grantijs non faciendis in primis, & secundis senaitis. *Rub. 79.*

Item statuimus, & ordinamus, quòd nullus audeat, vel præsumat habere aliquã grantiam, vel locum in quo, vel in qua habeat aliquas pecudes circumcirca Ciuitatem in primis, & secũdis senaitis: & qui contrafecerit, dictam grantiam inde remouere teneatur, & puniatur in lib. xxv. deñ. Saluo, quòd si dictam grantiam intra prædictos confines fecerit, vel fieri fecerit de voluntate, cõsensu, & deliberatione D D. Priorum populi, & Vexilliferi iustitiæ, & D D. Regulatorum dictæ Ciuitatis, ad prædictam pœnam, & remotionem minimè teneatur.

Quòd nullus habeat nisi vnam grantiam per contratam, seu vicum. *Rub. 80.*

Item statuimus, & ordinamus, quòd nullus possit, nec debeat habere intra senaitas Ciuitatis Firmi, nisi vnam grantiam tantùm per contratam, seu vicum: & si quis contrafecerit, cõdemnetur per D. Capitaneum, seu eius Iudicem in quinquaginta lib. deñ. Et nullus possit aliquo modo per modum venditionis, submissionis, obligationis, vel alio quocunque colore quæsito, directè, vel indirectè vltra vnam grantiam facere, vel habere, vt superius dictum est; sub dicta pœna, & grantiam contra prædicta factam amouere teneatur.

Quòd nullus bubulcus possit portare aliqua arma. *Rub. 81.*

Statuimus, & ordinamus, quòd nullus bubulcus, custos bestiarum, seu grancerius bestiarum possit, nec valeat extra Ciuitatem Firmanã, quãdo vadit cum bestijs, & eas custodit, portare aliqua arma offensibilia, nisi tantùm vnũ bastonẽ, seu stimulũ cum arella plana: & si quis cõtrafecerit, vel inuẽtus fuerit, puniatur vice qualibet in x. lib. deñ. per D. Capitaneũ, seu eius officialẽ. Et de omnibus, & singulis supradictis credatur, & stetur relationi officialis D. Capitanei, seu eius familiæ:

miliæ; & nihilominus possit à quolibet accusari. Saluo, quòd sit licitum eis portare falcionem à putando, siue falcem à metendo bladum, & fœnum, & falcem inhastatam, seu ronchonem: & prædicta intelligantur, & locum habeant tempore pacis. Tempore verò guerræ liberè portare possint arma etiam offensibilia: & quando dubium esset an sit tempus pacis, vel guerræ, declarationi D. Capitanei populi, vel Iudicis iustitiæ relinquatur.

Quòd nullus possit retinere nisi quatuor boues armentitios. Rub. 82.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nullus possit, vel debeat in dictis grantijs, vel alibi retinere, vel habere vltra quatuor inter vaccas, & boues armẽtitios, vel gencos armẽtitios: & qui contrafecerit, habuerit, vel retinuerit, puniatur, & condemnetur per D. Capitaneum populi Ciuitatis Firmi, seu eius officialem, in x. lib. deñ. pro quolibet, & qualibet vice, & bestiæ vltra dictum numerum deuenianț in Commune Firmi. Saluo, quòd præsens statutum non præiudicet grantijs, siue dominis grantiarũ, qui habent grantias in plano Tennæ à Castris Gruttarum Azolini, Malliani, & plani ipsius fluminis, & vltra dictum flumen, & planum vsq; ad mare, & in plano Etæ, & vltra Etam simili modo, statuto aliquo non obstante in contrarium loquente.

De vijs, & stratis mundandis, & tergendis vbique per Ciuitatem. Rub. 83.

STatuimus, & ordinamus, ꝙ quælibet persona de Ciuitate Firmi, seu habitator, vel habitatrix dictæ Ciuitatis debeat tergere, & bene scopare, & purgare vias, & stratas in dicta Ciuitate: videlicet quælibet persona ante domum suam propriam, vel conductam pro habitatione, vel quocunq; alio modo, ita quòd habitans, & retinẽs domum teneatur ad hoc de omnibus immunditijs, videlicet terra, lignamina, arena, cęno, letamine, vel aliqua alia immunditia, ad pœnã v. sol. Et prædicta dictus D. Capitaneus, Iudex, vel officialis teneatur, & debeat banniri facere per Ciuitatẽ quatuor vicibus in mense in die Veneris de sero pro die sabbathi: excepto, ꝙ si aliquis de Ciuitate faceret aliquod opus lapidũ, vel lignaminũ in sua domo, & occasione ipsius operis haberet ante domũ suã lapides, vel lignamina, calcem, vel arenam, D. Capitaneus, Iudex, seu officialis possit tali habenti prędictas res ante domum suã occasione dicti operis pręfigere, & ordinare terminum cõpetentem, prout ipsi D. Capitaneo, Iudici, vel officiali videbitur conuenire: intra quẽ talis volens ædificare debeat, teneatur, & possit dictũ opus facere, & res ipsas prædictas omnes leuare, & disgombrare, & tollere de ipsis stratis, & vijs ante dictã domum, ad dictã pœnã v. sol. deñ. pro qualibet vice, qua contrafecerit si prædicta nõ leuaret: & nihilominus dictus officialis teneatur, & debeat quater in mense quolibet mittere vnũ ex suis Notarijs ad videndum muros Ciuitatis, maximè à parte anteriori, & ad videndum conicchios dictorum murorum ne obturentur: ac etiã ad videndum ne iuxta dictos muros proijciatur aliqua turpitudo, vel letamen, vel aliud, quod præstare possit impedimentum, vel detrimentum dictis muris; & si proiectum fuerit, ipsum tollere faciat, & proijcientẽ condemnet in dicta pœna. Ac etiã videat, & inquirat per Ciuitatem, si aliqui sunt, qui fecerint cõtra prædicta, vel aliquod prædictorum descriptorũ in præsenti statuto; & credatur relationi dicti Notarij, & familiaris, qui iret cum dicto Notario, sine aliqua alia probatione, facto primò bannimento de prædictis per loca consueta dictæ Ciuitatis per bannitores Cõmunis, quod bannimentum scribi debeat, & dictus Capitaneus, seu Iudex teneatur, & debeat facere, & fieri facere, vinculo iuramẽti, & pœna centũ sol. omni mense quater, vt supra dictũ est.

De pœna facientis suzuram in vijs publicis. Rub. 84.

ITem statuimus, & pręsenti lege firmamus, ꝙ nemo proijciat per aliquam fenestram, vel balconem ex alto quocunq; modo aquas, nec aliquas alias immunditias in vijs, vel locis publicis, nec coria, seu capita, aut cornua aliquorum animalium, seu suzuras, vel alio quolibet modo, sub pœna xx. sol. deñ. pro quolibet, & qualibet vice, qua in prædictis contrafactum fuerit. Et quòd nullus proijciat aliquod animal mortuum intra muros Ciuitatis, vel in aliquo loco, per quod euntes per viam patiantur fœtorem, sub dicta pœna. Et quòd nulli liceat habere aliquam fenestram super vijs publicis in trasandis, vel alijs locis, per quã proijciatur aqua, suzura, seu aliqua immunditia in dictis locis, vel aliquo eorum, sub pęna centũ sol. deñ. Et quilibet possit accusare de suprascriptis, & infrascriptis, & habeat, & habere debeat medietatẽ banni, & stetur, & credatur sacramento accusatoris cũ vno teste. Et ꝙ nullus debeat impedire andronẽ vicinalẽ, siue introitum cũ aliquibus obstaculis in præiudiciũ adiacentiũ, nisi ꝙ possit facere vnum pedẽ scalarũ, seu gradilẽ secundũ formã statutorum,

sub pœna x. sol. den. Et quòd nullus sanguinator audeat in dictis locis sanguinem proijcere, sub dicta pœna, sed in foueam tantùm, quam habere debeat in statione, siue domo sua. Et quòd nulli liceat habere aliquod sedile, siue priuasium, vel eo vti, ex quo aliqua turpitudo fluat, vel decurrat in aliquem puteum, vel cisternam, vel foueam, ex qua fœtor in publicum, vel vicinis adueniat, pœna x. lib. den. Et quòd quilibet teneatur habere ante domum, & tenere viam ita planam, quòd aqua de directo possit per ipsam viam currere, nec ipsam altiet, vel extollat, quòd in aliam partem inferiorem viæ decurrat, vel in domum alicuius vicini intret, vel tædium inferat: nec præsumat letamen iuxta ipsas vias habere, vel proijcere, vel proijci facere, propter quod aliqua immunditia perueniat in vias publicas, vel plateas, sub pœna decem sol. den. quoties per aliquem fuerit contrafactum.

De proijciente aliquam bestiam mortuam propè muros. Rub. 85.

STatuimus, & ordinamus, quòd nullus de Ciuitate Firmi, nec incola, seu habitator eiusdem Ciuitatis audeat, vel præsumat proijcere, vel proijci facere aliquam bestiam mortuam propè muros Communis, seu foueas, & carbonarias Communis Firmi, per quinquaginta cannas ad cannam Communis: & qui contrafecerit, in x. lib. den. vice qualibet puniatur.

Quòd nullus emat fructus alibi, quàm in platea. Rub. 86.

STatuimus, & ordinamus, quòd nullus vendiriculus, seu vendiricula, vel alius alter ad minutũ vendens, quocunq; nomine censeatur, possit, vel debeat modo aliquo, vel ingenio emere, vel emi facere aliquos fructus, antefolia, ficus, pyra, mala, pruna, cerasa, nuces, seu alios fructus, nec olera, item lepores, nec aliquod aliud animal venale domesticum, seu nõ domesticum, viuum, vel mortuũ; item gruem, vel perdicem, qualeas, turdos, anates, seu columbos, alibi quàm in platea, seu plateis publicis Cõmunis Firmi, nec dictos fructus, seu olera emere possit, nisi à persona cognita, & à domino, vel laboratore possessionis, ita quòd sciatur à quo emerit palàm. Et dictos fructus, olera, animalia, & aues emere non possit ante pulsationem campanæ horæ nonæ: & qui contrafecerit puniatur vice qualibet in centum sol. den. Et vendens prædicta, vel aliquod prædictorũ, puniatur in medietate dictæ pœnæ; & possit à quolibet accusari, & accusator habeat medietatem banni, & nomen accusatoris teneatur secretũ: & nihilominus Iudex, seu officialis prædictus, qui pro tẽpore fuerit, teneatur, & possit ex suo officio de prædictis inquirere, & culpabiles condemnare in pœnis prædictis. Et similiter nullus ipsorum vendiriculorũ possit, nec debeat ire, nec stare ad ianuas Ciuitatis Firmanæ, vel extra propè per medium miliare Ciuitatis prædictæ ad emendum prædicta, vel aliquod prædictorum, sub pœna prædicta. Et officialis inueniens facientes contra prædicta, vel aliquod prædictorum, possit condemnare, & habeat quartam partem totius condemnationis.

Quòd nullus apprehendat aliquam grauariam. Rub. 87.

ITem statuimus, ꝙ nulla persona audeat, vel præsumat apprehendere aliquam grauariam currentem, vel defluentem per vias, & stratas publicas Ciuitatis Firmi, & per ipsam Ciuitatem, causa ducendi, vel mittendi per domũ suam, vel ad alium locum in Ciuitate, vt ex inde possit aliquis, vel aliqua recipere damnum aliquod, vel iacturã: & qui cõtrafecerit puniatur vice qualibet in centum sol. den. Et quilibet possit talem delinquentem accusare, & denunciare, & habeat talis accusator, vel denũciator medietatem banni: ꝙ si quod damnum aliquis ex inde sustinuerit in missione dictæ grauariæ, immittens ipsam grauariam teneatur, & debeat damnum passo emendare prædictũ damnũ.

Quòd nullus proijciat aliquam bructuram, seu fuzuram ex alto. Rub. 88.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nulli liceat proijcere, vel proijci facere aquam, vel aliam fuzuram de alto per balconem, fenestram, profertnum, trasandam, vel alio loco ex alto, de domo, vel vbi habitauerit, vel permanserit, in stratis, siue vijs Communis, siue andronibus vicinalibus. Et si dicta aqua, vel fuzura aliqua tetigerit aliquem, in centum sol. den. vice qualibet condemnetur. Si verò non tetigerit, in viginti sol. den. condemnetur. Cuius banni medietas sit Communis, & alia accusatoris: & possit à quolibet accusari, & denunciari, & teneatur secretus. Et nulli liceat habere in aliqua parte domus suæ aliquod versatorium in alto, quod sit propè ostium alicuius per duas cannas Communis Firmi, vel minus: & qui contrafecerit, puniatur in centum sol. denariorũ.

Nec

Nec liceat alicui habere versatorium altius à terra vno pede, saluo quòd in grugijs, dummodo non excedat altitudinem tecti sui vicini, ne aqua vadat per tectum.

De carrarijs, & vecturalibus, & mulaterijs cogendis per D. Capitaneum, seu Iudicem. *Rub. 89.*

STatuimus, & ordinamus, quòd Iudex damnorum datorum, seu eius officialis possit cogere carrarios, & alios mulaterios, & vecturales diebus festiuis, non tamen diebus Dominicis, & festiuitatibus principalibus B. Mariæ semper Virginis, apportare arenam ad viam, & per viã maris, & pœnas imponere, & exigere de facto, prout sibi videbitur: & in prædictis ipsi, seu alter ipsorum plenum arbitrium, & baliam habeat vsq; ad quantitatem decem sol. deñ. pro qualibet vice, & minus, considerata qualitate personarum, & facti.

Quòd Iudex habeat arbitrium inquirendi, & procedendi contra omnes, qui accepissent lapides viæ, quæ est iuxta stratam S. Francisci. *Rub. 90.*

STatuimus, & ordinamus, quòd D. Capitaneus, seu Iudex, vel officialis præsens, vel qui pro tẽpore fuerit, habeat arbitrium inquirendi, & procedendi cõtra omnes, qui accepissent, vel acciperent lapides viæ, quæ vadit ad mare iuxta stratam S. Francisci, & ex dicta strata, & alias res Communis, vtputa, ligna, calcem, lapides, & alia parata ad vtilitatem pontium, fontium, & viarum Communis, & ipsos condemnãdi vsque ad quantitatem decem lib. deñ. & minus, considerata qualitate delicti, & ad exigẽdum habeat arbitrium, & iurisdictionem. Idem Iudex cum duobus officialibus eligendis per DD. Priores, possit partem quam voluerit murationis, & constructionis dictæ viæ imponere vicinis habentibus domos iuxta viam ipsam, & stratam pro libito voluntatis, & ipsas exigere, pœnas imponere, & mulctare, prout ipsi Iudici videbitur, statutis, & reformationibus aliquibus non obstantibus. Et possit Iudex præsens, & qui pro tempore fuerit, de pecunia introitus sui Bancherij quibuscunque dictam stratam murari facere, & aptari, vt sibi melius videbitur expedire, & conductum facere in dicta strata pro salute dictæ stratæ pro tribus partibus sumptus, & pro quarta parte sumptuum vicinorum adiacentium: qui adiacentes per dictum Iudicem, & suos officiales debeant declarari. Qui conductus incipiat in pede borgaminis Fontis Solaminis, & mittatur in eo loco, seu parte, in qua declaratum, & ordinatum fuerit per dictum Iudicem, & officiales prædictos, vt dictum est. Et D. Iudex de prædictis teneatur, & debeat vinculo iuramenti, & pœna decem lib. deñ. de suo salario quolibet mense diligenter inquirere.

De iurisdictione Iudicis circa pontes, fontes, vias, & de parte Iudicis quam exegerit. *Rub. 91.*

STatuimus, & ordinamus, quòd D. Capitaneus habeat plenam iurisdictionem, arbitrium, & baliam circa pontes, & fontes, & vias fieri faciendas, reparandas, & manutenendas. Et vt prædicta magis sollicitè exequantur, & pecunia habeatur pro operibus opportunis, statuimus, ꝙ dictus D. Capitaneus, seu Iudex de condemnationibus, vel exactionibus antiquis tempore suorũ præcessorum debentium Communi, habeat per libram secundum modum, & formam positam in libro secundo Rub. de parte danda officialibus de condemnationibus veteribus: de ijs quæ executioni mandabit, & deuenire faciet in Communi, vt reparetur opus, & alia opera Communis necessaria fiant, & executioni mandentur.

Quòd nullus projiciat letamen, vel suzuram in via maris, vel intra muros. *Rub. 92.*

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nullus audeat, vel præsumat aliquam suzuram, vel letamen proijcere, seu proijci facere in via, seu strata maris, vel iuxta muros Ciuitatis Firmi à parte interiori, vel exteriori per vnam cannam: & qui contrafecerit in prædictis, vel aliquo prædictorum, puniatur in centum sol. deñ. & dictum letamen in dictis locis, vel aliquo ipsorum iacens possit impunè à quocunque portari, & accipi inde.

Quòd nullus debeat dare expensas alicui laboratori. *Rub. 93.*

STatuimus, & ordinamus, ꝙ nulla persona audeat, vel præsumat dare, seu dari facere alicui laboratori, seu pretiarolo, vel sportanario, qui pro pretio retinerẽtur, & cõducerentur ad laborandum, seu aliquod opus faciendũ, aliquas expensas, seu victualia pro comestione, seu potu:

& quòd nullus laborator similiter, vel preciarolus, nec sportanarius possit, nec debeat expensas, vel victualia aliqua petere, nec recipere, sub pœna xx. sol. pro quolibet, & qualibet vice: & ad eandem pœnam dans, & conferens dictas expensas, seu victualia teneatur. Saluo, quòd sit licitū vnicuiq; tempore messium dare laboratoribus, quando steterint ad battendum bladum, expensas; & ipsi laboratores frumenti possint impunè accipere expensas, & victualia pro die, quo steterint ad battendū. Et de prędictis D. Capitaneus, seu Iudex, & eorū officialis, & quilibet ipsorum teneatur, possit, & debeat inquirere, cognoscere, punire, & condemnare contrafacientes in dicta pœna: & nihilominus possit à quolibet accusari, & credatur sacramento accusatoris cum dicto vnius testis: & hoc non vendicet sibi locum in muratoribus, manualibus, & magistris lignaminum. Quæ omnia dictus Iudex, & D. Capitaneus teneantur obseruare, & obseruari facere, sub pœna x. lib. de suo salario, & vinculo iuramenti.

De vijs, siue landronibus vicinalibus murandis. *Rub. 94.*

STatuimus, & ordinamus, quòd Iudex viarum, & damnorū datorum Cōmunis Firmi, qui nunc est, & pro tempore fuerit in dicta Ciuitate, teneatur, & debeat vinculo sacramenti, & pœna xxv. lib. deñ. ad petitionem cuiuscunq; petentis, videlicet de vicinis, landrones, siue vias vicinales in Ciuitate Firmi positos expensis vicinorum, & adiacentium dicti landroni, siue viæ secundum qualitatem domorum, & cōditionem dominorum ipsarum domorum, quod petitum fuerit, facere murari, & fabricari de bonis lapidibus, ita, & taliter, quòd sit habilis ad ambulandum, & prædicta facere intra mensem postquàm sibi petitum fuerit, dummodo maior pars vicinorum sit in concordia.

De vijs, pontibus, & fontibus aptandis, & reparandis. *Rub. 95.*

STatuimus, & ordinamus, quòd D. Capitaneus, seu Iudex, vel officialis viarum, & damnorum datorū, qui nunc est, & pro tempore erit, teneatur, & debeat vinculo sacramēti, & pœna xxv. lib. de suo salario soluenda ad petitionē cuiuscunq; petentis, vel denunciantis, omnes, & singulas, tam publicas, q̃ vicinales vias, seu stratas, pontes, & fontes reducere, & reduci facere in vsum communem illorum, quorum interest, & ad quos pertinēt dictæ viæ, stratę, pontes, & fontes, & omnes, & singulas ipsas stratas, & vias intra Ciuitatem, & extra pontes, & fontes faciat reaptare per vicinos, & adiacentes, & euntes, & redeuntes, & omnes tenentes, & debentes per formā statutorum ipsas vias, & ipsos pontes, & fontes, qui soliti sunt reaptare eas, & eos, ad petitionem cuiuscunq; petētis. Et hęc omnia teneantur dictus D. Capitaneus, & Iudex videre, & videri facere per aliquem ex suis Notarijs, & officialibus ad petitionē cuiuscunq; petentis, & secundum voluntatem maioris partis vicinorū, & adiacentium viarum, pontiū, & fontium prædictorum, qui citari debeant, & requiri ad petitionem petentis personaliter, vel ad domum ipsorum solitæ habitationis, in qua citatione contineri debeāt nomina, & pronomina citandorū, & qualiter tales citantur pro facto talis viæ, pontis, vel fontis, & quòd ipsi debeant in tali termino per Iudicem ordinato coram dictis D. Capitaneo, vel Iudice legitimè cōparere; & si omnes nō comparuerint, venientes, & comparentes possint de dictis vijs, pontibus, & fontibus quod eis placuerit ordinare, & deliberare: & pro concimine, reparatione, cōmodo, & vtilitate dictarum viarum, pontium, & fontium, & pro tali via aptanda, vel de nouo mittenda seruetur ordo prædictus: & quod deliberatum fuerit per maiorem partem ipsorum vicinorum, & adiacentium, & aliorū debentium interesse comparentium, valeat, & sit firmū auctoritate præsentis statuti, & D. Capitaneus, seu Iudex executioni mandare teneatur deliberationem præfatam per ipsam maiorem partē factam: & teneantur prædicti D. Capitaneus, seu Iudex, vel alter ipsorum, sub dicta pœna cogere, & constringere realiter, & personaliter per omnē modum, & viam, prout eis, vel alteri ipsorum videbitur, post talem ordinationem, & deliberationē factam per dictos venientes, vel maiorem partem ipsorum venientium, non obstante absentia aliorum non venientiū, dare, & præstare officialibus ordinatis super prædictis in oneribus, & expensis dictarum viarum, pontium, & fontiū, vel retractionis, seu mutationis ipsarum, & pro omnibus necessarijs ad prædicta omnes, & singulos vicinos adiacentes, euntes, & redeuntes per ipsam viā, pontem, & ad ipsum fontem, & ad eorum possessiones, & omnes qui deberēt adesse, ad quos pertinent ad faciendum, vel soluendum in oneribus, & expensis dictarum viarum, fontiū, & pontium, qui, vel quæ deberent reaptari, vel de nouo murari, & mitti secundum deliberationē prædictorum venientium, vel maioris partis ipsorum. Et ad prædicta prædicti D. Capitaneus, vel Iudex, seu alter ipsorum teneantur, & debeant dare, & præstare adiutorium, cōsilium, auxilium, & fauorem. Et si cōtigerit aliquā viam nouam mitti, vel pontem, vel fontē de nouo creari, & ordinari, vel mutari, quòd

prædicti

prædicti D.Capitaneus,seu Iudex,sub dicta pœna teneantur,& debeant facta deliberatione prædicta per maiorem partem prædictorum vicinorum adiacētium,& euntium, & redeuntium per ipsam viam, pontem,vel fontem,vt superius dictum est,corā dictis D.Capitaneo,vel Iudice cogere,& cōstringere, tam emptorē ad emendum, quàm venditorem ad vendendum realiter, & personaliter intra decē dies post deliberationem factam de prædictis,tam de territorio per quod de nouo mutaretur,& mitteretur via noua,quàm de via veteri: & si venditor vel emptor recusauerit prædicta facere In non volēdo vendere,vel emere intra dictum terminū decem dierū,ꝙ venditor,seu debens vendere,rem ipsam vendendam amittat,& res ipsa vendenda deueniat in Communi. Et emptor,qui emere habuerit,& debuerit, teneatur soluere Bancherio Cōmunis ad officium DD.Capitanei,& Iudicis prædictorum deputatorū pro Cōmune Firmi recipienti pretium dictæ rei, secundum æstimationem factā de ipsa re: & nihilominus cogantur ipsi emptores,& venditores ad prædictam venditionē,& emptionem faciendā per præfatum D.Capitaneū,seu Iudicē,vel alterum ipsorū inuiti,secundū ꝙ deliberatum fuerit,vt superius cōtinetur. Et prædicta omnia, & singula cōtenta in dicto statuto præsenti locum habeant, & intelligantur in Ciuitate Firmi,& eius territorio,& districtu: & dictus Capitaneus, & Iudex teneantur, & debeant obseruare,& obseruari facere,& executioni mandare,pœna superius declarata, & vinculo iuramenti.

De ijs, qui occupauerint, & occupatam tenent aliquam viam Communis, vel vicinalem, pontem, vel fontem, vel prædictorum terrenum. *Rub. 96.*

ITem statuimus,& ordinamus,ꝙ D.Capitaneus,seu Iudex, vel officialis damnorum datorum, qui nunc est, & pro tempore fuerit,teneatur, & debeat vinculo iuramenti, & pœna xxv.lib. deñ.de suo salario ad petitionē cuiuscunq; petentis,vel denunciantis,& etiā ex suo officio,si aliquem inuenerit occupare,vel occupasse,vel occupatam habere,vel tenere aliquam viam Cōmunis, vel vicinalem,fontem,pontem,vel terrenū fontis, pontis, vel viæ Cōmunis, vel vicinalis inquirere, & inquisitionem facere contra ipsos omnes,& singulos occupantes, & detinentes dictas vias, pontes, & fontes,& terrenum aliquod prædictarum viarum,pontis,& fontis,& ipsos habentes,& tenentes occupatas,vel qui occupassent de prædictis punire,& condemnare in pœnis cōtentis in præsenti statuto: & nihilominus facere occupatas reduci in Cōmuni,& in pristinū statum,& fiat inquisitio per dictum Capitaneum,seu Iudicem,& examinentur,& recipiantur antiquiores,vel alij de dicta cōtrata, vbi occupatio,vel detentio facta fuerit. Quam inquisitionē D.Capitaneus,seu Iudex facere teneatur,& possit sine strepitu,& figura iudicij,& omni iuris solennitate omissa, & summariè, & de plano veritas inquiratur per sex homines,vel plures,vel pauciores dictæ contratæ,vel alibi,vbi prædicta commissa essent, si ipsis,vel alteri ipsorum videbitur conuenire: dum tamen denunciator non recipiatur in testē super prædictis, & habeatur denunciator priuatus,quem dictus D.Capitaneus,seu Iudex, vel officialis eius nullatenus debeat reuelare,vel pandere per sacramentum, sub dicta pœna. Et si dicti D.Capitaneus, seu Iudex inuenerint aliquē per suam inquisitionem occupasse, vel occupatā tenere de prædictis vijs, terrenis,pōtibus,& fontibus,& ipsorū terrenis per duos,vel tres testes, faciant dicta occupata in continenti restitui in Communi,& in pristinum statum reduci: & nihilominus cōdemnent talem, qui occupasset,& occupata teneret prædicta. Et de prædictis culpabiles condemnent in lib.decem deñ.omni exceptione,cauillatione,& occasione remotis.

De pœna facientis immunditiam in splatio S. Saluatoris. *Rub. 97.*

STatuimus, ac etiam ordinamus, quòd nullus faciat immunditiam, nec bructuram aliquam in splatio S.Saluatoris,cōtrafaciens verò in xx.sol.deñ.vice qualibet puniatur,& possit à quolibet accusari,& accusator habeat medietatem banni,& teneatur secretus.

De biblia non fluenda. *Rub. 98.*

STatuimus,ac etiam ordinamus,quòd nullus sportanarius,nec aliqua alia persona de Ciuitate Firmi,seu incola dictæ Ciuitatis audeat,vel præsumat proijcere,vel proijci facere bibliam in aliqua via publica,vel vicinali intra Ciuitatē à Kal.Maij vsq; ad Kal.Nouembris:& qui cōtrafecerit,puniatur pro qualibet vice in centum sol.deñ. & possit à quolibet accusari, & habeat accusator medietatem banni,& alia medietas sit Cōmunis Firmi. Et D.Capitaneus,seu Iudex,qui pro tēpore fuerit,faciat banniri prædictum statutum in Ciuitate Firmi in locis consuetis in principio sui regiminis, & de dicto mense Maij qualibet septimana inquirat, & inquisitionem faciat de prædictis, &

tratacientes cõdemnentur,& puniãtur in dicta pęna pro quolibet,& qualibet vice, omni exceptione, & occasione remotis. Et cuilibet de dicta Ciuitate liceat proijcere bibliam ante domum suam vsq; ad Kal.Maij: dummodo non proijciat per balconem,vel fenestram, vel trasandam, vel aliquam aliã partem in alto positam vltra duos pedes ad pedem Communis: & contrafaciens subiaceat pœnis prædictis. Item licitum sit cuilibet sportanario de Ciuitate Firmi facere cuniculum in aliqua parte Ciuitatis Firmi in via publica suis expensis causa portandi bibliam sub terram extra Ciuitatem. Et dictus D.Capitaneus,seu Iudex possit,& debeat cognoscere,et inquirere de prædictis.

De non cauando ad pedem limitis alicuius,vel fossati,vel viæ. Rub. 99.

STatuimus,et ordinamus,quòd nullus cauet ad pedem limitis alicuius,vel fossati,vel viæ: et si vult facere aliquod fossatum paruum, vel magnum, tantum teneatur relinquere de terreno suo,quantum est amplum ipsum fossatum,et profundum, et latum, sub pœna xl.sol.deñ. qui contrafecerit in prædictis. Et dictum fossatum intra decem dies post latam sententiam teneatur in pristinum statum reduci facere,acetiam reimplere.

Quòd nemo possit fodere terram in vijs Communis. Rub. 100.

PRæsenti lege decernimus, ꝙ nullus,cuiuscunq; cõditionis, & status sit, audeat, vel præsumat fodere terram in vijs Cõmunis intus,& extra portas Ciuitatis,& eas deuastare quoquo modo,sub pęna centũ sol.deñ.de facto exigendorũ pro quolibet cõtrafaciẽte, & vice qualibet, & sine processu aliquo. Et quilibet possit accusare,& teneatur secretus, & habeat quatã partem dictæ pœnæ. Et similiter officialis habeat pro sua inuentione, & executione quartã partẽ pœnæ prædictæ.

De quæstionibus confinium summariè terminandis. Rub. 101.

STatuimus,quòd si inter aliquos de Ciuitate,vel districtu Firmi fuerit aliqua quæstio de confinibus terminandis,& terminis ponendis,hoc ordine procedatur: videlicet, quòd D.Capitaneus,seu Iudex damnorum datorum,qui nunc est,& pro tempore fuerit,vinculo iuramẽti,& pœna xxv.lib.deñ.de suo salario teneatur, & debeat ire ad locũ litis, & videre si sunt termini antiqui, tunc ipsam quæstionem terminet, & decidat secundum ipsorũ terminorum antiquorum appositionẽ. Si autẽ terminos nõ inuenerit, tunc recurrat ad cõscientiam, & testimonium olim dominorũ vtriusq; possessionis,inter quas termini sunt ponendi,& secundum cõscientiam, & testimoniũ olim dominorũ dictarum possessionum, & vicinorum sic decidere teneatur. Si autẽ haberi non poterit testimoniũ supradictum,tunc secundũ instrumenta emptionalia vtriusque, vel alterius ipsorũ, si aliqua pars nõ haberet instrumentum,dictã litem valeat terminare,si cõmodè terminare potest. Si verò aliqua partiũ, quæ dictã litem cõfinium,vel terminorum duceret faciendã, vellet, & diceret dictã litem debere decidere etiam per immissionẽ sepis,vel fossati immittendi inter se,et suum vicinum,tunc si dicti confines essent ponendi,et termini faciendi inter vtranq; partẽ vinearum vtriusque, faciat ipse Iudex mittere, seu ponere pro confinibus vnam sepem, vel fractam expensis cõmunibus, prout ipsi Iudici videbitur conuenire. Sinautem tractari cõtigerit de confinibus,et terminis faciendis inter terram camporalem, et aliquã terram vineatam aliquorum,tunc Iudex immittat,et fieri faciat vnum fossatum largum per vnum pedẽ,et dimidium: quod fossatum immitti debeat per terrenum camporalem expensis cõmunibus vtriusque, videlicet terreni, et vineæ,per quod fossatum dicta lis, et quæstio terminetur, et immittatur per eam partem recta linea dirigendo,seu dirizando terrenum,prout ipsi Iudici videbitur cõuenire. Et si in confinibus esset quęstio inter aliquas possessiones camporales,ipsam quæstionẽ termi net ipse Iudex, vel per termini immissionem, vel per fossatum faciendum communiter in terreno vtriusq; expęnsis communibus ipsorum vicinorum, et litem faciẽtium. Et prædictum statutum Iudex damnorum datorum teneatur,et debeat facere obseruari,pœna xxv.lib.deñ.de suo salario.Et in prædictis procedatur summariè,et de plano, sine strepitu, et figura iudicij.

De pœna habentium aliquam fornacem intra muros Ciuitatis Firmi. Rub. 102.

STatuimus,et ordinamus,quòd nulla persona audeat,vel præsumat habere, et tenere aliquam fornacem laterum intra muros Ciuitatis Firmi,sed longè à muris, et domibus Ciuitatis Firmi per quinque cannas, pœna decem lib.deñ. et possit à quolibet accusari, et denunciari, et accusator,vel denonciator habeat medietatem banni: & nihilominus fornacem leuare teneatur: ex-

ceptis facientibus vasa vitreata,& picta,vel non picta,siue vitreata,siue non, qui possint ipsam fornacem habere impunè,aliquo alio statuto non obstante in contrarium loquente.

De grugiarijs. Rub. 103.

ITem statuimus,& ordinamus,vt grugiariæ,à quibus sordes,& immunditiæ in stratas publicas descendunt, tollantur; quòd vbicunque per Ciuitatem reperirentur aliquæ grugiariæ, per quas fluerēt putredines à terra, in altum saltem per quatuor pedes murentur,& claudantur, relicto tamen in pede grugiæ vno foramine cōpetenti,per quod exeant,& fluant aquæ,& immunditię supradictæ: quod foramen omni tempore stare debeat clausum, nisi tēpore pluuiali; & Iudex debeat omnia prædicta obseruare,& obseruari facere, & quotiens inuenerit aliquem cōtrafacientem,in decē sol.den.vice qualibet puniat. Et exactio dictæ pœnæ fiat per Iudicem contra omnes habentes domos ad dictam grugiā à capite vsq; ad pedem,ita quòd dicta quantitas x.sol. exigatur inter omnes,& non ab vno solo. Et si contigerit,quòd ex aliqua dictarū grugiarum grande incommodum perueniret vicinis,& posset mutari in aliquam partem, volumus,quòd ad petitionem vicinorum dicta grugia mutari debeat expensis vicinorum, cum illo cuius est grugia. Et nemo possit habere priuatum propē viam publicam per quatuor passus,quod defluat in ipsis vijs,sub pœna xl.sol.den.Et quilibet possit contrafacientem in prædictis accusare,& denunciare,& habeat medietatem banni.

De pœna pistantium agrestam. Rub. 104.

STatuimus,q nullus,cuiuscunq; conditionis existat,audeat,vel præsumat pistare agrestam,seu vuam non maturam ante Kal. Septembris extra Ciuitatem Firmi: contrafaciens verò in x. lib.den.vice qualibet puniatur. Saluo; q liceat vnicuiq; vineam propriā habenti apportare, & apportari facere impunè duos racemos agrestę,& tres racemos vuarū maturarū:& hoc intelligatur ante ipsum tempus vindemiarū. Tempore verò vindemiarū seruetur statutum,& consuetudo hactenus obseruatum. Si quis verò apportauerit,vel apportari fecerit vuam,vel agrestam ante tempus vindemiarum contra,vel præter dictam formam, soluat pro quolibet racemo vuæ,vel agrestæ, sol.v.den.

De porcis non retinendis in Ciuitate. Rub. 105.

STatuimus, & ordinamus, quòd nullus audeat, vel præsumat retinere in Ciuitate Firmi vltra duos porcos,qui etiam nullo modo possint,nec debeant ire per stratas,& plateas dictæ Ciuitatis,sed domini,& patroni ipsorum teneantur,& debeāt retinerē dictos porcos in domibus, sub pœna x.sol.pro quolibet porco,& vice qualibet,qua contrafactum fuerit,quæ pœna de facto exigatur à patrono porcorū sine diminutione aliqua. Cuius pœnæ officialis, qui inuenerit dictos porcos cōtra dictam formam, habeat, & habere debeat quartā partem eius, quod venire fecerit in Cōmune.

De pœna lauantium propè fontes. Rub. 106.

SI quis suzuram,vel bruttaram fecerit in fontibus, vel puteis, & cisternis Cōmunis, vel in eis, vel aliquo ipsorū pannos,coria,vel aliquid aliud turpe lauauerit,vel proiecerit,vel propè ipsos fontes per duas cannas: propè verò fontem Fallere, & eius gurgale per decem cannas ad cannam Communis pannos prædictos lauerit,vel quid aliud turpe fecerit,siue immunditiam,cōdemnetur, vel puniatur vice qualibet de facto, & pro quolibet contrafaciente in xx.sol.deñ. Et officialis, qui reperiret contrafacientem,si cum effectu exegerit,quartam partem lucretur.

Qui possint ire impunè ad Monasterium. Rub. 107.

VOlumus,quòd Scindici,& factores,laboratores,& alij vocati à Monialibus pro re aliqua honesta, & eis necessaria, vel earum Monasterio, omnes prædicti tunc, & eo casu possint impunè accedere,& ire ad omnia monasteria Monialium, quoad sæcularem pœnam.

De pecudibus,quæ mittuntur in pascuis Firmanæ Ciuitatis. Rub. 108.

HAc præsenti lege statuimus, & declaramus, quòd pecudes posthac conducendæ ad pascua in territorio Firmanæ Ciuitatis non excedant, nec excedere possint numerum quinque milliū pecudū,quarū domini,& patroni,cuiuscunq; gradus,& dignitatis sint,nullo habito respectu, teneantur ad solutionē pascuorū pro forma ordinum. Pecoratij verò conducentes pecudes in pascua

prædicta teneatur per totum mensem Octobris stare cum dictis pecudibus in plano Ierolæ, Tennæ, S. Thomæ, & Letæ, ad hoc, vt non intrent possessiones oliuatas, excepto si patroni possessionum vellent dictos opiliones dictas pecudes ducere, & retinere in eorum possessionibus. Sed si fortè cum dictis pecudibus damnum darent in possessionibus aliorum, teneantur ad solutionē pœnæ, & emendæ damni: & elapso dicto mense Octobris dicti opiliones cū dictis pecudibus venire possint per totum territoriū, etiam per possessiones oliuatas: hoc semper declarato, quòd si cum dictis pecudibus, vel alijs animalibus in possessionibus iuxta mandrias, & stationes dictarū pecudum per dimidium miliarij darent damnum, illi opiliones sic stantes cum huiusmodi mandrijs pecudum intra præscriptum spacium ad emendam damni patronis dictarū possessionum teneantur, etiā si damnum prædictum nō posset probari per testes, dummodo noscatur fuisse damnum datū cum pecudibus, aut alijs animalibus dictorū pecorariorum. Et in omni casu prædictorū, & infra cōtentorum possit etiā procedi per inuentiones officialiū damnorum datorum, & per accusas, seu denuncias faciendas per dominos possessionum damnum passos: & ad solutionē pœnæ, & emendā damni pecorarij, & patroni pecudum, & animalium prædictorū teneantur pro famulis, & custodibus dictarum pecudum, & animalium, & in eorum aduentu duos idoneos fideiussores dare de soluēdo pœnam, & emendam damnorum fortè inferendorum per præfatos, & eorum pecudes, & alia animalia. Et dicta pœna intelligatur esse, & sit v. sol. pro qualibet pecude, & pro qualibet alia belua secundum formā statutorum: excepto tamen, quòd si dicti opiliones intrarēt possessiones oliuatas, & in pedibus dictarum oliuarum nō esset fructus, neq; subtus ipsas in terra, non teneantur ad pœnam: & eodem modo manteneantur, si cū pecudibus prædictis intrarent aliquas possessiones territorij talis, q habiliter in eo possent pascere, & in ipsis non essent quatuor, vel sex pedes oliuarū. Item pecorarij, patroni, & custodes pecudum, & aliorum eorum animalium non possint quoquo modo ferre arma prohibita per Ciuitatem, & eius territorium, sub pœna duorum ducatorum auri de die, de nocte verò quatuor ducatorum auri de facto exigendorum.

De mercede capienda pro bestijs ad hospitium ductis. Rub. 109.

NE præter modum, & iniustè pro bestijs ad hospitiū ductis ipsi caupones, seu hospitatores exigere possint, hoc publico decreto constitutū sit, quòd ipsi caupones, seu hospitatores debeāt recipere in suis tabernis, siue hospitijs animalia, quæ ducerentur, & fuerint consignata, & ipsa alere, & nutrire: sed pro congrua mercede, & solutione, intra diem & noctem nil aliud petere, vel habere possint, nisi bon. vnum pro qualibet bestia grossa, & pro qualibet bestia minuta sol. vnū vsq; ad decem bestias minutas: sed si fuerint plures bestiæ minutæ quàm decem, pro qualibet ipsarū ab eo numero vltra deñ. sex, ad pœnam xx. sol. vice qualibet à contrafaciente soluendorum, nec remitti possit.

De leprosis expellendis extra Ciuitatem. Rub. 110.

STatuimus, & ordinamus, quòd Potestas, & Capitaneus publicè banniri faciat, quòd nullus leprosus, aut leprosa audeat, vel præsumat stare, habitare, vel morari in Ciuitate Firmi, vel iuxta ipsam Ciuitatem per centum cannas: & si inuentus fuerit, vel reperiretur dictus leprosus, vel leprosa stare in dicta Ciuitate, vel iuxta Ciuitatem, vt supra dictum est, teneatur dictus Potestas, vel Capitaneus eum expellere de dicta Ciuitate, & confinio, pœna Potestati, vel Capitaneo, & cuilibet alteri officiali quinquaginta lib. deñ. si prædicta non seruauerit.

De domibus destruendis causa incendij. Rub. 111.

SI in aliqua parte Ciuitatis ignis accenderetur, vel oriretur in aliqua domo, quòd Deus auertat, & propter hoc domus aliqua alia destrueretur, & deuastaretur per homines, vel officiales Ciuitatis Firmi, ne dictus ignis se protendat, & extendat ad alias domos vicinas; Potestas, qui pro tempore fuerit, teneatur, & debeat ipsam domum, vel domos destructam, vel destructas dicta occasione, facere refici de bonis Communis intra vnum mensem postquàm prædicta euenerint. Et Potestas, & Capitaneus in principio sui officij eligat, & eligi faciat in qualibet contrata quinquaginta homines, quorum vnus sit caput ipsorum: qui homines iurent ad sancta Dei Euangelia in principio regiminis Potestatis, & Capitanei succurrere, & ire cum armis, vbi ignis prædictus accensus esset, & dare auxilium, vt dictus ignis non procedat. Et si quis contenderet, vel se opponeret ne destrueretur dicta domus dicto tempore, puniatur in quinquaginta lib. deñ. Et si Potestas, & Capitaneus non faceret emendare damnum datum in dictis domibus deuastatis, vt dictum est, puniatur, & perdat de suo

salario

falario libras quinquaginta deñ. Et fi aliquis acciperet tempore incendij de bonis prædictarum domo rum,feu conuicinio,ille,vel illi poffint puniri Poteftatis arbitrio.

De domibus non destruendis. *Rub. 112.*

NE Ciuitas deformetur,ftatuimus,& ordinamus,quòd in Ciuitate,vel burgis Ciuitatis Firmi, vel in Caftris, vel Villis Ciuitatis nulla domus deftrui poffit, vel debeat deuaftari occafione alicuius maleficij,vel delicti:fed in domibus delinquentium, fi domus debet confifcari de iure, depingantur arma Communis Firmi fuper oftia domus intra decem dies poft confifcationem, & condemnationem fiendam. Et prædicta obferuet, & obferuari faciat Poteftas, & Capitaneus, pœna præfati iuramenti. Nulli etiam liceat domum aliquã in Ciuitate Firmi exiftentem ratione aliqua fol lamare,feu deftruere abfque licentia DD. Priorum Populi,Vexilliferi iuftitiæ,Regulatorum,& Confaloneriorũ contratarum, fub pęna quinquaginta lib. deñ. Cõi Firmi applicañ. & refectionis domus.

De terris in Ciuitate,& districtu Firmi colendis. *Rub. 113.*

POteftas Ciuitatis Firmi,qui pro tempore erit,teneatur,& debeat vinculo iuramenti, & pœna centum lib. in principio fui officij banniri facere per loca publica dictæ Ciuitatis,quòd quili bet habitator Ciuitatis Firmi,tam Ciuis,q̃ forẽfis teneatur,& debeat anno quolibet laborare,vel laborari facere per fe,vel aliũ in territorio dictę Ciuitatis,& eius diftrictu de fuo, vel alieno ter reno modiolos quatuor terræ, vel vineæ,ita quòd ex inde bladũ,aut vinum percipi,& recolligi valeat, ad hoc,vt copia victualium vigeat in Ciuitate prędicta,pęna x.lib. deñ. pro quolibet cõtrafaciente an no quolibet. Et contra delinquentes huiufmodi dicti Poteftas,& fui officiales inquirere,& procedere teneantur ad delationem, & denũciationem cuiufcunque,& ex fuo officio femel in menfe,& repertos culpabiles punire,& condemnare,fub dicta pęna:& à quolibet poffit accufari,& denunciari,& habeat quartam partem pœnæ. A quibus excipimus mulieres, pupillos,& fenes maiores fexaginta annis, & alias perfonas infirmitate,vel alia iufta caufa grauatas,vel impeditas.

De famulis,& pactualibus recedentibus à dominis ante tempus promissum. *Rub. 114.*

SI quis pactualis,famulus,vel feruiens alicuius de domo domini fui,& ab eius feruitio difcede ret,cui feruire promifit,teneatur pro quolibet die,quo non feruierit,fi mafculus fuerit, dare domino,fiue patrono fuo prædicto decem fol.deñ.Si verò mulier fuerit,quinque fol.dare,& foluere teneatur. Et liceat cuilibet patrono,vel domino famulum,vel famulam,feu difcipulum recedẽtem ante finẽ temporis promiffi à feruitio prædicto capere,& ipfum, vel ipfam ad domũ reducere fine pœna,& ipfum,vel ipfam fpoliare,& res,quas fecum habet,auferre: & fi in capiendo, vel reducendo eum,vel eam percuteret qualitercunque citra mortem,ad pœnam nullatenus teneatur:& Poteftas,& fui officiales teneantur ad petitionẽ patroni famulum,vel famulam recedentẽ à feruitio, vel recedere volentem capi facere,& carcerare,prout patrono placuerit: & contractus, & obligatio factus, & facta per famulum,vel famulam patrono,fiue domino de feruiendo,et ftando cum eo, vel ea, valeat, et teneat,et executioni mandetur,exceptione aliqua minoris ætatis,vel aliqua alia exceptione nõ obftante. Et fi cõtigerit,quòd famulus,vel famula percuteret dominum, vel patronum, vel eius domefticos, puniatur,et condemnetur in duplo eius,in quo punirentur Ciues,fi inter fe percuterentur; quod duplum fimplum intelligatur dicto cafu.

De buzectis Communis,& alijs mensuris. *Rub. 115.*

ORdinamus,quòd Poteftas, & Capitaneus, & quilibet ipforum tenere faciat omnes buzectas, cum quibus menfuratur bladum,iuftas,& coęquales, & eius menfuræ, & capacitatis; & etiã omnes buzectas,cum quibus venditur,& menfuratur fal; & cannas, & brachia, cum quibus menfuratur pannum lanæ,& lini; & bariles,cum quibus portatur vinum, fecundum menfuram Cõis. Quæ menfuræ Cõmunis de omnibus fupradictis poni debeant in logia S. Martini,vel alibi, vbi videbitur Prioribus populi: & fecũdum dictas menfuras Cõmunis aliæ debeant coęquari,& menfurari,et facta coæquatione prædicta dictæ menfuræ bullari,& fignari bulla Cõmunis ordinata per dictos DD. vel D. Capitaneum populi,vel Poteftatem. Si quis verò inuentus fuerit per officiales Cõmunis, vel alios dictas menfuras non bullatas tenere,& cum eis aliquid vendere,puniatur, & condemnetur vice qualibet in centum fol. deñ. Et nulla perfona,cuiufcunque conditionis exiftat,audeat,vel præfumat

in Ciuitate,vel comitatu vendere,vel emere aliquã quantitatem vini ad mensuram barrilium,nisi barriles fuerint iusti,& veri ad mensuram Cõmunis Firmi,& bullati bulla supradicta. Et nullus magister barrilium audeat, vel præsumat vendere barriles aliquos ad vinum aptos, nisi fuerint per ipsum dicti barriles adiustati ad mensuram prædictam,& sua bulla bullati. Si quis verò ex prædictis in aliquo cõtrafecerit,puniatur pœna viginti sol. pro qualibet vice,& quolibet barrile: & nullus audeat retinere barriles non iustos, & non bullatos, vt dictum est,vel ipsis non iustis vti. Et qui repertus fuerit tenere,vel vti per officiales D. Potestatis,vel Iudicis iustitiæ,puniatur pœna prædicta. Et quilibet officialis,tam Potestatis,quàm Iudicis iustitiæ teneatur inquirere, & inuestigare, & repertos culpabiles punire,& condemnare simpliciter, & de facto in pœnis prædictis.

De stateris, & alijs mensuris. Rub. 116.

STatuimus item,& ordinamus,quòd buzolæ portus S.Georgij de grano sint æquales cum buzolis Cõmunis Firmi:& Potestas procuret bullando,sigillando,vel alio quocunq; modo poterit,quòd stateriæ,& omnes aliæ mensuræ,& pondera,marci,& libræ sint æquales,& iustæ in genere cuiuscunque.Et si inuenerit,vel inuenire fecerit aliquam dictarum mensurarum,vel ponderũ, ad quam publicè mercatur,falsam esse,& non iustam,teneatur Potestas auferre renenti libras x. deñ. sine remissione aliqua:& omnes marci,& vnusquisque ipsorum sint,& esse debeant duodecim vnciarũ per libram,& teneant in se duodecim vncias per vnamquanque libram secundum formã marci lucensis,& ipsa libra non sit minor duodecim vnciarum lucensium:& omnes marci,cum quibus in Ciuitate Firmi aliquid ponderatur,sint secundum modum marcorum lucensium,& ad ipsos marcos detur,& accipiatur.Et hoc fiat per Consules mercatorum Ciuitatis Firmi. Volentes, ꝙ vna stateria fieri debeat, & esse in Camera Cõmunis Firmi bona & forbita:& fieri debeat vna alia ad similitudinẽ ipsius: & quilibet habens ipsam stateriam qualibet hebdomada debeat eam forbire. Et per Concilium generale dictæ Ciuitatis eligatur vnus homo per quamlibet contratam ad scarsinam; qui electi debeant inquirere,videre,& inuestigare,si bonæ mensuræ,& æquales fuerint,& bullatæ,& adęquatæ: & habeant pro bullatura cuiuslibet stateriç tantùm decẽ denarios:qui si inuenerint aliquem habere falsam mensurã, siue marcum,vel aliud pondus,denuncient Potestati,& Potestas teneatur ei auferre bannũ prædictũ: & debeat buzecta esse larga in ore,sicut in fundo est,aliàs habeatur pro falsa. Et nullus accipiat plazaticũ ab aliquo veniente,vel redeunte de Ciuitate Firmi cũ aliquo,vel aliquibus:& qui contrafecerit, puniatur in centum sol. deñ. Cõmuni: & hoc remaneat totum in prouidentia Concilij generalis.

De mensuris æqualibus faciendis in Castris,& Villis Communis Firmi, & de modo mensurandi fructus. Rub. 117.

ITem statuimus,& ordinamus,ꝙ in Castro S. Angeli in pontano,& in quolibet alio Castro,& Villa Ciuitatis Firmi sint,& fiant mensuræ æquales mensuris Cõmunis Firmi, scilicet mensuræ barrilium à vino,mensuræ medrorum ad mensurandum oleum,buzectæ & quartæ ad vendendum granum,& alias res; & aliæ mensuræ,& pondera,omnes secundum mensuras, & pondera Ciuitatis Firmi. Et nullus possit vendere,vel emere ad aliam mensuram,nisi ad mensuram Cõmunis prædicti,faciẽdo ipsas mensuras ęquales:& si quis cõtrafecerit,puniatur pro qualibet vice in xx.sol.deñ. Et Rector,qui pro tempore fuerit in dicto Castro S.Angeli,& alijs Castris, teneatur prædicta executioni mandare vinculo iuramenti, & pœna x. lib.deñ.de suo salario. Et de hoc possit quilibet accusare,& habeat medietatem banni: & idem obseruetur in alijs Castris,& Villis Ciuitatis Firmi. Quando autem mensurantur nuces,ficus,& alij fructus,siue poma,tam in Ciuitate,quàm Castris,& Villis prędictis, volumus,quòd mensurentur hoc modo, videlicet quòd venditor cum sacco,vel alio vase mittat in buzectam,& emptor non immittat manum in ea,pœna xl.sol.deñ.vice qualibet.

De non excastellando de aliquo Castro Communis Firmi. Rub. 118.

STatuimus,& ordinamus, ꝙ quicunq; Castellanus excastellauerit de aliquo Castro Cõmunis Firmi, & inde discesserit animo excastellandi, & iuerit ad habitandum ad aliquam Terram extra districtum, & comitatum Firmi, puniatur per Rectorẽ realiter, & personaliter eius arbitrio: & intelligatur excastellare,si post requisitionem de eo factam non reuerteretur intra mensem ad habitandum cum sua familia in Castro vnde discesserit. Si verò aliquis Castellanus discesserit de aliquo Castro Communis Firmi,vbi consuetus erat habitare, & iuerit ad habitandum in aliquo alio

Castro comitatus Firmi,teneatur se reducere, & redire intra mensem post monitionem de eo factam ad Castrum,de quo discesserit,pœna quinquaginta librarum den.Et Syndici dictorum Castrorum teneantur referre,ad pœnam prædictam, si aliquis contrafecerit.

Quòd liceat habentibus Molendina accipere de terreno alieno ad caput aquæ, vbi colligitur aqua pro dicto Molendino. Rub. 119.

ITem statuimus,& ordinamus,ꝙ quicunque Ciuis Firmanus haberet aliquod molendinū, seu molendina in districtu,seu territorio Firmanorum,& caput aquæ, vbi colligitur aqua pro cōmodo,& vtilitate dicti molēdini,seu dictorum molendinorū,vel fossatum, seu fossata dictorū molendinorum deuastarentur ruina,vel impetu fluminis,vel alterius cuiuscunque fortunæ,seu casus; ille,vel illi,cuius,vel quorum fuerint molendina,vel molendinū,possint impunè accipere de terreno illius,vel illorum,qui tenent iuxta caput dictæ aquæ,& fossata dictorū molendinorum,pro cōmodo,& vtilitate dictorū molendinorum,facta prius æstimatione, & solutione pretij dicti terreni ab illo, cuius fuerit dictum molendinum,seu molendina illi,cuius fuerit dictum terrenū,vel alij pro eo:quæ æstimatio debeat fieri per duos bonos homines ponendos à partibus,videlicet vnum pro qualibet parte; qui si non essent de pretio in concordia,eligatur tertius per DD. Priores populi, & Confaloneriū iustitiæ Ciuitatis Firmi. Adijciētes,quòd nullus debeat clausas,vallata, vel fossata molendinorum existentiū in territorio Firmi,& comitatu eiusdē causa piscandi,vel alia occasione destruere,vel quomodocūq; deuastare,ita quòd impedimentū præstet dictis molēdinis, vel alicui ipsorum, sub pœna xxv.lib.den. Et quia prædicta plerunque fiunt de nocte, nec potest de leui malefactor reperiri, volumus quòd credatur de destructione prædicta iuramento domini molendinorum, vel molendinarij, vel alterius denunciatoris, vel accusatoris cum vno teste de visu, & sit plena probatio in prædictis, & sic contrafaciens in duplo damnum emendare teneatur damnum passo.

De Molendinarijs. Rub. 120.

OMnes Molendinarij molendinorum,præcipuè fluminū aquarum Tennæ,& Etæ,& Asij tollant pro multura de sexdecim coppis vnum coppum tantùm: habeant tamen arbitriū DD. Priores populi,& Vexillifer iustitiæ,qui pro tempore erunt,posse augere,& minuere dictā multurā secundum varietatē temporum. Et teneantur ponderare,& ponderari facere bladum,& farinā bullatam reportare in cōtinenti ad voluntatē illius cuius fuerit granum,vel sui nuncij. Et si dominus,vel eius nuncius præsens nō fuerit: nihilominus molendinarius teneatur bladum, vel farinā ponderare, & sibi ad domū reportare. Et si farina ponderata minus solito,vel modo debito fuerit reperta, vel aliquid frumenti cum ea,vel ipsam esse stridentē,vel male multatā,vel cambiatam,dicti molendinarij reficere,& emendare teneantur. Et liceat damnū passo sibi retinere de rebus molendinarij,vel eius nuncij,qui reportauerit farinā,donec damnum fuerit resarcitum,& emendatum. Et si damnū passus relinquere voluerit,& noluerit emendationē damni à molendinario,nihilominus Potestas possit suo arbitrio eum punire vsq; ad quantitatē x.lib.den. & credatur damnū passo,& simplici verbo suo cum iuramento prædicto,& etiā sacramēto familiaris illius,cuius fuerit granum prædictū. Et vt omnis incōueniētia,quę suscitari potest in prædictis,tollatur,teneatur officialis pesę,seu gabellę deputatus ad ponderandū nō ponderare, nec bullare farinam aliquā,quam molendinarius reportare voluerit ad domū illius,cuius farina esset,nisi molendinarius statim post ponderationē eam farinam onerauerit,siue incarcauerit in bestia causa eam portandi ad domū illius cuius esset,& tunc eam bullet, & bullare teneatur dictus Notarius,pœna centum sol.den. qualibet vice, qua cōtrafecerit dictus Notarius: videlicet si bullaret,& nō reportaretur statim,& in cōtinenti,vt dictum est. Et nullus molendinarius possit aliū accaptafarinā retinere in molendino,nisi illum quē dominus molendini voluerit;& si alium habuerit, in xl.sol.den.puniatur. Et Potestas teneatur in principio sui regiminis facere corā eo, vel suis officialibus cōparere omnes molēdinarios,& accaptafarinas,& eis,& cuilibet eorū iurari facere, & promitti per solennem stipulationē,& fideiussiones ab eis recipere de obseruando omnia, & singula cōtenta in hoc capitulo,& de nō furando, vel alicui furanti cōsentire,nec fraudem aliquam cōmittere in farina, vel blado in suo officio molendini. Et quilibet Molendinarius teneatur habere coppū,& medium coppum bullatos, de quibus coppis buzola Cōmunis sit capax xvj. copporum, de quibus buzolis qualibet buzola sit capax quatuor quartarum,de quibus buzolis tantùm,& coppis teneantur Molendinarij accipere multurā,& nō cū alijs,pœna xl.sol.den.qualibet vice,& credatur sacramēto illius, cuius

fuerit bladum,vel eius nuncij. Et Potestas teneatur quolibet mense facere discuti,mensurari,& inquiri illos coppos molendinorum,si iusti,& æquales fuerint,& bullati,vt dictum est: & siquidem inuenerit falsum,& non bullatum,puniat pro quolibet coppo sic inuento,falso,vel non iusto,in xxv.lib.deñ. de facto; de quibus possit à quolibet accusari,& habeat accusator medietatē banni. Si verò inuenerit non bullatum,tamen iustum inuenerit,puniat eum in x.lib.deñ.Si verò inuenerit bullatum,& falsum, in xxv.lib.puniatur de facto vice qualibet: & quilibet possit de hoc accusare, & denunciare,& habeat medietatem banni,& tantundem de facto bullanti auferre. Et Molendinarij teneantur portare bladū ad molendinum, & non mittere aliquem farinellum, nisi tantùm quem voluerit dominus molendini, ad pœnam centum sol.deñ. Et quòd domini molendinorum teneantur iurare,obseruare,& obseruari facere omnia, & singula supradicta ab eorum Molendinarijs: & si contrafecerint, denunciare eos D. Potestati,& suæ Curiæ, qui eos puniat in dictis pœnis de facto. Item nulla persona habens molendinum in aliqua catasta molendinorum,nec aliquis alius,postquàm canales positi,& allocati sunt de cōmuni concordia,& voluntate illorum,qui molendina haberent in ipsa catasta,possit deponere,nec debeat mutare,allassare, vel atturare aliquam canalem,siue compostā aliquo modo, propter quod aqua fluens his molendinis de ipsa catasta,vel ipsa molendina, vel eorum molæ possint aliqualiter impediri: & qui contrafecerit, in xxv.lib.deñ. vice qualibet puniatur de facto, & damnum patienti emendet in duplum. Et si molendina,siue catasta molendinorum, vel composta, vel catasta,vel clusa, vel ipsorum aliquid deuastatum fuerit, ita quòd reaptari indigeret, si aliquis ex consortibus reaprare voluerit,liberè possit aptare suis expensis: dum tamen alij consortes postmodum teneantur, & debeant ipsas expensas resarcire pro rata illi, qui aptauerit, vel aptari fecerit,antequàm molendina reincipiant macinare,credito de expensis ei,qui fecerit ipsas expensas,suo sacramento, quod fieri debeat summariè, simpliciter, & de plano,sine strepitu, & figura iudicij, scita solummodo veritate. Et Iudex,coram quo proposita fuerit querimonia de prædictis,cogere de facto possit, & debeat tales consortes ad restitutionem prædictorum modo prædicto,& ad damna,interesse, & expensas, quæ inde sustinuerit,qui tales expensas fecerit, & maximè si pecuniam, quam expendidit pro refectione prædicta, sub vsuris acquisiuerit,nihilominus ei per dictos consortes refici debeant: & dictus Iudex intra mensem sibi restitui faciat cum effectu propriam sortem,& damna. Et qui ex prædictis consortibus pro parte sibi tangente de prædictis expensis resisteret,& nollet restituere, vel non restituerit,vt dictū est, pars eius molendini,vel catastæ molendinorum ædificanti, & reficienti, & facienti dictas expensas totaliter applicetur. Item dicti molendinarij de omni blado, quod macinauerint, multuram prædictam accipere teneantur. Item quodlibet molendinum, siue catasta molendinorum habeat suum defensorem talium, quàm est consuetum ab illa parte, vbi minus damnum inferatur, quod non impediat alia molendina superiora,& inferiora,cùm aliquid fiat pro reparatione,vel cessorio dictæ catastæ molendinorum,quo minus macinent. Domini verò molendinorum prædicta non habentes, in centum sol.deñ.puniantur pro quolibet. Item quilibet cursus molendinorum tenere,& habere debeat Capitaneum pro aptationibus faciendis de molendinis, & cursibus molendinorum,quem eligere debeant domini molendinorum intra primum mensem regiminis Potestatis: & Potestas cogat ipsos ad supradictam electionem faciendam, & dicti domini molendinorum pro commodo, & vtilitate, & reparatione, seu reaptatione dictorum molendinorum,& cursuum,& aliorum necessariorum ipsorum molendinorum dicto Capitaneo in omnibus,& per omnia teneantur,& debeant obedire:& ille,qui fuerit Capitaneus prędictorū, possit bannum imponere inter ipsos occasione officij molendinorum vsq; ad v.sol.deñ.vice qualibet, quotiens sibi videbitur expedire; quod bannum Potestas ad petitionem dicti Capitanei exigere teneatur de facto. Item in qualibet catasta molendinorum debeat esse vnus custos,qui debeat custodire molendina dictæ catastæ,qui eligi debeat per ipsos,quorum fuerit catasta. Item si aliquis mitteret dictum bladum ad molendinum cum somerio suo,Molendinarij non possint accipere nisi tantùm vnum coppum ad rasum pro qualibet salma grani,vel alterius bladi,sub pœna xl.sol.deñ.pro qualibet vice, qua contrafecerit, & bladum vltra acceptum restituere teneatur, & credatur sacramento illius, qui iuerit cum dicta salma bladi. Item nullus Molendinarius,vel quiuis alius audeat frangere, vel rumpere, vel frangi facere aliquam clusam molendinorum, seu fossati alicuius molendini, sub pœna, & ad pœnam positā supra in proximo capitulo. Item Molendinarij possint, ac debeant accipere multuram ab illo,cuius est bladum, vel ab eius nuncio,ad mensuram rasam cum rasura ligni,vel ferri,antequàm ponderetur bladum,sub pœna centum sol.deñ. & farinam illius bladi ad pondus reddere teneatur intra tres dies à die accepti bladi numerandos inclusiuè, sub pœna xl.sol.deñ. Item nullus Molendinarius

rius audeat stare ad bozzulam Communis, vbi venditur bladum, & emitur, vsque ad horam nonç, sub pœna prædicta. Item teneatur quilibet Molendinarius quolibet sero portare ad domum domini molendini multurã illius diei, & noctis præcedentis, sine fraude aliqua, sub pœna prædicta. Item teneantur omnes Molendinarij facere, & curare, quòd molendina continuò macinent de die, & de nocte, pœna centum sol. deñ. si per eos steterit, & damnum quod sustinuerint domini molendinorum, resarcire, & emendare teneantur, de quo stetur sacramento dominorũ molendinorum. Item Molendinarij quolibet anno teneantur, & debeant facere aliquẽ Capitaneum causa faciendi cereũ in festo Sanctæ Mariæ de mense Augusti: quod cereum omni anno facere teneantur, & tunc per illũ mensem tantùm duret Capitaneus prædictus ad hoc ordinatus, & non plus, pœna centum sol. deñ. pro quolibet, & qualibet vice. Et de quolibet prædictorum capitulorum possit quilibet accusare, & habeat medietatem banni: & prædicta omnia, & singula supradicta intelligantur, & locum habeant in omnibus Molendinarijs Ciuitatis, & districtus, & de omnibus molendinis Ciuitatis, & districtus.

De Beccharijs, siue Macellarijs. Rub. 121.

STatuimus, & ordinamus, quòd nullus Beccharius, siue Carnifex Ciuitatis Firmi inflet, vel inflari faciat aliquod animal, siue aliquam bestiam, quæ vendi deberet in beccharia aliqua, flato, vel vento, vel aliquo alio ingenio, pœna centum sol. deñ. de facto contrafacienti exigenda. Et nullus Beccharius proijciat, vel proijci faciat sanguinem, martiam, vel aliquam aliam turpitudinem alicubi in plateis, vel alijs vijs publicis, vel locis vbi possit fœtorẽ reddere stationarijs, & astantibus in stationibus, & ante dictas stationes, siue apothecas, pœna xx. sol. deñ. de facto exigenda. Et nullus abrusiet, vel abrusiari faciat bestiam porcinam in platea Communis, nec ante stationes plateæ, sed solùm intus in dictis eorũ stationibus, pœna xx. sol. de facto exigenda. Et nullus Beccharius emat carnes morticinas, vel morbosas, seu aliquam bestiam ægrotam causa reuendendi, nec ipsas reuendat alicui modo aliquo, sub pœna x. lib. deñ. pro quolibet, & qualibet vice exigenda de facto. Et nullus Beccharius vendat vnum genus carnium pro alijs carnibus: videlicet ægrotas pro sanis, scrofinas pro porcinis, pecudinas pro castratinis, hyrcinas pro caprinis, & sic de similibus, sub pœna centũ sol. deñ. de facto exigenda. Et omnes Beccharij teneantur carnes scrofinas, cùm eas tenerent ad vendendum, excoriare, ita quòd possint cognosci à porcinis, pœna xx. sol. deñ. de facto exigẽda: sed porcinas non debeant excoriare, nisi tantùm illas, quas quis volens emere ipsa excoriari petierit; exceptis porcellis castratis, quas excoriari non teneantur. Item teneantur dicti Beccharij dare, & vendere ad rectum, & bonum pondus carnes quas vendiderint, sub pœna x. sol. deñ. pro qualibet vncia carnium, quam minus dederit, de quo credatur relationi officialis, si inuenerit ipse, vel etiam iuramento emptoris. Item teneantur dicti Beccharij de mense Maij, Iunij, Iulij, Augusti, & Septembris vendere carnes recentes illo die proprio, quo interfecerint bestias, sed ab illo die in ante, & post illam diem, qua eas interfecerint, in dictis mensibus eas carnes vendere non possint, neque debeant, pœna xx. sol. deñ. qualibet vice, & pro quolibet de facto exigenda. Alijs verò mensibus possint, & debeant vendere ipsas carnes, & illa die, qua interfecerint, & sequenti, non tamen possint eas vendere, nec macellare diebus, vel festiuitatibus principalibus, sub pœna xx. sol. deñ. Et quòd eligantur duo homines per DD. Priores Populi, & Vexilliferum iustitiæ, quorum officium duret duobus mensibus tantùm, & habeant pro eorum salario xx. sol. deñ. pro quolibet à Communi: quorum tale sit officium; videlicet quòd ipsi teneantur æstimare omnes carnes. Et vt melius ponatur modus vendendi in eorum æstimationibus, reuelare debeant D. Potestati, D. Capitaneo, vel ipsorum officialibus, & dictis DD. Prioribus, & Confalonerio, & secundum quòd deliberatum fuerit, ita dicti Beccharij vendere teneantur. Item officiales cuiuslibet Rectoris teneãtur habere vnum par bilanciarum, & vnum marcum instrumentum, quas, & quod bancherius Communis eis tradere teneatur, & ponderare, & reuidere pondera carnium, quæ faciunt dicti Beccharij, ad petitionem cuiuslibet petentis, & etiam ex suo officio, & si fuerint iustè ponderatæ, vel non: & si aliquem ex eis inuenerint nõ seruare ordinem, & modum prædictum, eum puniãt, & cõdemnent de facto in pœnis prædictis. Et si dicti officiales in prædictis fuerint negligentes, vel fraudem commiserint, in decem lib. deñ. debeant tempore scindicatus condemnari. Et nullus Beccharius possit, nec debeat vendere pisces recentes, sed solummodo piscatores, nec dicti Beccharij possint, vel debeant stare cùm dictis piscatoribus ad vendendum pisces, nec propè eos, nec eos docere, pœna decem lib. deñ. Et nullus Beccharius cùm vendit carnes, audeat ponderare cum dictis carnibus, nec ad pon-

dus dare caput,pedes,siue vngellas,nec intrinseca alicuius bestiæ. Et si aliquis prædicta vellet separata per se,& non cum alijs mista, dare teneantur ad modum aliarum carnium,sed minori pretio,pœna xx.sol.deñ.de facto exigenda. Et nullus Carnifex possit, nec debeat carnes porcinas salare vsque ad octauam Sancti Martini: & qui contrafecerit, puniatur de facto in xx. sol. deñ. & perdat carnes. Et nulli Becchario liceat ponere aliquam assidem, seu bancham extra bancham consuetam ante stationem vbi ipse Beccharius moraretur,pœna xx.sol.deñ.de facto exigenda. Item nulli liceat extra bancham stationis stare ad vendendum,vel macellandum carnes,sed ad id stare teneatur intra dictas banchas stationis,sub pœna xx.sol.deñ.pro quolibet prædictorum de facto exigenda. Item quòd quicūque Beccharius assauerit aliquam suellam pro porchetta,quæ fecisset aliquam fetam, puniatur dictus Beccharius, & quicunque alius hoc faceret,& venderet pro porchetta,in sol.xl.deñ. Et nullus Carnifex tenere debeat carnes in pellibus inuolutas postquàm fuerint decoriatæ,sub pœna xl.sol.deñ.de facto exigenda. Et si quis ex Beccharijs contrafecerit in aliquo dictorum capitulorum, soluat pœnas prædictas, & nihilominus perdat carnes: & hoc non intelligatur in hœdis, vel agnis. Item nulli Becchario liceat facere,vel vendere carnes in vigilijs festiuitatū Beatæ Mariæ Virginis,& in vigilijs Apostolorum,& quatuor Temporum: & qui contrafecerit,soluat pœnam centum sol. de facto exigendā: & à quolibet possit accusari,& denunciari,& habeat accusator,vel denunciator medietatem banni:& quilibet dictorum Rectorum teneatur inquirere,& repertos culpabiles punire de facto. Insuper omnes Beccharij teneantur omnes carnes,præter hœdos, vendere ad libram, & pondus secundum modū dictum: videlicet quòd DD.Priores populi,& Vexillifer iustitiæ,D.Potestas,& Capitaneus,qui pro tempore fuerint,quorum specialiter intersit, teneantur, & debeant priuatim singulis mensibus semel explorare de conditione carnium,faciendo emi de singulis carnibus,seu animalibus,examinari, & inquiri de eis omnibus,quibus vtantur pro tempore omni modo,quo poterunt cautiori,& scire,& videre per dictam experientiam pro quot deñ.dari potest libra quarumlibet carnium,& secundum conditiones quas inuenerint. Et quòd ipsi Beccharij commodè lucrari possint de arte ipsorum, affectent, aptent, & taxent, vt eis videbitur conuenire, & præcipiant eis singulis duobus mensibus ad plus, pro quanto pretio debeant dare libras quarumlibet carnium: dummodo libra semper esse debeat duodecim vnciarum ad minus; & secundum dictam taxationem, affectum, & mandatum, Beccharij carnes vendere teneantur,pœna xx.sol.deñ.pro quolibet,& qualibet vice de facto exigenda. Quam taxationem, & affectum DD.Priores, & Vexillifer iustitiæ intra decem dies principij eorum officij dare teneantur,sub pœna x.lib.deñ. pro quolibet ipsorum exigenda tempore sindicatus ipsorum. Et nullus Beccharius audeat vendere aliquas carnes sine examinatione, æstimatione,& affectu prædicto eis dādo,pœna centum sol.deñ.vice qualibet de facto exigenda. De quibus Notarius Potestatis, & Iudicis damnorum datorum inuestigare, & inquirere debeat, & punire, vt supra: & possint dicti Beccharij à quolibet accusari,& accusator habeat medietatem banni.

De piscibus vendendis. *Rub. 122.*

CIues Firmani, & districtuales, ac etiam forenses possint deferre pisces recentes ad Ciuitatem Firmi causa vendendi ipsos, ita tamen quòd omnes pisces secundum quòd ad banchum detulerint,simul teneant in bancho publicè ad vendendum,nō tamen intra ostia stationis,sed extra,pœna xx.sol.deñ.de facto exigenda, & perdat etiam pisces, si contrafecerit,de facto. Et quilibet, qui pisces capiet in mari,vel fluminibus pro vendendo,à Trunto vsque ad Potentiam,teneatur ipsos apportare ad Ciuitatem Firmi,& ipsos vendere in platea Sancti Martini,& obseruare prædicta,ad dictam pœnam. Et cuilibet tam Ciui, quàm forensi liceat pisces deferre ad vendendum ad Ciuitatem Firmi; dummodo vendere debeant ipsos pisces secundum formam huius capituli: tamen si eos vendere non possent secundum voluntatem eorum, teneantur ipsos vendere prout possunt, ita quòd penitus vendantur in Ciuitate Firmi,postquàm eos in dicta Ciuitate detulerint, sub pœna prædicta. Et nullus emat,vel emere possit pisces,nisi pro sua,& suæ familiæ comestione ad Portum S. Georgij, nec alibi per riueriam intra supradictos confines,sed tantum emere debeant in Ciuitate Firmi qui voluerit,sub pœna centum sol.deñ.de facto exigenda à venditore,& emente,& pro quolibet ipsorum contrafaciente per se,vel alios. Possit tamen quilibet vendere,& emere pisces coctos, & salatos, alios verò non,sub pœna prædicta. Et omnes pisces recentes vndecunq; venerint ad Ciuitatem Firmi, vel ad Portum S.Georgij, & delati fuerint à piscatoribus, vel alijs, vendi debeant per ipsos deferentes tantùm,& non per alios ad minutum. Et nulli Firmano, vel alij vendi possint dicti pisces, vel pars aliqua

ipsorum

ipsorum causa portandi extra Ciuitatem ad vendendum ad minutum alijs. Saluo quòd liceat, & licitum sit comitatiuis, & districtualibus emere causa vendendi alijs comitatiuis ad minutum pro suo, & familiæ suæ vsu, victu, & necessitate. Et quicunq; detulerit pisces coctos, vel gelatinā piscium ad Ciuitatem Firmi, vel ad Portum, possit, & debeat deferens tantùm ipsos vendere, & nō alius ad minutum. Et teneatur ipse venditor, cùm staret ad vendendum dictos pisces in platea, habere ante se vnam pulchram Tobaliam, & nō tangere cum manibus suis, nec facere aliquam suzurā, nec aliquod turpe opus exercere, dum gelatinam prædictam vendiderit, sub pœna xx. sol. deñ. Et non liceat ipsos pisces alicui forensi vendere in grossum pro portando extra Ciuitatem, sub pœna centum sol. deñ. de facto exigenda ab emptore, & venditore, & quolibet eorum, & pro quolibet in solidū, & ipso facto perdat, & perdere debeat ipsos pisces, & veniant in Communi Firmi. Item nulli liceat vendere pisces recentes in Ciuitate Firmi, nisi illis, qui cœperint cum sua barcha: & qui contrafecerit, in xl. sol. deñ. vice qualibet puniatur de facto. Item quilibet habitator Portus S. Georgij in domo propria, siue conducta habere debeat riparium vnum, vel inter duos vicinos vnum, & vnum rhete piscatorium, & tempore quo mare quietum fuerit, teneatur piscare, & pisces quos cœperit ad Ciuitatem deferre ad vendendum, sub dicta pœna. Et omnes, & singuli piscatores à Trunto vsque ad Potentiam teneantur, & debeant omnes pisces quos cœperint deferre ad Ciuitatem Firmanam ad vendendum, ita tamen, quòd liceat cuilibet piscatori retinere si voluerit pro eius comestione de dictis piscibus: ac etiam vendere liceat omnibus hominibus illius Castri vnde est piscator, si fuerit Castrū intra prædictas senaitas, & cæteros alios pisces deferre ad Ciuitatē Firmi sine aliquo internallo, & sine aliqua alia depositione piscium, quàm vt supra dictū est: nec ipsos pisces audeat aliò portare, vel mittere, quàm ad Ciuitatē Firmi, sub pœna x. lib. deñ. pro quolibet, & qualibet vice auferēda de facto, & pisces ipso facto perditi sint, & veniant in Cōmuni. Liceat etiam cuilibet dictos pisces quos alius portaret, impunè accipere, & ei auferre. Item cuilibet forensis veniens aliquo tempore ad Portum S. Georgij cum retibus, & barchis ad piscandum, teneatur, & debeat pisces omnes quos capiet discarcare in dicto Portu, & sine aliquo interuallo ipsos pisces ad Ciuitatem Firmi deferre, & non ad alium locum portare: & si contrafecerit, perdat ipso facto barcham, & pisces, & Communi Firmi applicētur. Item hospitator, & receptator alicuius forensis venientis ad piscādum ad dictum Portum teneatur, & debeat eidem denunciare, & dicere, vt prædicta obseruet: aliàs si non dixerit, sibi teneatur, & debeat eidem omne damnum resarcire, quod ex inde pateretur: & idem dicimus de Capitaneo Portus, quòd eidem denunciare debeat. Et stutiones, & pisces magni, & grossi vltra xx. libras, si permanebunt in plateis ab hora tertię in antea, vendantur ad libram ad minutum secundum æstimationem per duos homines bonos, & legales de his, qui erunt super aflectu Becchariorum. Item quilibet capiens pisces à Castro S. Benedicti vsque ad Portum S. Georgij, & etiam per totum districtum Firmi debeat illos ad Ciuitatem Firmi deferre, & ipsos vendere in dicta Ciuitate, pœna x. lib. deñ. de facto exigenda à quolibet, & qualibet vice: possit tamen pro se, & suæ familiæ vsu retinere, & vendere hominibus de dictis Castris pro se, & eorum familiæ vsu. Et ꝙ illi de S. Benedicto, de Grottis, de Marano, de Bucchablancha possint vendere pisces per totū diem, quo ipsi cęperunt, & deferunt tantùm, & non vltra, pœna x. lib. deñ. pro quolibet cōtrafaciente, & vice qualibet exigenda de facto. Item ꝙ quilibet, qui defert pisces recentes ad vendendum, debeat ipsos vendere in platea de medio, vel S. Martini, vel S. Bartholomæi, vel S. Zenonis: dummodo non vendant eos in Burgis Becchariorum. Item ꝙ nullus possit, nec debeat, qui Beccharius fuerit, vendere, vel emere causa reuendendi, aliquos pisces recentes in Ciuitate, & districtu Firmi, nec audeat stare iuxta, vel propè aliquam bancham vbi venduntur pisces per aliquem piscatorem tempore quo venduntur pisces per tres banchas, vel tanto spatio; nec aliquam barcham, seu rethe habere causa piscandi, nec cum eis piscari: saluo tempore Quadragesimali; & saluo si voluerit totā barcham causa piscandi, emendo eam à Trunto infra, & à Potentia supra, & cum ea piscari vbicunque, & pisces capere, & emere à quocunque, & eos portare ad Ciuitatem Firmi, quos vendat in dicta Ciuitate, modo, & forma prædictis, & non alibi. Et si quis prædictorū contrafecerit in aliquo casu prædictorum, in x. lib. deñ. vice qualibet, & pro quolibet puniatur, & possit à quolibet accusari: & accusator habeat medietatem banni. Et illi, qui sunt, vel erunt suprastantes Becchariorum, sint, & esse intelligantur suprastantes sciū, & venditorum piscium. Et inquirant dicti suprastātes sollicitè, si per aliquem prædictorū in aliquo prædictorum fuerit contrafactum: & si inuenerint aliquem delinquentem, statim denunciare debeant D. Potestati, vel Capitaneo; quorū, vel alicuius eorū denunciationi adhibeatur plena fides absq; aliqua alia probatione: & contrafacientes, Potestas, vel Capitaneus debeant cōdemnare in pœnis prædictis; de quibus pęnis

dicti supraſtantes habere debeant medietatẽ banni. Et ſi aliquis ipſorũ fraudes cõmiſerit in dicto eorum officio, in x.lib.deñ.cõdemnetur per D.Poteſtatẽ, vel D.Capitaneum. Hoc addito, ꝙ piſces recentes vendi debeant ante nonas tempore æſtiuo. Tẽpore verò hyemali poſſint vẽdi per totã illam diem: à dictis verò horis in antea, officialis teneatur dictos piſces per plateã burlare, & proijci facere, & cuilibet liceat eos accipere, & portare: & quãdo dicatur tẽpus æſtiuũ, & hyemale, Rectoris arbitrio relinquatur. Vendi verò poſſint, & debeãt dicti piſces ſecundũ deliberationẽ, diſpoſitionẽ, & voluntatẽ Poteſtatis, Capitanei, & æſtimatorũ, de quibus infra dicetur, ſi fuerint electi, vel aliorũ, quos ipſi, vel aliquis ipſorũ deputare voluerint, tam in pretio, q̃ in pondere; & ſi quis cõtrafecerit, in x.lib.deñ. puniatur pro quolibet, & vice qualibet. Et quòd DD. Priores, & Confalonerius iuſtitię teneãtur, & debeãt eligere duos ęſtimatores ad æſtimandũ piſces prędictos tempore eorũ regiminis, quãdo eligũtur Cõſules mercatorũ, & duret officium dictorum æſtimatorum per duos menſes, & eligantur per cõtratas ſucceſſiuè, & qui ſemel fuerit in dicto officio, non poſſit eſſe in eodem vſque ad annum, pœna dictis DD. Prioribus, & Confalonerio, ſi contrafecerint x.lib.deñ. pro quolibet, & dicti ęſtimatores ſint ſupraſtantes ſuper reuidendo carnes ſuper beccharijs. Et quicunq; fuerit Poteſtas, vel Vicarius in Caſtris Gructarum ad mare, Turris Palmarum, Marani, S.Benedicti, & Bucchæblanchæ, teneatur facere venire ad Ciuitatem Firmi ad vendendum omnes piſces, qui capiuntur per homines, & piſcatores dictorum Caſtrorum, vel aliunde: dum tamen liceat eis retinere quartam partem ipſorum piſcium, ſi voluerint, in ipſis Caſtris pro eorum victu. Et hoc de dictis Caſtris intelligatur, niſi aliter per Cõcilium Ciuitatis Firmi prouideretur.

De Fornarijs. *Rub. 123.*

FOrnarij accipere poſſint pro eorum fornatico pro quolibet cẽtenatio quatuor panes de quãtitate quam coxerint, nõ de maioribus, vel minoribus, ſed de mediocribus. Tortarię verò accipiant, & accipere poſſint pro quolibet cẽtenario vnum panẽ. Et ad dictã rationẽ dictæ Fornariæ, vel Fornarij, vel Tortariæ accipiant pro rata: & ſi cõtrafecerint ipſi, vel aliquis ipſorum, puniatur de facto in xx.ſol.deñ.pro quolibet, & qualibet vice. Poſſint tamen DD. Priores populi, & Confalonerius iuſtitiæ ſecundum varietatem temporum, & valorem rerum deliberare, ordinare, & ſtatuere, quòd dicti Fornarij, & Tortariæ accipere poſſint minorem, & maiorem quantitatem panis, prout eis viſum fuerit, & placebit. Et ſi panis negligentia, vel defectu Fornarij perderetur, vel non eſſet bene coctus in totum, vel in partem, Fornarij reſtituere, & emendare teneantur: & credatur in prædictis ſimplici verbo domini, vel dominæ, cuius fuerit panis, vel ſeruientis ipſorum ſine aliquo iuramento. Et Poteſtas, vel Capitaneus teneantur facere iurare omnes Fornarios, & ſolenni ſtipulatione promittere, & ab eorum quolibet maribus, & fœminis recipere idoneos fideiuſſores, vel cautiones de obſeruando omnia, & ſingula in hoc capitulo contenta, & de operando officium fornariæ bona fide, & ſine fraude ſecundum formam capituli prædicti, ſub pœna in præſenti capitulo contenta. Item quilibet dominus furni teneatur habere vnũ caminum in ſuo furno, & in bocca furni, vnde exeat fumus à culmine domus, ita quòd vicini ex eo fumo aliquod damnum, vel periculum percipere, vel habere non poſſint, ſub pœna centum ſol.deñ. Item teneantur Fornarij prædicti coquere panes cuilibet mittenti, vel deferenti ad ſuũ furnum ad petitionem mittentis, vel deferentis, ſi ſibi prædixerit hora cõgrua, omnibus ſuis lignis, nullo alio percepto pro cocitura dicti panis, niſi tantùm fornatico prædicto: & ſi aliquid aliud peteret occaſione prædicta, vel coquere denegauerit, de facto puniatur in centum ſol. deñ. & de prædictis credatur illi, cuius fuerit panis, vel illi, qui portauerit panem ad furnum. Et quilibet Fornarius habeat foueam in domo, in qua habet furnum pro mittendo in ea prunam, ſiue braſiã de igne, & in ea debeat eam coadunare, ita quòd damnum aliquod nõ poſſit inferri cùm fuerit vetus, qui poſſit apportare ignẽ ad buſcam, ſub dicta pœna. Et quælibet Tortaria, vel Fornaria, vel quæuis alia, quæ panem portauerit ad furnũ, ipſum reportare, & remittere teneatur, poſtquàm fuerit coctus, ad domum ipſius, cuius fuerit panis, integrè quãtum fuerit, ſine diminutione aliqua, pæna xx.ſol.deñ. pro quolibet, & qualibet vice. Et quilibet habens furnum in Ciuitate, teneatur, & debeat ipſum furnum delato pane in eo facere ferrari, & claudi, præcipuè de nocte, ſub dicta pœna, & nulla mulier audeat filare in domo vbi eſſet furnus, nec in ipſa domo roccham immittere, vel tenere, ſub pœna v.ſol. deñ. pro qualibet contrafaciente, & qualibet vice: & de quolibet prędictorum capitulorũ poſſit à quolibet accuſari contrafaciens, & accuſator habeat medietatem banni.

De Panifaculis, & vendiriculis. Rub. 124.

NVlla persona paniuendula, siue panifacula permittat alicui tãgere panẽ de panerio, siue paruẽterio, vel loco alio in quo panẽ tenet ad vendendum, nec ipsa eadẽ tangat, nisi manibus lotis, sed habeat, & habere debeat semper super pane tobaliã albã, & vnum banchettũ paruum, & subtilẽ longitudinis vnius pedis, vel circa, cũ quo volentes emere panẽ possint tangere, & voluere pro videndo eũ: & si talis vidẽs panẽ voluerit de dicto pane, vendiricula, siue panifacula sibi det dictũ panẽ, videlicet illum quẽ dictus emere volens tetigerit cum dicto baculo: & postquã dictus panis acceptus fuerit in manibus, vel gremio, vel alibi per emptorẽ, non possit reponi in dicto paruenterio. Item nulla panifacula, vel tricula audeat tenere porcũ aliquẽ in platea: & si cõtrafecerit in prædictis, puniatur de facto vice qualibet, & pro quolibet in xx. sol. deñ. Item nulli liceat prædictorũ emere res comestibiles ante nonã pro reuendendo eas, pœna xx. sol. deñ. Itẽ nulli prædictorũ, nec etiã alij liceat, dum staret ad vendendũ panes, vel olera, tenere rocchã, siue conochiam, nec filare dum staret ad prædicta, nec aliquã filantẽ permittere secũ stare dum vẽderet prædicta, nec ipsas res ei tangere permittat, pœna prædicta. Et nulla ipsarũ, nec aliqua alia mulier conochiam deferre possit per plateã Cõmunis, vel plateas, pœna prædicta xx. sol. Itẽ teneantur dictæ panifaculæ, & quilibet alij vendentes panẽ vendere panem secundũ affectum, & ordinationẽ fiendã per Regulatores Cõmunis, pœna duorum sol. deñ. pro quolibet pane, si nõ fuerit ponderis ordinati; & panes perdere debeãt, & dari per officialẽ carceratis, & captiuis. Regulatores autẽ in faciendo dicto affectu, & ordinatione semper habeant respectũ ad valorẽ grani secundũ cursum tẽporis. Itẽ nulla panifacula, triccola, beccharius, vel quiuis alius, qui, vel quæ staret, & habitaret, vel moram traheret in stationibus, vel domibus à landrone olim Domini Matthæi Vgolini vsque ad Turrim olim Nicolutij Roggierij, audeat emere aues, vel lepores, vel alia syluestria, vel eorum carnes tenere ad vendendum, vel vendere, sub pœna xx. sol. deñ. pro quolibet: & possit contrafaciens à quolibet accusari, & denunciari: & accusator, vel denunciator habeat medietatem banni, & credatur sacramento accusatoris, vel denunciatoris.

De rebus comestibilibus intra senaitas non emendis. Rub. 125.

ITem volumus, ꝙ nemini liceat emere, vel emi facere extra Ciuitatem, vel muros ipsius intra ista cõfinia, videlicet à Gructa Azolina, & Podio Raynaldi intra versus Ciuitatẽ Firmi, & à Turri Palmarũ intra aliquas res comestibiles causa reuẽdẽdi: & qui cõtrafecerit, puniatur de facto in xx. sol. deñ. Et nulli liceat per se, vel aliũ emere, seu emi facere causa reuendẽdi pullos, oua, caseũ, seu res aliquas comestibiles in aliquo loco intra dictas senaitas, & extra Ciuitatẽ, sub dicta pœna. Intus verò Ciuitatẽ possit post nonas, & nõ aliter, ad dictã pęnã vice qualibet, & pro quolibet cõtrafaciente de facto exigẽda. Et in qualibet cõtrata eligatur vnus homo per DD. Priores, & Confalonerium iustitiæ, qui pro tempore fuerint, qui sit custos prædictorum, & denunciet contrafacientes, & credatur sacramento cuiuslibet ipsorum, & habeat medietatem banni. Et nemo possit incoptimare poma ante nonam, sub dicta pœna de facto exigenda. Et Potestas teneatur inquirere de prædictis, & repertos culpabiles punire in pœnis prædictis.

De modo, & forma danda hospitatoribus. Rub. 126.

ITem statuimus, ꝙ Capitaneus, siue Potestas, vnà cũ DD. Prioribus, & Vexillifer iustitiæ Ciuitatis Firmi teneãtur eligere duos bonos, & legales homines maiores xl. annis de Ciuitate Firmi, qui debeãt superesse ad hoc, vt mensuræ hospitũ, qui vẽdunt bladũ ad minutum, scilicet præbẽdas equorũ, sint bullatæ bulla Cõmunis, & qui intersint ad dandũ modũ, & formã eis in vẽdendo præbẽdas, & secũdũ modũ, & formã per eos datũ, & ordinatũ per prædictos, ita mãdetur executioni. Et Potestas, & Capitaneus mãdent executioni quicquid per prędictos fuerit ordinatũ, pœna xxv. lib. deñ. de eorũ salario retinẽda. Et si aliquis hospes inuentus fuerit cõtra formam, & modum datum venire, vel contrafacere, puniatur vice qualibet in centum sol. deñ. Et si dicti duo electi fuerint negligentes in exercendo eorum officium, puniatur quilibet ipsorum in centum sol. deñ. Et habeant, & habere debeant pro eorum salario sol. xx. deñ. pro quolibet: & eorum officium duret per sex menses.

Quòd nulla persona capiat in tenutam possessionem Communis. Rub. 127.

ITem statuimus, quòd nulla persona, cuiuscunq; cõditionis, & status existat, audeat, vel pręsumat causa alterius debiti modo aliquo, vel iure capere, vel accipere in tenutã, vel possessionẽ auctoritate ꝓpria, vel emere bona Cõis Firmi, scilicet prata, res alias, fornaces, carbonarias, fontes, & terrenũ fõtiũ, padules, & bona alia stabilia, vel Castra Cõis Firmi. Et quicũq; tẽporibus re-

troactis accepisset de bonis prædictis in tenutã, teneãtur reassignare, & relaxare DD. Prioribus populi, & Confalonerio pro Cõmuni Firmi intra x. dies post bannimentũ: & contrafaciens in lib. quinquaginta deñ. condemnetur, & tenuta accepta de dictis bonis sit ipso iure nulla, & nullius valoris existat: reseruato tamen iure suo dicto tali accipienti tenutam contra eos, si quid competit. Et Potestas, & Capitaneus teneantur in principio eorum officij banniri facere prædicta inuiolabiliter obseruari.

De adiutorio faciendo volentibus facere cisternam. Rub. 128.

FAciens, vel fieri faciens aliquã cisternam intra muros Ciuitatis, in qua expenderẽtur xxv. lib. deñ. vel vltra, habere debeat à Cõmuni faciens lib. x. deñ. pro adiutorio. Et si faceret aliquis cisternã in dicta Ciuitate, in qua expenderentur lib. xv. deñ. fiat ei adiutoriũ tertiæ partis per Cõmune. Et nulli fieri debeat solutio, nisi prius cisterna cõpleta fuerit; sed ea completa Potestas teneatur, sub pœna centũ lib. deñ. dictam quantitatem ei solui facere. Et quicunq; fecerit cisternã specialiter, non teneatur facere adiutorium in cisternis contratarum, vel Communis fiendis. Et si quis receperit in præteritum, vel recipiet in futurum aliquam pecuniam pro cisterna quam non compleuerit, in x. lib. deñ. debeat condemnari, & pecuniam acceptam dicta de causa in duplum reddere teneatur. Et Potestas, & Iudex iustitiæ de prædictis inquirat, & possit contrafacientibus de facto ipsam pecuniã sic acceptam repetere, & accipere pro Communi.

De vino, & musto deferendo ad Ciuitatem, & de securitate venientium ad eandem Ciuitatem ad ipsum vinum, & mustum emendum. Rub. 129.

ITem statuimus, q liceat omnibus hominibus Castrorũ, & Villarum districtus Firmi deferre, & deferri facere mustum, seu vinum ipsorum, quod de eorum fructibus habuerint, ad Ciuitatẽ Firmi, & ad Portum S. Georgij singulis annis, nõ obstante aliquo statuto Cõmunis Firmi in contrarium loquente, quod ex nunc volumus esse nullius momenti, efficaciæ, vel valoris. Item statuimus, & ordinamus, quòd quicunq; voluerint venire ad Ciuitatem Firmi ad emendum, & portandum vinum, vel mustum extra Ciuitatem Firmi, veniant liberè, & securè, & morentur in ea, represalijs aliquibus concessis, vel concedendis non obstantibus: & hoc Potestas, & Capitaneus banniri facere die fori, & tempore congruo teneantur.

De calce, preta, & arena, cantonibus, coppis, & de fornachiarijs. Rub. 130.

STatuimus, q Fornachiarij teneantur calcem vendere ad illã mensurã, cum qua mẽsuratur granum: & si contrafactũ fuerit, in x. sol. deñ. pro quolibet, & vice qualibet puniãtur. Et debeãt facere lateres, siue cantonos, & coppos ad modũ antiquũ de longitudine, latitudine, & grossitudine; & dictus modus debeat fieri, & renouari, & talis modus poni in massaria Cõmunis, qui modus sit ferratus, ita q qui voluerit, possit inde trahere exemplum: quæ renouatio fieri debeat per officialem, vnum scilicet per contratam, eligendum ad scarfinã in Concilio, quãdo alij officiales eliguntur. Qui officiales sic electi possint, & debeant de his, quæ in præsenti capitulo cõtinentur, & omnes contrafaciẽtes denũciare Potestati, & suis officialibus. Et quicunq; fecerit, vel fieri fecerit vnã fornachiã cantonũ, siue laterũ, teneatur, & debeat facere, vel fieri facere duo milliaria copporũ, sub pœna xl. sol. deñ. Et quicunq; ipsam calcẽ, vel coppos, vel cantonos falsauerit quomodocũque, puniatur in centũ sol. deñ. & damnũ patienti emendet: de quo damno stetur iuramẽto magistri, qui ipsos cãtonos murauerit, vel qui ipsos coppos cõposuerit, & de his summariè cognoscatur, sine strepitu, & figura iudicij, & de plano. Item nemo portare debeat cantonos, vel coppos vltra Tennã, vel vltra Etam, nisi de licentia Potestatis, Capitanei, vel Cõcilij, & nisi pro Castris Cõmunis Firmi pro ædificãdo in his Castris, pœna xl. sol. deñ. illi qui cõtrafecerit. Adijcientes etiam, q nulla persona de Ciuitate, & comitatu Firmi, & in eis habitans possit extrahere, & vendere calcem non subiectis, & extra districtum huius Ciuitatis, sub pœna x. lib. deñ. pro qualibet salma, & vice qualibet de facto exigenda à quolibet vendẽte, & extrahente. Qui verò fecerit cantonos pro se, & pro suo ædificio, & non causa vendendi, non teneatur ad faciendum, vel fieri faciendũ coppos, & duo miliaria copporũ, vt supra dictum est. Item vendẽs arenã teneatur dare modiũ de duodecim buzolis, & mensurare qualibet vice, quod non possit remitti per emptorem: & qui cõtrafecerit, puniatur in x. sol. pro quolibet modio, & damnum reficiat damnũ passo, de quo stetur sacramẽto ipsius damnũ passi vsq; in v. sol. deñ. & de omnibus supradictis, & quolibet ipsorũ possit à quolibet accusari, & denunciari cõtrafaciens, & habeat accusator medietatẽ bãni

Quòd mercatores monstrent pannum extra domos, siue fundicos. Rub. 131.

ITem statuimus, quòd mercatores, & quilibet mercator pannorum teneantur ad petitionē volentium pannos videre pro emendo, ipsos pannos de foris, & extra fundicos ad lumen ostendere, pœna xx. sol. pro qualibet vice, qua cōtrafecerint. Item teneantur dicti mercatores pannos mittere ad vendendum ad domum cuiuscunq; volentis ipsos pannos videre, sub dicta pœna. Item quilibet pannus, qui mensuraretur de lana, de zambelloto, de sagia, siue sindone, vel velluto, debeat mensurari, ita quòd non capiatur pannus, sed quilibet mercator teneatur ponere pannum duplicatū si est, & sicut venit in petia duplicatum in bancha, & ponere braciarolum supra dictum pannum per vnum palmum subtus lenzos panni sine aliqua extensione panni, & signare in fine dicti braciaroli, pœna centum sol. deñ. illi, qui contrafecerit vice qualibet: & possit à quocunque accusari, & denunciari, & habeat accusator medietatem banni.

Quòd Fornarij non calefaciant furnum cum nocchis. Rub. 132.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd Fornarij, vel Fornariæ non coquant, nec coquere debeāt panem, nec calefaciant furnum cum nocchis oliuarum, nisi de licentia DD. Priorum populi, & Confalonerij; quam licentiam dicti DD. concedere possint tempore necessitatis: & qui contrafecerit aliter coquendo, vel scaldando, siue calefaciendo, soluat vice qualibet, & pro quolibet sol. centum deñ. de facto: & omnibus sit licitum denunciare contrafacientes, & credatur denunciatori, vel accusatori cum vno teste de visu; & denunciator, vel accusator habeat medietatem banni. Item statuimus, quòd Fornariæ, & Tortariæ teneantur dare vicennam, & præcipere panem vnicuique volenti coquere, seu coqui facere panem: & tortaria, seu tortariæ teneantur panem portare ad numerum, quando portaretur ad furnum ad coquendum, & reportare ad dictum numerum coctum ad domum illius, cuius fuerit pro fornatico ordinato; & si prædicta non seruauerit, puniatur de facto, & vice qualibet in sol. xx. deñ. & possit à quolibet accusari, vel denunciari, & stetur dicto vnius testis cum iuramento: & habeat accusator, vel denunciator partem, vt supra dictum est.

De tabernarijs. Rub. 133.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd tabernarij, & quilibet vendens vinum ad minutum ad spinam teneantur, & debeant vendere vinum per gabellarios eis bullatum in vegete purum sine aliqua alia immistione alterius vini, vel aquæ, pœna centum sol. denariorū cuilibet contrafacienti, & vice qualibet. Item debeant dicti venditores vinum ad spinam habere, & tenere petittum, medium petittum, terzarolam, & fulgetam bullatas, & iustas, appodimatas, siue assagiatas cum mensuris Cōmunis. Si quis verò inuentus fuerit habere prædicta vasa, vel aliquod ipsorum non iusta, licet fuerint bullata bulla ordinata, pro quolibet vase non iusto puniatur in xx. sol. deñ. Si verò habuerit, & tenuerit prædicta vasa, vel aliquod ipsorum iusta, sed non fuerint bullata bulla ordinata, soluat pœnam decem sol. deñ. Si verò non fuerint bullata, & non fuerint iusta, soluat pro quolibet vase sol. xl. deñ. vice qualibet. Si verò aliquis prædictorum repertus fuerit facere colarictum, & non dederit vas plenum, pro quolibet colaricto soluat pœnam v. sol. deñ. Item teneantur tenere vasa in eorum banchis reuersata, & quando quis vellet vinum, portent mensuram vini ad vegetem, nec tenere debeant vinum in aliquo vase in bancha, sed emere volentibus dent de vino vegetis, pœna x. sol. deñ. pro quolibet contrafaciente, & vice qualibet.

De lino non battendo in Ciuitate. Rub. 134.

NEmini liceat sine licentia DD. Priorum, & Vexilliferi iustitiæ, vel Capitanei populi dictæ Ciuitatis linum battere intra muros Ciuitatis Firmi, pœna xl. sol. deñ. cuilibet contrafacienti vice qualibet. Et cuilibet liceat accusare, & denunciare, & habeat denunciator, siue accusator medietatem banni, & credatur in prædictis relationi officialis.

Quòd Iudæi non intrent Palatia, nec vendant prohibita, & incedant signati. Rub. 135.

ET omnis materia simoniç tollatur, volumus, & hac lege sancimus, quòd nullus Iudęus intrare possit, vel debeat palatia Rectorum Ciuitatis Firmi: videlicet Potestatis, vel palatium Capitanei Ciuitatis Firmi, in quibus prædicti, vel aliquis ipsorum residentiam faceret. Si quis verò Iudæus contrafecerit, puniatur de facto in lib. xxv. deñ. & Potestas, vel Capitaneus permittens Iudæum, vel Iudæos intrare, in lib. centum deñ. puniatur. Liceat tamen Iudæo, vel Iudæis intrare gabellam, & audientiã gabellæ, & in palatio Potestatis, vel Capitanei, quando prædicti Rectores, vel aliquis ipsorum starent ad banchum iuris ad ius reddendum, sine pœna: dum tamen dicta hora, nec ante, vel postea ascendant dicti Iudæi scalas, vel intrent aliquas cameras, vel stallam, ad dictam pœnam. Item nolumus, quòd Iudæi prædicti in die Veneris Sancti per totam diem, & etiam in die Sabbathi Sancti vsq; ad vesperas, quando campanæ pulsantur, & in die festi sacratissimi Corporis Domini Nostri Iesu Christi vsq; ad vesperas exire valeant domos, & ire debeãt per vias, & plateas, nec tenere ostia domorum aperta, vel stare ad fenestras domorum, pœna xl. sol. pro quolibet, & vice qualibet de facto eis, & cuilibet ipsorũ contrafacienti auferenda. Adijcientes insuper, ꝙ Hebręi prædicti teneantur, & debeãt ferre signum O in latere dextro euidẽs, & apertum ante mammillã, & masculi in capitibus suis, etiam birreta croceĩ, siue gialli coloris decincta: fœminæ verò velamina eiusdem coloris, & simili modo per Ciuitatem, & comitatum nostrum, sub pœna cuilibet cõtrafacienti xxv. lib. deñ. de facto exigenda, & sine aliqua condemnatione per officiales, & habeant inuentores quartã partẽ pœnæ prædictæ, & quilibet possit eos accusare. Intelligatur autẽ inuẽrio esse vera, si cũ probatione duorũ testium, vel vnius famuli officialis inuenientis, & vnius alterius testis Ciuis, vel comitatiui nostri probaretur. Hebræi autem itinerantes, & peregrè proficiscentes, vel etiã forenses, possint per tres dies sine dictis signis per nostram Ciuitatẽ, & comitatum ire, stare, & redire impunè. Item volumus, ꝙ Hebræi nullo modo possint stare, habitare, & morã familiariter trahere, nec stationes, seu apothecas retinere in domibus proprijs, vel conductis in strata magistra situatis, vel habentibus suos muros contiguos in dicta strata, & in ea strata introitus, & exitus quoquo modo: & si quis in pr̨edictis, vel quolibet prædictorũ contrafecerit, ipso facto incurrat pœnam xxv. lib. deñ. de facto absque aliquo processu, & scriptura exigendarum in Cõmuni: & à quolibet possint accusari, & officiales teneãtur facere executionem sub pœna prædicta, si fuerint negligentes. Possint tamen impunè stare, & exercere artem ipsorum in apothecis in strata ab Ecclesia S. Bartholomæi citra versus plateam S. Martini. Item volumus, quòd nulli Hebræo liceat vendere carnes asciatatas, nec vinaciarium pistatum ab Hebræo Christianis, nec alicui Christiano liceat emere aliquid de prædictis, sub pœna centum sol. cuilibet contrafacienti, & qualibet vice de facto exigendorum: & officialis exequens habeat quartam partem dictæ pœnæ.

De stipulatione pœnarum in fabricam murorum Ciuitatis Firmi. Rub. 136.

OMnes Notarij Ciuitatis, & comitatus Firmi, & cæteri alij Notarij, qui rogantur de aliquo cõtractu in Ciuitate, vel comitatu prædicto, quando stipulantur pœnas super aliquo contractu, siue sit in dando, & in datione, & numeratione pecuniæ, siue super facto, & super aliquo fiendo, teneantur, & debeant stipulari pro dimidia dictæ pœnæ Communi Ciuitatis Firmi, & pro fabrica murorum dictæ Ciuitatis, pœna Notario contrafacienti xx. sol. deñ. de facto ei auferenda: quòd si non fecerit, nihilominus auctoritate huius statuti sit perinde, ac si Notarius stipulatus fuisset pro dimidia dicto Communi, & fabrica prædicta. Et Syndicus Communis, qui erit ad causas, debeat dictas pœnas exigere pro Communi, & fabrica prædicta pro dimidia, & pro alia dimidia pro parte obseruante contractum; & officiales Communis teneantur, & debeant, pœna centum lib. deñ. ad petitionem dicti Syndici Communis cogere realiter, & personaliter partem non obseruantem contractum, & quæ incidit in pœnam, ad soluendum dictam pœnam de facto, sine strepitu, & figura iudicij, solum scita veritate, absque processu, solennitate, & substantialitate iudiciorum.

De Ciuibus recusantibus soluere datiuas possessionum, quas habent in comitatu. Rub. 137.

OMnes, & singuli Ciues recusantes soluere datiuas possessionum appretiatarum in Castris nostri comitatus, & eorum territorijs, impositas, vel imponendas per Commune Firmi, per Potestatem, & alios officiales, qui nunc sunt, & pro tempore erunt, ad instantiam cultorũ dictorũ Castrorum teneantur, & debeãt realiter, & personaliter dictos recusantes soluere cogere ad soluendũ

eorum

eorum ratas vsque ad integram satisfactionem dictarum datiuarum: exceptis Ciuibus, qui haberent sententias, quæ declararent apertè ipsos non teneri ad solutionem supradictam.

De non faciendo feccas in flumine Tennæ. *Rub. 138.*

NVllus cuiuscunq; gradus, & conditionis, audeat, vel præsumat facere feccas in flumine Tennæ, vel Letæ, sub pœna xxv. lib. deñ. pro quolibet contrafaciente, & vice qualibet. Et officiales Potestatis, & Capitanei possint, & debeant inuestigare facientes dictas feccas, & repertos culpabiles punire, & habeant quartam partem pœnæ, quam deuenire in Commune fecerint. Hoc autem intelligatur vsque ad passum Sancti Elpidij ad mare, à quo passu tendendo versus mare omnibus impunè liceat in prædicto flumine Tennæ feccas facere.

De Turrionibus Communis non locandis. *Rub. 139.*

TVrriones Communis nullo modo dentur ad nolum, nec alicui locentur, sed vacui, & expediti maneant, & stent semper per Commune. Item nullus possit, nec debeat laborare, impedire, vel occupare propè muros Communis, sed dicti muri semper sint liberi, & expediti, pœna xxv. lib. denariorum.

De non emendo fructus ante tempus. *Rub. 140.*

DEliberatum, ordinatum, & statutum fuit super fructibus emptis, & emendis ante tempus ad pretium, siue pactum firmum, hoc modo: videlicet, quòd nulla persona de dicta Ciuitate Firmi, & comitatu suo, & in eis habitans, & morans; aut si forensis esset, cuiuscunque conditionis, dignitatis, & status existat, & esse velit, possit, nec debeat, nec aliquo modo sibi liceat in ipsa Ciuitate, comitatu, fortia, & districtu emere, nec emi facere ab hominibus, & personis ipsius Ciuitatis, & comitatus, nec ipsius habitantibus, vel alia quauis alia persona, aliquod genus fructuum ante tempus ad pretium, & pactum firmum, & stuccum, sub pœna x. ducatorum Notario, qui de prædictis rogatur, exigendorum de facto à prædictis. Et dicta pœna decem ducatorum intelligatur pro quolibet milliare olei empto ante tempus ad pactũ firmum, & stuccum pro qualibet vice, & quantitate olei, & fructuum infrascriptorum, prout dictum est, & pro qualibet salma grani, aut bladi, & qualibet salma vini, pro quolibet rubbo lini, pro qualibet salma nucum, pro qualibet salma ficuum, & pro qualibet salma seminis lini, pœna xl. sol. deñ. & pro quolibet emptore, venditore, & Notario, qui se rogaret de prædictis, de facto exigendorum, & soluendorum. Sed liceat, & possit emere, & emi facere ante tempus pro pretijs, quibus valebunt temporibus congruijs dicti fructus, idest secundum æstimationem faciendam per æstimatores eligẽdos per Cernitam: videlicet super grano, hordeo, spelta, & super omni genere bladi per totum mensem Augusti, super semine, & quolibet rubbo lini per totũ mensem Octobris, & super nucibus, & ficubus per totum mensem Nouembris, & super oliua per totum mensem Ianuarij, & super oleo per totum mensem Martij proximè futurorum: & quilibet possit cum vno teste esse accusator, & lucretur quartam partem dictarum pœnarum, & teneatur secretus. Et etiam quilibet officialis Ciuitatis Firmi, & sui comitatus, qui per suam inuentionem, vel ex accusatione sibi facta per accusatorem exiget, & exigi faciet, & in Communi deuenire faciet pœnas prædictas, lucretur, & habere debeat quartam partem pœnarum prædictarum. Item quòd emptores supradictorum fructuum, & rerum prædictarum ante tempus emptarum, in casu, quo in Ciuitate, & comitatu generaliter non recolligerentur fructus prædicti, neque reperirentur vniuersaliter, teneantur à venditoribus solum, & duntaxat denarios pro fructibus, & rebus prædictis solutos reaccipere, & nullo modo possint reæstimare fructus prædictos. Et similiter venditores dictorum fructuum teneantur, & ita cogi possint, & debeant soluere, & reddere dictos denarios emptoribus prædictis. Item quòd venditores dictorum fructuum non possint, nec debeant dare fructus prædictos alij, vel alijs hominibus, & personis, quàm illi, vel illis, quibus vendiderint pro pretio, seu pretijs, quibus æstimabuntur in temporibus supradictis, sub pœnis prædictis à dictis venditoribus de facto exigendis pro qualibet vice, qua contrafecerint. Item quòd quilibet Notarius, qui se rogaret de emptione dictorum fructuum ante tempus ad pactum firmum, & stuccum, incidat in pœnam decem ducatorum de facto pro qualibet vice exigendorum, & soluendorum. Et similiter nullus Notarius possit, nec debeat se rogare de aliquo contractu depositi olei, aut aliorum fructuum, sub dicta pœna decem ducatorum: saluo pro pretijs cõgruis faciendis, & æstimandis per æstimatores temporibus suprascriptis. Et si dictus Notarius dubi-

taret in dictis contractibus depositi, quòd essent fictitij, illiciti, seu vsurarij, teneatur, & debeat dare iuramentum partibus contrahentibus pro veritate dicenda, & habenda: & etiam partes, videlicet emptor, & venditor fructuum prædictorum teneantur sumere iuramentum, & dicere veritatem, sub pœna x. ducatorum, tam Notario, quàm emptori, & venditori prædictis, si contrafecerint; & tandem dicti contractus ipso facto sint nulli, & nullam executionem habeant, nec mereantur, sed pro nullis, & infectis habeantur. Et Potestas præfatæ Ciuitatis Firmi, & sui officiales, teneantur, & debeant exigere, & exigi facere pœnas prædictas à quolibet contrafaciente in qualibet parte, & quolibet capitulo, vt supra, & habeant, & lucrentur quartam partem dictarum pœnarum, quas deuenire fecerint in Communi, aut per accusationem aliorum, aut per inuestigationem, seu inuentionem suam, procedendo semper, & exequendo de facto, omissa omni iuris solennitate, sine processu aliquo, reperta tantùm veritate facti. Et si in prædictis, & quolibet prædictorum dicti Potestas, & sui officiales essent negligentes, ipso facto incurrant pœnam quinquaginta lib. deñ. pro quolibet ipsorum, qui negligens, seu negligentes essent, de facto exigendorum, & de eorum salario retinendorum.

De curribus non mittendis in Ciuitatem. *Rub. 141.*

CArratores cum curribus, vel quiuis alius cum curribus, siue carris de cætero nõ possint intrare portas Ciuitatis, nec aliquid cum eis trahere intus per Ciuitatem cum dictis carris sine licentia Cernitæ, sub pœna xxv. lib. deñ. pro quolibet, & vice qualibet.

De fœminis impudicis expellendis de contrata, & de loco, in quo possunt meretrices mansionem facere. *Rub. 142.*

STatuimus, & ordinamus pro honestis moribus, & pudicitia conseruandis, quòd DD. Priores, & Regulatores habeant plenam auctoritatem, & baliam prouidendi, & Potestati, & officialibus committendi quotiens in aliqua contrata Ciuitatis, vel comitatus habitarent fœminæ impudicæ, & vicini de illis querelam exponerent de inhonesta vita, vt de dicta contrata fœminæ prænominatæ expellantur, & remoueantur, & vadant in locis congruis ad habitandum. Meretrices autẽ possint mansionẽ tenere, & habitare in domibus, quæ sunt in introitu, vel viacula, quæ incipit ab apotheca hæredum Ludouici Ioannis del Papa, & apotheca D. Ioannis Francisci de Asaltis in platea, & tendit per introitũ inter prædictas apothecas vsq; ad domum Ludouici Matthæi Cicchi: dummodo in via, qua itur inter domos, & hospitium hæredum Assalti, & Furnum, & domum hæredum Pierangeli non exeant, & ostium apertum non teneant, nec in eadem via quoquo modo sedeant, & similiter non stent in via, qua itur ad Ecclesiam Sancti Dominici inter hospitia: & si contrafecerint, incurrant pœnam x. lib. deñ. pro qualibet, & vice qualibet.

De pœna euntium ad pretium extra districtum. *Rub. 143.*

NVllus de Ciuitate, & comitatu, & in eis habitans vadat ad operã, & ad pretium extra Ciuitatem, & comitatum, sub pœna xx. lib. deñ. pro quolibet cõtrafaciente, & qualibet vice, & cuilibet liceat accusare, & teneatur secretus, & lucretur medietatẽ pœnæ prædictæ de facto exigendæ, cui legi non subiaceant, qui extra Prouinciam irent ad lucrandum de operibus, seu pretijs.

De pœna euntium ad macinandum extra districtum. *Rub. 144.*

COmitatiui, & in comitatu nostro habitantes non possint, nec debeant ire ad macinandum extra districtum, & comitatum Firmi: & contrafacientes perdant bestiam, & salmam, & inuentor habeat medietatem pœnæ: & quilibet possit accusare, & habeat quartam partem dictæ pœnæ, & accusator teneatur secretus, & auctoritate præsentis legis vnicuiq; sit denegata potestas eun di extra districtum ad macinandum.

Quòd victualia vendatur ad culmum. *Rub. 145.*

DOmini Priores, qui pro tempore erunt, habeant auctoritatem, vnà cum Regulatoribus, prouidendi, vt comitatiui semel in hebdomada mittant farinam, hordeum, & victualias in platea, & vendant ad culmum omnia genera bladi, farinæ, & leguminis, sub pœna xx. sol. pro quali bet mensura, & vice qualibet: excepto frumento, siue grano, quod vendant ad rasam mensurã. Et qui

liber Officialis Ciuitatis,& comitatus habeat auctoritatem,& iurisdictionē inquirēdi,inuestigandi,& procedendi de facto contra omnes cōtrafacientes vbicunque in prædictis ad executionem pœnæ prædictæ,& lucretur quartā partem pœnæ prædictæ de eo, quod fecerit venire in Cōmuni ex eorū officio.

Quòd Ciuis,& comitatinus,qui esset leno,possit capi pro manigolto. Rub. 146.

NVllus de Ciuitate,& comitatu sit leno,nec retinere possit meretrices in hac Ciuitate, & comitatu eius:& qui retineret,capiatur, & capi possit pro manigolto, ad dedecus , & vituperium ipsius contrafacientis.

De venditione olerum,& aliarum herbarum. Rub. 147.

VEndentes olera, & alias herbas,de quibus possint fieri manipuli , non excedant pretium duorum denariorū pro quolibet manipulo. Et similiter intelligatur de cicere recenti,& non possint vendere ad arbitrium,pœna xx.sol.qualibet vice,qua vendiriculi contrafecerint.

De aptatione stratarum Ciuitatis. Rub. 148.

AD hoc,vt stratæ Ciuitatis manu teneantur,& non deuastentur,statuimus,& ordinamus,quòd deputetur vnus Ciuis per quamlibet contratam,qui habeant auctoritatem,& potestatem reuidendi,& faciendi aptare dictas stratas,vbi deuastantur,sumptibus,& empensis patronorum domorum,qui cogantur soluere dictas expensas pro magistria, & per Commune mittantur,& dentur lateres,siue mattoni necessarij. Et officialis extraordinarius habeat curam faciendi leuare bructuram, & letamen , & alias immunditias de dictis stratis ex officio suo secundum formam statutorum nostrorum de tali materia loquentium.

Ne ligna per mare extrahantur. Rub. 149.

PRo abundantia habenda in Ciuitate,& comitatu Firmi,statuimus, & ordinamus, quòd ligna per mare modo aliquo non exportentur,sub pœna x. ducatorum auri pro qualibet naui plena lignorum,aut qualibet barchata,qua extrahuntur,& de facto exigatur pœna: quam etiā pœnam vendentes ipsa ligna extrahenda,& auxiliantes pari modo incurrant.

De pretio,& mensura circulorum. Rub. 150.

HAc lege sancimus,vt de cætero circuli,seu cerchij vegetum vendantur modo, & forma infrascriptis, videlicet quòd longitudinis , & mensuræ decem pedum vendatur bina octo bol. deinde gradatim vsque ad vltimam sortem descendendo valeat bina circulorum mensuræ septem pedum bol.sex,quinque pedum bol. quatuor, & bina circulorum minoris mensuræ bol. tres. Et si maioris longitudinis , & mensuræ decem pedum fuerint , vendatur bina pro rata, attentis pretijs prædictis,& vltra non vendantur,sub pœna vnius ducati,quotiens fuerit contrauentum à quocunque venditore,& vice qualibet.

QVINTI LIBRI FINIS.






STATVTORVM COMMVNIS FIRMI LIBER SEXTVS

FELICITER INCIPIT.



De gabellis soluendis per libram. Rub. 1.



RAESENTI statuto firmamus,& ordinamus,quòd de omnibus rebus,& mercantijs,quæ mitterentur in Ciuitatem Firmi, tam per Ciuem, quàm per forensem, & quæ extraherentur de dicta Ciuitate, & quæ mitterentur per mare,vel per terram, aut quòd vendantur, vel emantur, & etiam per homines comitatus Firmi,soluantur xij.deñ.per libram,videlicet sex deñ.per partem; & hoc,si dictæ mercantiæ venderentur tantùm: & si nõ venderentur dictæ res,vel mercantiæ, mittentes eas teneantur soluere dictam gabellam xij. deñ.per libram pecuniæ. Et quòd officialis gabellæ possit,& sibi liceat de dictis rebus,& mercantijs gabellam exigere, & à quocunque sibi videbitur,& placebit melius posse exigere. Si verò dictæ mercantiæ, vel res sic missę in dictam Ciuitatem nõ venderentur,& talis mittens eas vellet extrahere, & conducere, & reportare ad locũ à quo eas conduxit, intra decem dies à die qua ipse res, vel mercantiæ missæ fuerint computando, liberè,& sine aliqua solutione gabellæ reportare,& extrahere possit: & de ipsarum extractione,& reportatione ad locũ à quo conduxit,stetur sacramento dicti mittentis,siue extrahentis. Et si eas alibi quàm ad locum à quo conduxit eas extrahere voluerit,& reportare, soluat gabellam passus de dictis rebus, & mercantijs. Et ꝙ quilibet forensis teneatur vltra debitam gabellam soluere pro amezaria pro qualibet libra pecuniæ vnum deñ. Si verò aliquis venderet alicui personæ exemptæ,vel franchæ,talis vendens soluere teneatur gabellam dimidiatam; & si emerit ab aliquo franco, vel exempto, totam gabellam illius rei soluere teneatur. Et hoc statutum locum nõ habeat in specialibus rebus,& mercantijs,in quibus,& de quibus in præsenti volumine statutorum fieret mentio. Et si de prædictis rebus,& mercantijs esset soluta gabella integra per mittentem, volumus quòd emptor soluere minimè teneatur, & quòd ipsas res,& mercantias possit extrahere de Ciuitate,& comitatu Firmi liberè,& sine aliqua solutione gabellæ.

De gabella oliua,quæ venditur,& emitur. Rub. 2.

STatuimus,& ordinamus, quòd in Ciuitate Firmi,Villis,& Portu Sancti Georgij exigantur à quolibet venditore pro qualibet libra pecuniæ de oliua quam vendiderit, sex deñ. Et similiter si aliquis emeret oliuam in comitatu Firmi,& locis prædictis,& eam miserit,& conduxerit in dictam Ciuitatem,soluat gabellam prædictam: & possit,& debeat emptor dictæ oliuæ dictam gabellam in se reseruare à dicto venditore. Et pro emptione, & venditione teneatur, & debeat intra secundum diem à die emptionis notificare officiali gabellæ, & in scriptis dare, & consignare in forma consueta,pœna centum sol.deñ.pro quolibet contrafaciente.

De gabella olei. *Rub. 3.*

STatuimus,& ordinamus,quòd de quolibet miliare olei,quod mitteretur, vel emeretur in Ciuitate,vel comitatu Firmi,& locis prædictis,soluatur gabella de eo tempore incaneuationis, si emptum fuerit,videlicet duo flor. auri cum dimidio, & soluta dicta gabella liceat extrahere,tam per mare,quàm per terram sine aliqua alia solutione. Et si dictũ oleũ non esset emptum,sed factum esset in aliquo pistrino dictæ Ciuitatis,& locorum prędictorum,& esset repositum,vel incaneuatum per aliquam personam vltra illud quod esset sufficiens pro sua vita,& suæ familiæ pro vno anno, teneatur de dicto oleo sic incaneuato,& reposito elapso vno mense à die incaneuationis soluere gabellam superius declaratam,& quòd de quolibet medro morchæ soluat deñ.xij.per libram de ipsius æstimatione. Et soluta gabella de dicto oleo,& morcha, possit extrahere de Ciuitate, & comitatu Firmi, vt supra. Et pro quolibet medro olei, quod macinatur in pistrino Ciuitatis per Ciues, & habitatores Ciuitatis, & Portus, & Villarum, soluat pro gabella tempore quo extrahere voluerit de pistrino sol. quinque,& deñ.duos.

De gabella olei conducendi à Terris non subiectis. *Rub. 4.*

STatuimus, & ordinamus, quòd de quolibet miliare olei,quod mitteretur,& conduceretur in Ciuitatem,& comitatum Firmi de Terris non subiectis iurisdictioni temporali Ciuitatis Firmi positis vltra flumen Tennæ,soluat gabellam vnius floreni,& dimidij,& non plus. Et si aliquis assignaret oleum subiectum loco olei non subiecti,soluat mercator,siue notificator dicti olei pœnam xxv.lib.deñ. vice qualibet: & nihilominus victuralis perdat bestias,& salmam. Et si dictum oleũ conduceretur, vel transiret per territorium, & districtum Firmi, & non carcaretur ad Portum Firmi, vel riueriæ maris, quòd teneatur soluere gabellam duorum florenorum auri cum dimidio pro quolibet miliare olei.

De gabella pistrinorum. *Rub. 5.*

STatuimus, & ordinamus, quòd de quolibet pistrino macinante, videlicet si macinabit quolibet anno,soluantur sol.xl.deñ. pro gabella. Et si non macinabit,non teneatur soluere. Item statuimus, quòd si restabunt oliuæ non macinatæ in sequenti anno, pro his gabella soluatur conductori illius anni,in quo oliuæ perceptæ fuerunt,& non aliter vllo modo.

De gabella drapparia pannorum. *Rub. 6.*

STatuimus, & ordinamus, quòd quicunq; miserit aliquam quantitatem pannorum in Ciuitatẽ,Portũ,& riueriã per mare,vel per terrã causa vendendi in dicta Ciuitate,Portu,& comitatu,pannos non incisos,colotatos,pannos grossos,carfagnos,& angelinos,guarnellos,guelesios,& cultras,bordos,sindonem,sclauinas,baldachinos de sirico,& auratos, vel alias res ad drappariam pertinẽtes,soluat gabellam de æstimatione ipsarum pro qualibet libra pecuniæ xij.deñ. & quòd teneatur dictas mercantias præsentare officiali gabellarum,& eas non dissoluere,nec extrahere de palatio gabellæ absq; ipsius officialis gabellarum licẽtia,pœna xxv.lib.deñ.vice qualibet. Et quòd quicunq; miserit dictos pannos,vel res prædictas ad drappariam pertinentes,& non esset in concordia cũ officiali gabellarum de æstimatione ipsorum pannorum,& rerum,quòd DD.Priores,qui pro tempore fuerint, debeant ponere vnum mercatorem pro parte Communis, & alius ponatur pro parte domini dictorum pannorum,vel mittentis ad suum velle; & quòd ipsi electi faciant æstimationem, & habeatur firma æstimatio facta per eos,ac valeat,& teneat. Et quòd si quis mitteret in fraudem gabellę aliquas res alligatas dictis pannis, vel petijs dictorum pannorum, vel guarnellorum, & non notificaret officiali gabellarum,perdat tam res missas,& non notificatas,quàm etiam pecias pannorum,vel guarnellorũ,vbi ligatæ,vel missæ reperirentur. De pannis verò incisis,vel sutis mittendis non teneatur soluere aliquam gabellam: minusq; de ijs,quæ quis pro vsu suo,& familiæ mitterentur.

De vegeticulis,lignamine, & circulis. *Rub. 7.*

STatuimus, & ordinamus, quòd quicunque conduceret per mare, vel per terram aliquod lignamen à vegeticulis pro vino, vel oleo, & de ipso lignamine appareret soluta gabella, & demũ de ipso lignamine fiant vegeticuli à vino,vel ab oleo,ꝗ faciens dictas vegetes teneatur

soluere gabellã mediã, videlicet sex deñ. pro qualibet libra de æstimatione dictorũ vegeticulorũ. Et si quis laboraret circulos in Ciuitate, vel Portu Firmi, teneatur notificare officiali gabellarũ omnẽ quãtitatẽ circulorũ, quos fecerit, & laborauerit, & soluere xij. deñ. pro qualibet libra æstimationis eorũ.

De gabella ponderis mercantiarum. *Rub. 8.*

Statuimus, & ordinamus, quòd quicunque miserit, vel extraxerit per mare, vel per terram, vel emerit, vel vendiderit in Ciuitate, Portu, vel riueria Firmi mercantiam, quæ ponderaretur, vel mensuraretur, soluat pro gabella venditor quatuor deñ. pro quolibet centenario ponderis, vel mensuræ; non obstante, quòd ponderatæ essent, vel non, ad aliam stateriam, & pondera cuiuscunque personæ specialis.

De gabella lini, ponderis, & mensura, ac pannorum. *Rub. 9.*

Statuimus, & ordinamus, quòd pro quolibet rubo lini, quod venditur, & ponderatur, soluat venditor vnum deñ. vltra aliam gabellam. Et similiter pro qualibet canna panni, lini, vel canauatij vnum deñ. pro gabella mensuræ. Et quòd quicunque vendiderit aliquam quantitatem lanæ pannorum in grossum, soluat pro quolibet centenario inter emptorem, & venditorem octo deñ. Et quilibet teneatur, & debeat ponderare, & mensurare cum stateris, cannis, & mensuris Communis Firmi: & qui contrafecerit, soluat vice qualibet xl. sol. deñ. si sine licentia officialis gabellæ mensurauerit, & ponderauerit.

De furnis. *Rub. 10.*

Statuimus, & ordinamus, quòd de quolibet furno coquente panẽ in Ciuitate, & Portu soluat anno quolibet xl. sol. deñ. & teneatur soluere conducens furnum, videlicet portans buscam.

De pelliciaria. *Rub. 11.*

Statuimus, & ordinamus, quòd quicunque extraxerit de Ciuitate, vel Portu Firmi pelliccìones laboratos, seu varros schirolos de nouo factos, soluat extrahens sex deñ. per libram de ipsorum æstimatione, vel emptione. De veteribus emptis soluat duodecim deñ. pro qualibet libra pecuniæ.

De vendiriculis. *Rub. 12.*

Statuimus, & ordinamus, quòd quicunque vendiriculus, vel vendiricula vendens poma, fructus, pullos, oua, & alia syluatica, teneatur soluere mense quolibet officiali gabellarum pro quolibet ipsorum decem sol. deñ. dummodo non intelligatur in forense conducente syluatìcum, poma, fructus, & pullos, qui ad dictam gabellam non teneatur. Et quilibet stationarius, & apotecharius, seu quiuis alius vendens panem, hordeum, vel speltam ad minutum soluat mense quolibet decem sol. officiali gabellarum, pœna centum sol. deñ.

De gabella Fornachiarum, & cunctiarum curaminis. *Rub. 13.*

Statuimus, & ordinamus, quòd quicunque habeat aliquam fornachiam causa faciendi lapides, coppos, piancas, & calcinam, & coqueret, soluat pro quolibet anno officiali gabellarum vnum florenum auri. Et quòd quicunque habens fornacem ad coquendum vasa, & coqueret, soluat pro quolibet anno sol. xl. Et si dicta vasa in grossum venderentur, & extrahere voluerit de Ciuitate, soluat pro qualibet libra pecuniæ extrahens sex deñ. & non plus. Et quòd quicunque habuerit conciam à curamine, & pro concimine, & in ea laborabitur de dicto curamine pro concimine, soluat quadraginta sol. anno quolibet. Et si dicta calcina, coppi, & lapides extrahentur per mare, vel per terram, soluat pro gabella duodecim deñ. per libram de ipsorum æstimatione. Et quòd nulla persona audeat, vel præsumat ad aliquã domum cunciæ coria ad cunciandum portare sine licentia officialis gabellarum, ad hoc, vt gabella non fraudetur, pœna xxv. sol. deñ. pro qualibet vice. Et ad solutiones prædictas teneantur tam conductores, quàm locatores, vel eorum alter, qui melior sit soluendo: & liceat officiali gabellarum quem ipsorum cogere voluerit ad soluendum gabellam prædictam.

De mensuris bladi, & aliarum mercantiarum. Rub. 14.

STatuimus, & ordinamus, quòd de qualibet salma grani, & alterius bladi, leguminis, seminis lini, & nucũ, quæ mensurarẽtur in plateis Cõmunis, soluantur pro gabella à venditore tantũ quatuor denarij. Et ꝙ nulla persona sine licentia officialis gabellarum audeat, vel præsumat mensurare aliquod genus bladi, nisi in platea S. Martini, pœna centum sol. deñ. pro quolibet, & quali bet vice. Et ꝙ dictæ mensurę mensurentur more solito, videlicet granum, & hordeũ radantur vsq; ad ferrũ, & sint quatuor buzectæ salma grani, & hordei: & pro qualibet salma speltæ sint quinq; buzectę rasæ vsq; ad ferrũ. Et salma nucum, & ficuũ sit sex buzectæ rasæ vsq; ad ferrum: nuces, & ficus radantut per venditores, & nõ per alios. Salma verò castanearũ sit quinque buzectæ: salma oliuarũ sit quatuor buzectę rasæ vsq; ad ferrũ. Oliua verò, quæ vendetur, debeat mensurari per vecturalem cõmunẽ, & non per alium: qui vecturalis debeat nominari, & consignari per pistrinariũ antequã incipiat ad macinandum, & teneatur iurare, omnẽ oliuam quam portauerit in pistrino, ad quod conductus fuerit, notificare officiali gabellarum, pœna centum sol. & qui cõtrafecerit in prædictis, condemnetur in pœna prædicta; cuius pœnæ medietas sit Communis, & alia emptoris gabellæ. Saluo, ꝙ sit licitũ cuilibet stationerio vendere in eorũ stationibus, & plateis ad minutum, videlicet ad octauã, quartas, & coppos, fabas, cicera, & alia legumina sine pœna. Et quòd semper in platea Communis, vbi venditur bladum, teneatur esse vnus officialis cum bastone ad mensurandum, & radendum mensuras modo debito, vel ad terminandum contentiones, quæ de mensuris inter emptorem, & venditorem solent otiri.

De gabella panis. Rub. 15.

STatuimus, quòd quælibet persona faciens panem ad vendendum in Ciuitate Firmi, & Portu, teneatur, & debeat soluere gabellam officiali gabellarum mense quolibet decem sol. deñ.

De gabella rerum soluta semel amplius non soluenda. Rub. 16.

STatuimus, & ordinamus, ꝙ si quis de aliqua re, vel mercãtia gabellam semel soluerit, possit eã portare, & portari facere, & extrahere, & vendere extra Ciuitatem sine aliqua alia solutione gabellæ: & hoc statutum non præiudicet alijs statutis in præsenti volumine insertis, quotũ vigore gabella tertiæ manus, vel aliter debeat solui.

De straciaria pannorum. Rub. 17.

STatuimus, & ordinamus, quòd de qualibet libra pecuniæ pannorum sutorum de lana, vel guarnellorum cuiuscunque straciariæ soluantur duodecim denarij pro libra; videlicet sex denarij per partem.

De gabella nucum, ficuum, & seminis lini. Rub. 18.

STatuimus, & ordinamus, quòd de qualibet libra pecuniæ nucum, ficuum, & seminis lini, quæ venduntur in Ciuitate Firmi, & sui districtus, vel quæ extrahentur de Ciuitate Firmi, & sui districtus, soluatut gabella xij. deñ. per libram, videlicet sex deñ. pro parte. Pro extractione verò si gabella de emptione prædicta soluta fuerit, amplius non soluatur.

De lignamine nouo, & veteri laborato, quòd non extrahatur de Ciuitate. Rub. 19.

STatuimus, & ordinamus, quòd de quolibet vegeticulo nouo, quod extrahitur de Ciuitate per quemcunque, soluantur pro gabella sex deñ. pro libra pecuniæ. De vegeticulis veteribus, & secchis, & batis nouis, & ijs similibus soluantur ab extrahente de Ciuitate Firmi xij. deñ. pro qualibet libra pecuniæ, & de omnibus generibus lignaminum de nouo conductorum per mare, vel per terram, & quod extrahetur de Ciuitate Firmi, nisi soluta fuerit gabella, soluantur duodecim deñ. pro libra pecuniæ: & si soluta erit gabella, amplius non soluatur, & extrahi possit. Liceat autem vnicuique mittere in Ciuitatẽ vegetes, & alias massaritias de lignamine veteres, & vsatas pro vsu suo absque solutione gabellæ, dummodo non vendat, quo casu soluat gabellam.

De mittentibus linum graminatum, atque scapeciatum in Ciuitate Firmi. *Rub. 20.*

STatuimus, & ordinamus, quòd quicunque Ciuis, vel forensis miserit in Ciuitatem, & Portum Firmi linum graminatum, vel scapeciatum, aut quòd vendatur, vel non, soluat xij. deñ. pro qualibet libra pecuniæ. Si verò vendatur, tantundem soluat, videlicet sex deñ. per partem.

De mittentibus caseum, malá arancia, & auellanas. *Rub. 21.*

STatuimus, & ordinamus, quòd quicunq; miserit in Ciuitatem, & Portum Firmi, & riueriã maris caseum, mala arancia, & auellanas, soluat xij. deñ. pro libra pecuniæ; excepto caseo, de quo soluere non teneatur, nisi vendatur, & tunc soluantur sex deñ. per partem.

De venditione ceræ, & speciariæ. *Rub. 22.*

STatuimus, & ordinamus, quòd de qualibet libra pecuniæ, ceræ, & speciariæ, videlicet zaframinis, piperis, zenziberis, cimini, & aliarum rerum pertinentium ad speciariam soluãtur xij. deñ. per libram, si gabella soluta non fuerit. Et si quis vendiderit ceram laboratam in cereis, & candelis, vel imaginibus, soluantur xij. deñ. per libram pecuniæ, si gabella de cera soluta non fuerit: & de tali solutione stetur sacramento venditoris, vel bullectæ solutionis gabellæ ceræ prædictæ.

De lana vendenda in Ciuitate. *Rub. 23.*

STatuimus, & ordinamus, quòd de qualibet libra pecuniæ lanæ, quæ venditur in Ciuitate, vel Portu Firmi, & Villis, soluatur gabella xij. deñ. videlicet sex deñ. per partem. Sed si emptor facerer pannos, & dictos pannos in grossum vendiderit, quòd ipse emptor lanæ non teneatur soluere aliquam gabellam, nisi emptor, videlicet sex deñ. per libram pecuniæ pro emptione dictorum pannorum, & talis venditor dictorum pannorum teneatur, & debeat quando vendiderit dictos pannos in grossum, notificare officiali gabellarum intra secundum diem, pœna centum sol. deñ.

De carbone. *Rub. 24.*

STatuimus, & ordinamus, quòd de qualibet libra pecuniæ de carbone, qui venditur in Ciuitate, & Portu Firmi, soluantur duodecim denarij per libram.

De castaneis. *Rub. 25.*

STatuimus, & ordinamus, quòd de qualibet libra pecuniæ castanearum venditarum in Ciuitate, vel Portu Firmi soluantur duodecim deñ. per libram, videlicet sex deñ. per partem, & pro mensura cuiuslibet salmæ quatuor denarij, per venditorem soluendi.

De vitrio laborato. *Rub. 26.*

STatuimus, & ordinamus, quòd de qualibet libra pecuniæ vitri laborati soluantur xij. deñ. per libram inter emptorem, & venditorem.

De mola pro molendinis. *Rub. 27.*

STatuimus, & ordinamus, quòd de qualibet libra pecuniæ molæ, seu macinæ pro molendino, seu pistrino, quæ conduceretur per Ciuitatem, vel Portum Firmi, soluantur xij. deñ. per lib. siue sit Ciuis, vel forensis. Et si quando duceretur, vel extraheretur, dominus dictæ molæ presens non esset, dominus extrahens, vel portans teneatur ad solutionem gabellæ prædictæ.

De mercantijs non mittendis nisi per portas Ciuitatis. *Rub. 28.*

STatuimus, & ordinamus, quòd nulla persona audeat, vel præsumat aliquas mercãtias, vel res, de quibus solueretur gabella, mittere, seu extrahere per aliquam portam Ciuitatis Firmi, nisi per portas S. Francisci, S. Catherinæ, S. Iuliani, & S. Marci, pœna centum sol. & nihilominus soluat gabellam duplam.

De non mittendo granariam Communis. *Rub. 29.*

STatuimus, ꝙ nullus audeat mittere aliquam granariam Communis in aliqua parte suæ possessionis sine licentia, & voluntate officialis gabellarum, pœna centum sol. deñ. pro qualibet vice.

De Vi-

De Victurarijs, & Barcharolis. Rub. 30.

STatuimus, & ordinamus, quòd nullus Victurarius, seu Barcharolus possit extrahere, vel porta re de Ciuitate, vel Portu S.Georgij per mare, vel per terram sine licentia, & bulla officialis gabellæ Communis aliquas mercantias, vel res, pœna quinquaginta lib.den. & nihilominus soluat gabellam duplam.

De salmis Scholarium, Religiosorum, & Officialium. Rub. 31.

STatuimus, & ordinamus, quòd de salmis rerum, & arnesium librorum, & aliarum rerum, tam officialium, quàm Religiosorum, Scholarium, & Stipẽdiariorum, quæ conduceretur per Ciui tatem, & comitatum Firmi, vndecunq; veniant, & etiam per Ciues, & comitarenses, quæ extraherentur de Ciuitate, & comitatu per mare, vel per terram, non soluatur aliqua gabella, sed liberè transeant, & extrahantur.

De notificatione emptionis, & venditionis omnium rerum, de quibus soluitur gabella. Rub. 32.

STatuimus, & ordinamus, quòd si quis aliquas res, vel mercantias, cuiuscunq; generis sint, vel qualitatis, in Ciuitate, Villis, vel Portu S.Georgij immiserit, emerit, vel vẽdiderit, de quibus solui debeat gabella, teneatur, & debeat, tam venditor, quàm emptor, vel immittens, vel ipsorum alter notificare, & denunciare officiali gabellarum Communis intra tertiam diem à die immissionis, venditionis, & emptionis ipsarum, pœna centum sol. & solutionis gabellæ duplæ pro quolibet, & qualibet vice: & à quolibet possit accusari, & denunciari, & habeat quartam partem pœnæ, & teneatur secretus: & gabellam soluere teneatur intra octo dies officiali gabellæ à dicto die immissionis, vel emptionis numerandos, ad dictam pœnam.

De arbitrio Iudicis, & aliorum officialium gabellæ Communis in exactione gabellarum. Rub. 33.

STatuimus, & ordinamus, quòd liceat cuilibet officiali posito ad gabellam Communis pro exa ctione gabellę omnes, & singulos soluere debentes aliquam gabellam de quocunq; sit cogere, & constringere, ipsosq; grauare realiter, & personaliter, quousq; gabella debita per eos fuerit persoluta integraliter, & cum effectu, prout, & quando eis videbitur, & placebit fore necesse, & opportune, liberè, & impunè, dummodo formam præsentium statutorum nõ excedat. Et in prædictis, & circa prædicta possit Iudex gabellarum procedere sine strepitu, & figura iudicij, iuris ordine seruato, vel non seruato, & de facto, sola veritate inspecta; & per indicia, & informationes sufficientes quascunq; in arbitrio dicti Iudicis contra quoscunque fraudantes gabellam prædictam. Et quòd quilibet possit accusare, & denunciare fraudantes gabellam prædictam, & habeat quartam partem pœnę, & teneatur secretus: & dictam quartam partem pœnæ habeat de ea pœna, quam Iudex deuenire fecerit in Communi, manibus Bancherij Communis soluendam.

De exactionibus gabellarum. Rub. 34.

STatuimus, & ordinamus, quòd Iudex gabellarum, qui pro tempore fuerit, teneatur, & debeat ipse, & sui officiales bis in qualibet hebdomada, suo durante officio, sollicitare officiales gabellarum, & reuidere sæpe, & sepius eorum libros, & quaternos, ad hoc, vt introitus bene imponatur, & aptetur in scriptis, & ab eis, & ipsorum quolibet omnes, & singulos non soluentes gabellam in scriptis recipere, & habere, & demum ipsos non soluentes requiri, & grauari facere, ita, & taliter, quòd intra octo dies à die receptionis ipsorum debeant soluisse gabellam ipsorum, pœna xxv.florenorum auri dicto Iudici de suo salario sui sindicatus tempore auferenda, & exigenda: & possit, & debeat à quolibet denunciari, & accusari.

De auxilio, & fauore præstando officialibus gabellarum. Rub. 35.

STatuimus, & ordinamus, quòd Iudex iustitiæ, & gabellarum Communis Firmi, ac Potestas, Capitaneus populi, & alij quicunq; officiales Communis teneantur, & debeãt ad omnem petitionem, & requisitionem officialium gabellarum, vel emptorum ipsarum, cùm vendi contigerint per Commune, omnes, & singulos recusantes soluere gabellam capere, & capi facere, & eos cogere, & retinere, donec gabella fuerit persoluta, pœna x.floren. pro quolibet contrafaciente, & vice

qualibet,

qualibet, & eos tam in domibus ipsorum, quàm in alijs locis Ciuitatis, & Communis Firmi capere, & capi facere liberè, & impunè, si fuerint suspecti, & fugitiui, & ad Curiam ducere, & in Palatio, & in carceribus ad voluntatem dictorum officialium, & emptorum ponere, donec gabella integra soluta fuerit. Et illud idem de fraudantibus facere teneantur dicti Potestas, Capitaneus, Iudex iustitiæ, & alij officiales Communis, videlicet præstare dictis officialibus gabellarum, & emptoribus ad omnem ipsorum petitionem auxilium, consilium, & fauorem, pœna xxv. florenorum auri de ipsorum salario auferenda tempore eorum scindicatus vice qualibet, si contrafecerint.

De pœnis exigendis. *Rub. 36.*

STatuimus, & ordinamus, quòd Iudex iustitiæ, & gabellarum teneatur de omnibus soluẽtibus aliquam pœnam pro fraude gabellæ, vel occasione gabellæ facere vnum librum, & in eo scribi facere per ordinem nomina, & pronomina soluentium pęnam, cum quantitate, & causa in eo insertis, pœna xxv. lib. deñ. dicto Iudici de suo salario soluenda vice qualibet, si contrafecerit.

De officialibus positis ad exigendum gabellas. *Rub. 37.*

STatuimus, & ordinamus, quòd quicunq; officialis positus ad exigendum gabellas Communis omiserit aliquam gabellam exigere in maiori, vel minori quantitate, quæ in præsenti volumine statutorum, & cuiuslibet ipsorum sit declarata, & expressa, dictus officialis teneatur, & debeat de suo proprio restituere, tam illi à quo acceperit, quàm Cõmuni Firmi, vel illi personæ ad cuius petitionem dicta gabella exigeretur: & si fecerit, vel omiserit fraudulenter, teneatur, & debeat vltra quantitatem omissam soluere x. lib. in Communi, & duplũ quantitatis omissæ, vel fraudatæ: & à quolibet possit accusari, & denunciari, & habeat quartam partem pœnæ, & teneatur secretus. Et similiter locum habeat hoc statutum in alijs officialibus gabellarum positis ad scribendum, vel exigendum, si fraudem, vel defectum commiserint in eorum officio.

De prohibitione Aduocati, & Procuratoris in gabella. *Rub. 38.*

STatuimus, & ordinamus, quòd nullus Aduocatus, vel Procurator, vel quiuis alius audeat, vel præsumat coram officiali gabellarum Communis Firmi aduocare, procurare, vel patrocinari pro aliqua occasione gabellæ, pœna x. lib. deñ. pro quolibet, & qualibet vice de facto exigenda, nisi rogando, vel precibus astringendo.

De non exigendo vltra gabellam debitam, vel grauando contra formam præsentis statuti. *Rub. 39.*

STatuimus, & ordinamus, quòd nullus officialis gabellarum Ciuis, vel forensis audeat exigere, vel aliquem cogere ad soluendum aliquam gabellam vltra quantitatem in præsenti volumine statutorum contentam, & aliquem, & aliquos grauare occasione dictæ gabellæ, vel fraudis eorum contra formam præsentium statutorum, pœna x. lib. deñ. Communi, & refectionis dupli parti eius, quod exactum fuerit vltra debitum.

De rebus non nominatis. *Rub. 40.*

STatuimus, & ordinamus, quòd si quæ res apparerent, quæ non essent nominatę in præsenti volumine statutorum, & quæ essent similes illis, de quibus solui deberet gabella, quòd soluatur gabella secundum similitudinem illarum rerum, quæ declaratæ essent per statuta prædicta. Et si aliquod dubium occurreret, aut moueretur, quod non esset declaratum per formam præsentium statutorum, quòd talis dubij declaratio fiat, & fieri faciant DD. Priores populi, & Confalonerius institiæ per vnum Ciuem per contratam nominandum per dictos DD. Priores. De furfure autem, genista, pileis de palea, cinere, furcis, rastellis, & acquaticijs non soluatur gabella.

De pœnis illorum, qui contrafecerint contra formam præsentium statutorum. *Rub. 41.*

STatuimus, & ordinamus, quòd quicunque fecerit contra formam alicuius statuti contenti in præsenti volumine, vel aliquam gabellam fraudauerit, puniatur, & condemnetur in centum sol. deñ. per Iudicem gabellæ ipso facto sine aliquo processu: saluo vbi esset pœna specialis declarata in præsenti volumine statutorum, quo casu illam solam soluere teneatur, & in minori quantitate, inspecta conditione personę, & qualitate delicti. Et de omnibus, & singulis condemnationibus,

& pœnis,

& pœnis, quæ exigerentur per ipsum Iudicem, vel alium officialem, qui esset super gabella prædicta, medietas ipsarum condemnationum, & pœnarnm esse debeat Cõmunis Firmi, alia verò medietas sit, & esse debeat emptoris ipsarũ gabellarum. Et quòd super gabellis exigendis Potestas, Capitaneus populi, & quilibet ipsorum, & cuiuslibet ipsorum officialis, & alij officiales Communis teneantur, & debeant dare auxilium, consilium, & fauorem, & dare familiam dictis gabellarijs ad eorum petitionem, pœna centum lib. deñ. de eorum salario. Et eodem modo quilibet officialis cuiuslibet Castri, vel Villæ comitatus Firmi teneatur dictis gabellarijs dare auxilium, & fauorem, pœna x. lib. deñ.

De tempore soluendi gabellam, & quibus. Rub. 42.

STatuimus, & ordinamus, ad euitandum errorem, quòd de omnibus rebus, & mercantijs, quæ mitterentur causa extrahendi per mare, vel per terrã, vel q̃ non extrahantur, de quibus solui deberet gabella, ipsa gabella ipsarum rerum, & mercantiarum pertineat, & spectet, seu solui debeat illi, seu illis, ad cuius, seu quorum petitionem tempore missionis ipsarum, vel ipsarum notificationis, & denunciationis dictæ gabellæ exigerentur: & similiter de oleo incaneuato, de quo gabella solui debeat illi, seu illis, ad cuius, seu quorum petitionem dicta gabella exigeretur tempore incaneuationis dicti olei, seu immissionis, siue sit extractum de Ciuitate, vel Portu Firmi, vel non, aut per mare, vel per terram, vel non, quamuis tempus emptionis gabellæ expiratum esset, vel non.

De his, qui habent aliquam immunitatem gabellæ. Rub. 43.

STatuimus, & ordinamus, quòd si vigore alicuius statuti, aut alterius cõcessionis legitimę, quæ fuisset hactenus obseruata, licuisset, aut liceret alicui Communitati, vel singularibus personis de dicta Ciuitate, & comitatu mittere, vel conducere per mare, vel per terram aliquas res, vel mercantias pro sua vita, & talis mittens, vel conducens, vel mitti, seu conduci faciens disponeret dictas res, vel mercantias pro sua vita missas, vel conductas vendere, teneatur notificare officiali gabellæ res prædictas intra secundam diem, postquàm eas vendiderit, & gabellã debitam soluere secundum formam præsentium statutorum: & qui contrafecerit, perdat res venditas, aut pecuniam earum: & nihilominus soluat gabellam duplam, & pro pœna xxv. lib. deñ. vice qualibet, & possit à quolibet accusari, & habeat medietatem pœnæ, & teneatur secretus.

De gabella vini venditi ad salmam, & ad spinam. Rub. 44.

STatuimus, q̃ de vino, quod venditur ad spinã, soluatur pro gabella pro qualibet libra pecunię sol. sex, deñ. octo. Et si aliquis emerit vinũ in grossum, videlicet ad salmã causa vendendi ad minutũ ad spinã, soluat pro qualibet libra pecuniæ xij. deñ. vltra prædictã gabellã spinæ, videlicet sex deñ. per partẽ: & hòc locũ habeat in Ciuitate, & Portu Firmi, & Villis prædictis. Et si aliquis miserit vinum, siue mustũ emptum, vel causa vendendi in Ciuitate, & Portu Firmi, & Villis prædictis, soluat xij. deñ. pro qualibet libra. Saluo, q̃ liceat vnicuiq; mustum mittere, quod sit de suo fructu, per totum mensem Octobris sine solutione alicuius gabellæ: & si miserit post dictum mensem, soluat xij. deñ. per libram pecuniæ de ipsius æstimatione. Et si aliquis extrahere voluerit, vel miserit causa extrahendi aliquam quantitatem vini per mare, vel per terram extra comitatũ Firmi, & riueriæ maris, soluat pro qualibet salma vini quatuor sol. deñ. & aliam gabellã soluere minimè teneatur. Nullus autem vendere debeat, & dare alicui vinum ad salmam, vel ad minutum sine expressa licentia officialis gabellæ, & bulla dictorum officialium, pœna centum sol. deñ. pro quolibet, & vice qualibet. Adijcientes, quòd de vino quod in grossum, & minutum venderetur tempore nundinarum, videlicet per totum mensem Augusti, & intra annum per hospitantes forenses, solui debeat debita gabella spinę ordinata, quod locum non habeat in vino, quod venderetur in grossum, & ad barrile per Ciues, vel habitatores pro eorum, & familiæ victu.

De gabella fundicaria in Portu Firmi. Rub. 45.

STatuimus, quòd quicunque miserit in Portu Sancti Georgij vasellos ab oleo, vel à vino plenos, vel vacuos, tam in fundico Communis, quàm in aliqua parte dicti Portus, soluat pro quolibet vasello xij. deñ. Pro quolibet verò collo alterius mercantiæ soluat deñ. quatuor: pro quolibet miliare alleorum quinque deñ. pro quolibet miliare ceparum sol. ij. & his similibus: & hoc pro gabella fundicarij.

Quod

Quòd nullus patronus nauigij possit carcare, & discarcare aliquas mercantias ipsius sine licentia officialis. *Rub. 46.*

STatuimus, quòd nullus patronus alicuius nauigij magni, vel parui debeat carcare, vel carcari facere aliquas mercantias, vel res in ipso nauigio, vel de ipso nauigio discarcare aliquas mercantias, vel res sine expressa licentia officialis gabellæ, pœna xxv. lib. deñ. & nihilominus de ipsis mercantijs, & rebus soluat gabellam duplam. Et nullus de riueria, & Portu, vel de aliquo loco dictæ riueriæ, ac etiam de Ciuitate debeat in domo mittere mercantias sine licentia dictorum officialium gabellæ, vel res, quæ scarcarentur, vel incarcarentur in aliquo nauigio, vel de aliquo nauigio, portet, seu deferat, pœna centum sol. deñ.

De nauigijs, & barchis. *Rub. 47.*

STatuimus, & ordinamus, quòd si aliquod nauigium, seu barcha dederit in portu in riueria maris, vel Portu Firmi, & carcabitur, soluat pro gabella nauigamenti, si nauigium esset de tercentis vasellis, tres florenos. Et si nauigium esset de centum vasellis, soluat florenum vnum, & dimidium. Et si nauigium esset de sexaginta vasellis, soluat florenum vnum. Et si erit à quadraginta vasellis vsq; ad centum, & à centum vsq; ad tercentum vasellos, soluat pro rata parte secundum quantitatem prædictam. Et si erit barcha aliqua, seu barcusus de viginti vasellis vsq; ad triginta, soluat pro nauigamento xl. sol. deñ. Et si barcha, seu barcusus erit de quindecim vasellis, soluat xvj. sol. deñ. Et si erit de decem vasellis, soluat x. sol. Et si erit de quinque vasellis, soluat sex sol. Et quòd quicunq; venerit cum aliqua barcha, & dederit palombariam, vel pontem in terram, & habuerit mercantias in ea, quòd de ipsis soluere teneatur gabellam debitam superius expressam. Et quòd patroni dictorum nauigiorum, seu barcharum teneantur soluere nauigamentum prædictum, vt supra dicitur. Et si patroni franchi essent, vel absentes essent, ꝙ teneantur dictum nauigamentum soluere nautæ, & mercatores ipsorum. Item quòd si aliquis de nouo fecerit, vel fieri fecerit in Portu, vel riueria maris aliquod nauigium, seu barcham, teneatur soluere gabellam debitam, scilicet xij. deñ. per libram pecuniæ secundum æstimationem fiendam per officialem gabellæ Communis. Saluo, quòd deducatur gabella de omnibus rebus in eo, vel ea missis, vel laboratis, de quibus esset soluta gabella in Ciuitate, vel Portu Firmi, vel ipsius riueria.

De ramine nouo, & veteri. *Rub. 48.*

STatuimus, & ordinamus, quòd si quis emerit in Ciuitate, vel Portu ramen nouum laboratũ, & vetus causa extrahendi de dicta Ciuitate, vel Portu, soluat extrahens pro qualibet libra pecuniæ raminis laborati sex deñ. & de veteri duodecim deñ. pro qualibet libra pecuniæ ipsius emptionis, vel æstimationis. Liceat autem vnicuique mittere ramen nouum, & vetus pro vsu suo, & pariter massaritias vsatas, sed si vendiderit teneatur ad gabellam.

De gabella beccariæ, & eius membris, & de mittentibus carnes salitas, vel recentes in Ciuitate, vel Portu Firmi. *Rub. 49.*

STatuimus, & ordinamus, quòd si quis miserit in Ciuitate, vel Portu Firmi carnes salitas, vel recentes pro vita ipsorum, soluat pro qualibet libra carnium tres deñ. & teneatur pignus ad portam dimittere, & præsentare officiali gabellæ. Et quòd gabellarius portæ teneatur dictas carnes bullare, pœna centum sol. deñ. vice qualibet, qua contrafecerit in prædictis.

De mittentibus agnos, caprittos, vel porchetas. *Rub. 50.*

STatuimus, ꝙ si quis miserit in Ciuitate, vel Portu Firmi, vel in eis vendiderit porchetã, agnũ, vel caprittum, soluat pro quolibet ipsorũ à xx. sol. infra sol. vnum: ab inde verò supra soluat xij. deñ. per librã quãlibet pecuniæ. Saluis de donatis, & de immissis de proprijs pro suo vsu.

De ementibus agnos, caprittos, & porchetas causa reuendendi. *Rub. 51.*

STatuimus, ꝙ nullus hospitator, seu quiuis alius possit emere agnũ, caprittum, vel porchetã aliquã, vel aliquã aliã bestiã viuã, vel mortuã, recentẽ, vel salitã causa vendẽdi in suo hospitio, vel alibi, nisi soluat tres deñ. pro qualibet libra carnium, pœna centum sol. vice qualibet.

De bestijs emendis per Beccharios. *Rub.* 52.

STatuimus,& ordinamus,quòd quicunque Becchariuʃ,vel quæuis alia perſona emeret aliquā beſtiam viuam cauſa vendendi ad retallium,ſoluat pro qualibet libra carnium tres deñ. Et ſi eſſent carnes bouinæ, ſoluat pro qualibet teſta ſoľ. octo, & pro qualibet teſta caſtroni ſoľ. duos, & pro qualibet teſta porci, ſeu porcaſtræ ſoľ. quatuor, & pro qualibet teſta pecudis, ſeu capræ, ſeu becchi decem & octo deñ. & pro qualibet teſta agni,capricti,vel porchiti ſoľ. vnum. Et quòd dicti Beccharij poſſint, & debeant à venditoribus dictarum beſtiarum retinere medietatem dictæ quantitatis,quam ſoluere tenentur pro gabella beſtiarum,& non vltra.

De venditione carnium per Becchariοs,& ipſarum ponderatione. *Rub.* 53.

STatuimus, & ordinamus, quòd nullus Becchariυs, ſeu quæuis alia perſona in Ciuitate, vel Portu volens carnes facere ad vendendum audeat,vel præſumat in aliquo loco,quàm in beccharijs hactenus conſuetis aliquam beſtiam interficere,vel vendere, niſi in præſentia,cum licentia,& mandato officialis gabellæ Communis; & demum debeat per officialem gabellæ tota, & integra dicta beſtia cum ſtatera Communis ponderari more ſolito. Et quòd dictus Becchariυs non poſſit,nec debeat dictam beſtiam incidere,niſi primò ponderetur,vt ſupra, pœna centum ſoľ. vice qualibet contrafacienti: & à quolibet poſſit accuſari,& denunciari,& habeat quartam partem pœnæ.

De gabella beſtiarum venditarum per Becchariοs intra terminum ſoluenda. *Rub.* 54.

STatuimus, quòd quilibet Becchariυs, ſeu quæuis alia perſona faciens carnes ad vendendum teneatur,& debeat qualibet die Veneris de omnibus,& ſingulis carnibus, & beſtijs per ipſos venditis gabellam eis tangentem,& ante,& poſt ad omnem requiſitionem officialis dictæ gabellæ ſoluere,pœna centum ſoľ.vice qualibet contrafacienti.

De porchetis coctis vendendis. *Rub.* 55.

STatuimus, quòd de qualibet porcheta cocta vendenda per quemcunque ſolui debeant tres deñ. pro qualibet libra carnium. Et quòd dicta porcheta ante coctionem ipſius ponderetur ſine interioribus.

De carnibus emendis pro conuiuijs,ſeptimis,& nuptijs. *Rub.* 56.

STatuimus,& ordinamus, quòd quilibet emens carnes pro conuiuijs,nuptijs, ſeu ſeptimis pro anima mortuorum teneatur, & debeat de omnibus carnibus, quas emerit extra beccharias Communis, ſoluere gabellam trium deñ. per libram carnium, & non vltra: excepto de vno agno,capricto,vel porcheta, de quibus ſoluere non debeat, niſi xij.deñ.pro quolibet. Et quòd dictæ carnes non debeant incidi,ſeu dictæ beſtiæ occidi ſine licentia officialis gabellarum Communis,& debeant ponderari,pœna centum ſoľ.deñ.vice qualibet contrafacienti,& gabellæ duplæ.

De gabella piſcium. *Rub.* 57.

STatuimus,& ordinamus, quòd ſi quis in Ciuitate, & Portu Firmi piſces ſalitos, vel recentes, coctos,vel ſiccos miſerit,ſoluat duos ſoľ. pro qualibet libra pecuniæ, & teneatur piſces pręſentare officiali gabellæ Communis,& ipſos ponderare. Si quis verò extraxerit extra Ciuitatem,& comitatum Firmi,ſoluat pro qualibet libra pecuniæ ſoľ.quinque deñ.pro gabella.

De porcis occidendis per Ciues. *Rub.* 58.

STatuimus,& ordinamus, quòd liceat vnicuique Ciui, vel habitatori Ciuitatis Firmi pro vita ſua, & ſuæ familiæ occidere, & occidi facere, dummodo ſcribātur per officialem gabellæ, ad hoc,vt gabella fraudari non poſſit, duos porcos, & non plures,ſinè ſolutione alicuius gabellæ: & ſi plures occiderit,ſoluat pto qualibet libra carnium tres denarios.

De carnibus salitis extrahendis per mare. Rub. 59.

STatuimus, & ordinamus, quòd si quis miserit in Ciuitate Firmi, vel Portu S.Georgij carnes salitas causa extrahendi per mare, soluat pro qualibet libra pecuniæ de ipsarum æstimatione deñ.duodecim. Si verò carnes fecerit in Ciuitate, vel Portu causa insalandi, soluat pro qualibet libra carnium tres deñ. Et ei liceat dictas carnes extrahere per mare ad eorum libitum,& voluntatem sine aliqua alia solutione gabellæ.

De bestijs infectis,& morticinis vendendis. Rub. 60.

STatuimus,& ordinamus,quòd de qualibet bestia infecta,vel morbosa,vel morticina,quæ venderur ad portas Ciuitatis Firmi, & Portus S. Georgij, & in Villis prædictis, soluatur gabella inferius adnotata, videlicet pro qualibet libra pecuniæ de ipsarum venditione vsq; ad octo lib.soluantur duo sol.pro qualibet libra pecuniæ. Ab inde verò supra vsque ad xij.lib.deñ. soluantur sol.xxx.Ab inde verò supra vsq; ad xv.lib.deñ.soluantur solidi xl.deñ. Et de corijs,& pellibus ipsarũ bestiarum soluantur xij.deñ. per libram deñ. videlicet sex deñ. per partem: & quòd dictæ bestiæ primò per officialem gabellæ videantur, & quòd sine licentia ipsis vendi non possint, pœna centum sol. deñ.pro quolibet,& vice qualibet. Et de pecunijs factis de dictis corijs, & carnibus stetur sacramento venditoris dictarum bestiarum.

De corijs mittendis in Ciuitate,& Portu. Rub. 61

STatuimus, & ordinamus, quòd si quis miserit in Ciuitatem, & Portum Firmi coria bouina, bufalina, scrofarum, vel alias pelles, soluat pro qualibet libra pecuniæ de ipsarum æstimatione xij.deñ. vndecunq; veniant,& soluta gabella sit licitũ ei extrahere,& vendere sine aliqua alia solutione gabellæ. Saluo, quòd si quis de corijs,& pellibus suarum bestiarũ conciare voluerit pro se,& sua familia, aliquid soluere non teneatur, nisi eas vendiderit; & de hoc stetur sacramento ipsius.

De bestijs emendis per Becchario, quæ debent macellari in certum tempus. Rub. 62.

STatuimus,& ordinamus,quòd quilibet Becchario, seu quæuis alia persona faciens carnes ad vendendum, bestias quas emerit pro becchario, vel ipsius occasione debeat intra tres menses à die ipsarum bestiarum emptionis computandos vendidisse ad rectalium. Et si intra dictum terminum non vendiderit, seu interfecerit ad dictam becchariam, teneatur,& debeat pœna centum sol.deñ.soluere gabellam emptionis dictarum bestiarum, videlicet xij.deñ. per libram. Et si dictas bestias detinuerit pro vita, teneatur soluere gabellam pro tata inferius describendam. Et hoc non habeat locum in veruecibus, siue castronibus emendis, & retinendis per Becchario causa occidendi in beccharijs, quibus liceat eos retinere quousque occiderint.

De corijs,& pellibus emendis in Ciuitate. Rub. 63.

STatuimus,& ordinamus,quòd si quis miserit in Ciuitatem,& Portum Firmi coria, seu pelles cuiuscunq; bestiæ, soluat pro qualibet libra pecuniæ xij.deñ. Saluo de corijs, & pellibus bestiarum venditarum per Becchario, de quibus esset soluta gabella trium deñ. per libram, quòd soluat Becchario extrahere volens, vel eorum emptores sex deñ. per libram pecuniæ de ipsarum venditione,& non vltra.

De gabella equorum,& someriorum,& aliarum bestiarum. Rub. 64.

STatuimus, quòd si quis miserit in Ciuitatem Firmi,& Portum, vel in Villas,& territoriũ dictę Ciuitatis aliquem equum, somerium, vel someriam, soluat pro qualibet libra pecuniæ de ipsarũ æstimatione, vel emptione xij.deñ.per libram: & similiter de bobus, vacchis, mulis, porcis, capris, pecudibus,& alijs bestijs modo prædicto soluere teneatur. Si quis verò cõduxerit pro vita sua, & emerit extra Ciuitatem, vel comitatum Firmi vnum equum, vel roncenum, de ipso gabellam non teneatur soluere; sed si vendiderit soluere, teneatur gabellam debitam. Si quis verò soluerit gabellam somerij, bouis, vel alterius bestiæ,& ipsas bestias, vel aliquam ipsarum reuendiderit, emptor teneatur soluere sex deñ.per libram pecuniæ pro parte ipsius. Et similiter si per plures manus ambulauerint, vel dictæ bestiæ reuendiræ essent, tantundem emptor soluere teneatur. Si quis verò equum, vel

aliam

aliam bestiam, de qua non esset soluta gabella in Ciuitate, vel Portu Firmi, extraxerit,& vendiderit eas extra Ciuitatem Firmi, soluat pro qualibet libra pecuniæ duodecim deñ. Et teneatur talis vendens,& extrahens notificare officiali gabellarum post eius reditum intra tertiam diem, pœna centum sol.deñ.& gabellæ duplæ.

De gabella bestiarum pro vita, seu retinendarum in pascuis. *Rub. 65.*

STatuimus,q si quis in Ciuitate Firmi,& eius districtu,& Portu Firmi,& Villis Montoni, Lognani, Montis Sicchi, Montis S.Martini bouem, seu vaccham, porcum, seu scrofam, pecudē, montonem, capras, equas, vel iumenta, vel aliam bestiā retinuerit, seu habuerit, soluat quolibet anno pro quolibet ipsorum modo infrascripto declarando, videlicet.

Pro quolibet boue, seu vaccha, gencho, vel gencha ab vno anno supra	s. x.	d. o
Pro quolibet porco, seu porca castrata à tribus mensibus supra	s. v.	
Pro qualibet scrofa.	s. v j.	
Pro qualibet capra, beccho, seu hyrco.	s. v j.	

Pro qualibet pecude, seu montono sol.v.vsq; ad centum inter dominum,& laboratorem: supra centum verò, sol. ix. pro qualibet, dummodo dominus non habeat nisi quinquaginta in omnibus locis: sed si vltra, soluat gabellam sol.nouem: exceptis allcuiminibus vnius anni.

Pro quolibet iumento, seu equa, qui, vel quæ morantur. . s. xx. d. o

Exceptis,& reseruatis tribus bobus,& duobus porcis cuilibet Ciui,& habitatori Ciuitatis Firmi,& dictarum Villarum pro ipsorum vita, de quibus dictam gabellam soluere non teneantur. Et si boues aratorios non habuerit, sed vacchas aratorias, de illis non soluatur sicut de bobus vt supra. Et quòd prædictas bestias retinentes teneantur, & debeant intra terminum bannimenti notificare officiali gabellarum etiam alleuimina vnius anni, vt supra, de quibus pro conducta illius anni integri nihil soluatur, pœna centum sol.pro quolibet,& qualibet bestia non notificata.

De gabella equorum dandorum ad vecturam. *Rub. 66.*

STatuimus, q de quolibet equo dando ad vecturam per Ciues, vel habitatores Ciuitatis Firmi soluatur gabella xx.sol. in anno quolibet. Et talis retinens ronzenum ad vecturā debeat scribi facere per officiales gabellæ, pœna centum sol.pro quolibet contrafaciente.

De gabella bozze,& membrorum,& bladi quod venditur. *Rub. 67.*

STatuimus,q si quis tam Ciuis, quàm forensis vendiderit in Ciuitate, Portu, vel Villis aliquod genus bladi, soluat gabellam dictam, videlicet pro qualibet salma grani sol.octo & deñ.quatuor, pro qualibet salma hordei, speltæ, fabæ, bisellorum, ciceris, vel alterius leguminis sol. quatuor & deñ.quatuor,& per emptorem sol.duos. Saluo, si dictum granum, hordeum, spelta, faba, vel aliquod aliud de prædictis venderetur hospitatoribus,& alijs facientibus panem ad vendendum, quòd per emptores soluatur gabella dupla, videlicet omnium prædictorum, & octo sol. pro qualibet salma grani,& quatuor sol.pro qualibet salma alterius bladi, vel leguminis pro parte emptoris. Et similiter quicunque alius emerit de prædictis causa reuendendi ad minutum, soluere teneatur gabellā duplam superius expressam. Et quòd nullus possit dictum bladum alibi quàm in platea Communis,& cum mensuris Communis mensurare, nec dictas mensuras Cōmunis extra plateam extrahere sine licentia officialis gabellarū, pœna xl.sol.deñ.pro quolibet contrafaciente,& qualibet vice,& similiter de farina. Si quis verò mitteret in dicta Ciuitate, vel Portu aliquod bladum emptum in comitatu, vel extra comitatum, soluat pro qualibet salma bladi medietatem gabellæ pro sua parte, prout supra est declarata. Si quis autem largiretur, seu mutuaret bladum, seu daret alia quacunque causa, soluatur media gabella per accipientem, pœna xx.sol.vice qualibet.

De gabella farinæ. *Rub. 68.*

STatuimus, & ordinamus, quòd si quis tam Ciuis, quàm comitatiuus, & de Portu S.Georgij vendiderit farinam cuiuscunq; bladi, vel leguminis alijs quàm supradictis hospitatoribus, vel alijs panem facientibus ad vendendum, soluat pro qualibet salma farinæ sol. sexdecim, scilicet xij. sol.per venditorem,& quatuor sol.per emptorem. Et si vendiderit dictis hospitatoribus,

vel alijs facientibus panem ad vendendum, soluat gabellam duplã, scilicet pro qualibet salma farinæ pro parte sua sol. octo. Et si farina non esset ponderata in grano, & côduceretur in Ciuitatẽ, soluat gabellam pesæ tantùm si nô venderetur. Et si dicta farina mitteretur per quemcunq; tantũ in Ciuitate, Portu, & Villis prædictis, & non esset ponderatum granum ipsius, & venderetur ipsa farina, soluatur pro pesa, & pro venditione vt supra dictũ est. Et si dicta farina mitteretur in locis prędictis per quamcunq; personam, & esset de suo fructu, & non esset granum ponderatum, de dicta farina soluat solam gabellam pesæ, & non vltra si non venderetur, sed si venderetur, soluat pro pesa, & venditione vt supra. Et de dicta farina quilibet mittens teneatur pignus dimittere ad portam, & eam præsentare officiali gabellarum, pœna centum sol. pro quolibet, & qualibet vice.

De ponderatione bladi. *Rub. 69.*

STatuimus, & ordinamus, quòd de quolibet centenario ponderis bladi cuiuscunque, vel leguminis causa macinandi soluantur pro gabella sol. duo. Et teneatur quilibet dictum bladum portare, & portari facere ad pesas Communis ad ponderandum cum stateris Communis, & alibi, pœna centum sol. deñ. & soluere gabellam debitam, sub dicta pęna. Et quòd quilibet Molendinarius teneatur, & debeat portare bullam subscriptam manu officialis gabellæ in saccho ponderato, pœna centum sol. vice qualibet, & pro quolibet contrafaciente.

De gabella coptimorum. *Rub. 70.*

STatuimus, & ordinamus, quòd de pensione domorum, & stationum locatarum ad pensionem, & bestijs locatis ad soccitam, & de terreno accoptumato soluãtur pro gabella coptumi deñ. duodecim prò qualibet libra pecuniæ de ipsarũ æstimatione, & locatione, videlicet sex deñ. per locatorem, & sex alij per conductorem. Et si coptimum soluatur in grano, solidos octo pro salma, & dimidium in alijs minutis, hordeo, spelta, & alijs.

De pane mittendo in Ciuitate, & Portu. *Rub. 71.*

STatuimus, quòd si quis miserit in Ciuitate, & Portu aliquam quantitatem panis, soluat pro quolibet centenario panis duodecim deñ. ita tamen quòd panis nô sit valoris vltra duos deñ. Sed si esset valoris, & pretij vltra duos deñ. soluat pro rata parte pro illo pluri secundum numerum, & quantitatem panis.

De gabella bestiarum locatarum ad soccitam. *Rub. 72.*

STatuimus, & ordinamus, quòd de omnibus bestijs locandis, vel dandis ad soccitam, vel ad laboritium faciendum soluatur media gabella, videlicet sex deñ. de æstimatione fienda de eis, videlicet de medietate æstimationis de eis soluenda per conductores, quando soluta fuerit per eos. Et quòd teneantur dicti locatores denunciare officiali gabellarum intra decem dies à die locationis factæ.

De gabella fori Belmontis. *Rub. 73.*

STatuimus, & ordinamus, quòd de omni mercantia, seu re, quæ venderetur in mercato Belmontis in die fori, vel in aliqua strata per quam itur ad dictum mercatum in die fori, soluantur pro gabella duodecim deñ. per libram pecuniæ, videlicet sex deñ. per partem. Et quòd si quis portauerit, vel portari fecerit à Ciuitate Firmi, & Portu Firmi ad dictum mercatum aliquas mercantias, vel res, de quibus fuisset soluta gabella in dicta Ciuitate, & Portu, & easdem vendiderit in dicto mercato, quòd non teneatur soluere aliquam gabellam dictæ venditionis, sed emptor tantùm soluere teneatur dictam gabellam totam, & integram officiali gabellæ mercati prædicti. Item quòd si quis emerit in mercato prædicto aliquas mercantias, vel res, seu bestias causa extrahendi, & deferendi ad Ciuitatẽ Firmi causa vendendi, & extrahendi per mare, nô teneatur gabellã soluere in dicto mercato, sed venditor tantùm totã, & integrã gabellã soluere teneatur, quam gabellã in se retinere debeat dictus emptor, & eam soluere officiali gabellæ dicti mercati. Et hoc, quia prædicti emptores soluere teneantur de prædictis gabellã, cùm ipsas miserint in Ciuitatẽ Firmi. Item ꝙ de quolibet rubbo lini pro pesa venditor teneatur soluere deñ. vnũ. Et pro qualibet petia cananatij quatuor deñ. Et pro mẽsura eiusdẽ centenarij panni lanę, quod vẽderetur in grossum, dictus venditor soluere teneatur

duodecim deñ. Item q̃ quilibet habens caſſinam, ſeu capannã coopertã in foro Belmontis,ſoluat pro qualibet,& quolibet menſe ſol.x.deñ. Item q̃ cuilibet liceat die Lunæ præcedenti in dicto die fori,& die Mercurij ſequenti,vndecunq; ſit,venire cũ mercantijs, & rebus quibuſcunque, & beſtijs ad dictũ mercatũ,& ibi ſtare ſaluè, & ſecurè : & quòd nullus poſſit offendere in perſona, vel rebus,ſed in eundo,ſtando,& redeundo ſit liber,& ſecurus,& abſolutus,non obſtantibus aliquibus repræſalijs,& conditionibus : exceptis exbannitis, & cõdemnatis Cõmunis Firmi,qui in prædictis nõ includantur. Nõ poſſit eriã in dicto foro cõueniri, vel cogi pro aliquo debito alibi cõtracto, ſed ſolũ pro debitis cõtractis in cauſis vertentibus,& emergentibus ab eodem. Item quicunq; Beccharius,vel alius faceret carnes,ſeu macellum cauſa vendendi carnes in dicto mercato,ſoluat dictam gabellam,videlicet

Pro quolibet porco,& porca mortuis,ſiue recentibus,ſiue ſalitis.	ſ. viij.
Pro boue,vaccha,iuuencho,& iuuencha.	ſ. xx.
Pro quolibet caſtrono.	ſ. iiij.
Pro qualibet pecude,hyrco,& montone.	ſ. iij.
Pro quolibet capretto,ſeu agnello.	ſ. j.

De gabella beſtiarum,quæ tranſierint per diſtrictum Firmi. *Rub. 74.*

STatuimus,q̃ ſi quis Ciuis,vel forenſis cõduceret per territoriũ Firmi aliqua animalia de extra diſtrictum Firmi cauſa extrahẽdi extra dictum diſtrictũ, ſoluat pro quolibet boue, & vaccha. ſol.x.

Pro quolibet caſtrono.	ſ. ij.
Pro quolibet porco,& porca.	ſ. v.
Pro qualibet pecude,montone,capro,& hyrco.	ſ. j. d. vj.
Pro quolibet equo,vel equa,ſeu mulo.	ſ. xx.

Saluo,ſi dictas beſtias vendere non poſſent, quòd eis liceat ſi reconducere velint vnde eas conduxerant ſine aliqua ſolutione gabellæ. Et ſi contigerit aliquam dictarum beſtiarum vendi in dicto diſtrictu Firmi,teneatur venditor ſoluere officiali gabellarũ deputato ad exigẽdum gabellam tranſitus xij. deñ. per libram, detracta ea gabella pro beſtijs venditis, quæ ſoluta fuiſſet per tranſitum prædictum. Et quòd reliquæ beſtiæ non venditæ liberè conduci poſſint quò voluerint conducentes.

De gabella paſſus. *Rub. 75.*

STatutum fuit,quòd paſſus beſtiarum,& aliarum rerum, de quibus ſolui debeat gabella per foreñſes,qui tranſibunt,venienr,vel ambulabunr per territorium,& diſtrictum Firmi,ſuiq; comitatus,fortiæ,& diſtrictus,ſoluat gabellam infra dictam.

Pro quolibet boue,vaccha,iuuencho,iuuencha,& ſomerio.		ſ. x
Pro quolibet porco,ſeu ſcrofa.		ſ. v
Pro quolibet caſtrono.		ſ. ij
Pro qualibet pecude,montone,capra,hyrco.		ſ. j d. vj
Pro quolibet equo,ſeu equa,ſeu mulo.		ſ. xx
Pro qualibet ſalma grani, quod conduceretur extra Ciuitatem Firmi cauſa extrahendi extra dictum comitatum,& diſtrictum,& tranſiret per dictum comitatum,& diſtrictum Firmi.		ſ. vj
Pro qualibet ſalma hordei,quæ conduceretur vt ſupra.		ſ. iiij
Pro qualibet ſalma ſpeltæ,quæ vt ſupra conduceretur.		ſ. iiij
Pro qualibet ſalma fabæ,quæ conduceretur vt ſupra.		ſ. v
Pro qualibet ſalma ciceris,ſeu leguminis,panichi,ſeu milei.		ſ. iiij
Pro qualibet ſalma vini,quod portaretur per quemcunq; per mare,vel per terram.		ſ. iij
Pro qualibet ſalma ceræ.		ſ. xxx
Pro quolibet metro olei,quod extraheretur.		ſ. v
Pro qualibet ſalma mellis.		ſ. xx
Pro qualibet ſalma pannorum coloratorum.	Florenum vnum cum dimidio.	
Pro qualibet ſalma pannorum carfagni.		ſ. xxxvj
Pro qualibet ſalma lanæ,quæ tranſiret.	Florenum medium.	ſ. o
Pro qualibet ſalma pannorum lini.	Florenum vnum.	ſ. o
Pro qualibet ſalma canouatij.		ſ. xl

Pro qualibet salma cinciorum.		s. x
Pro qualibet salma guarnellorum.	Florenum vnum cum dimio.	s. o
Pro qualibet salma lini.	Florenum medium.	s. o
Pro qualibet salma lanæ filatæ.		s. xxx
Pro qualibet salma accæ filatæ.		s. xl
Pro qualibet salma pellium non conciatarum.		s. xxx
Pro qualibet salma curaminis grossi non conciati.		s. xx
Pro qualibet salma curaminis conciati.		s. xl
Pro qualibet salma bambacis laboratæ.	Florenum vnum.	s. x
Pro qualibet salma bambacis non laboratæ,		s. xxx
Pro qualibet salma ficuum siccarum.		s. iiij
Pro qualibet salma pilorum equorum.		s. x
Pro qualibet salma pilorum caudarum equorum.	Florenum vnum.	s. o
Pro qualibet salma raminis laborati.		s. xl

Et quælibet salma dictarum rerum,& omnium aliarum rerum,de quibus pertineret solui gabella, intelligatur,& debeat esse de 400.lib.& si plus,vel minus esset,soluere teneatur pro rata parte.

Item si quis Mulaterius,Vecturarius,aut quæcunq; alia persona,cuiuscunq; cõditionis existat,tam forensis,quàm Ciuis,vel comitatiuus,qui aliquam mercantiã,vel rem,de quibus solui deberet gabella,extraxerit extra comitatum, aut eam miserit fraudulenter in fraudem gabellæ, & non soluisset gabellam officiali gabellarum,aut transiret absq; bulla ipsorum officialium,puniatur in lib.xxv.deñ.

Quòd forensis possit extrahere de comitatu omnes mercantias, exceptis lino, & canauatio. Rub. 76.

ITem si quis forensis emerit in aliquo Castro comitatus Firmi aliquam mercantiam, vel rem, & extraheret extra dictum comitatum, aut extrahi faceret, habita licentia possit extrahere. Et si esset linum,& canauatium,lana,aut aliud, de quo solui teneatur gabella,soluat deñ. sex per libram pecuniæ,& non vltra,quia comitatiui non tenentur propter affectum.

Quòd comitatiuus possit conducere omnem mercantiam in comitatu sine gabella, quia soluit affectum. Rub. 77.

ITem si quis de comitatu conduceret in dicto comitatu Firmi aliquam mercantiam, vel rem, si qua esset pro gabella aliqua,minimè teneatur soluere de prædictis,quia soluit affectum.

Quòd quilibet extrahens de Ciuitate,& comitatu linum,lanam,pannos,canauatios,fomentam, nuces,vel aliam mercantiam,soluat gabellam. Rub. 78.

ITem si quis comitatiuus, vel Ciuis Firmanus,aut forensis,cuiuscũq; conditionis existat,emeret linum,lanam,pannos de lino,seu lanæ,canauatium,fomentam lini,nuces,aut quamcunq; aliam rem, seu mercantiam in Ciuitate Firmi, vel in aliquo Castro comitatus Firmi, & eam extrahere vellet extra dictam Ciuitatem Firmi, vel portauerit, vel portari fecerit,soluat pro qualibet libra pecuniæ pro parte dicti emptoris deñ.sex,& non vltra.

Quòd forensis conducens maximè vendens aliquid in foro Belmontis,soluat gabellam,& possit retro portare id quod non venderet. Rub. 79.

ITem si quis forensis veniret extra Ciuitatẽ Firmi ad forũ Belmontis cum pannis, bestijs,aut alia mercantia,& venderet in dicto foro in totũ,vel in partem, soluat gabellã consuetã in dicto foro. Et illud quod vendere nõ posset in dicto foro si vellet retro portare ad domũ suam, vel ad locũ à quo conduxit,sibi licitũ sit sine aliqua solutione gabellæ. Et si portare alibi vellet quàm ad locũ prædictum,soluat gabellam debitam passagij,vt supra dictum est de eo quod retro portauerit.

Quòd liceat comitatiuo extra comitatum cambiare,& vendere bouem deterioratum. Rub. 80.

ITem si alicui comitatiuo dictæ Ciuitatis Firmi eueniret, quòd aliquis bos, vel vaccha, aut alia bestia sibi esset deteriorata, & esset sua propria, & vellet eam cambiare, aut vendere, liceat ei vendere,& cambiare extra comitatum Firmi absque solutione gabellæ.

Quòd liceat forensi retrahere mercantiam non venditam, solutis sex den. per libram de venditis. Rub. 81.

ITem quòd quicunq; mercator, aut forensis, qui esset extra comitatum Firmi, vellet vendere pannos, aut aliam mercantiã, vel rem, quæ missa, & conducta fuisset in Castris comitatus prędicti, vel per ipsa Castra comitatus, quòd soluat sex deñ. per libram pecuniæ de eo quod venderit. Et illud quod vendere non posset, liceat extra comitatum Firmi extrahere, & reportare ad locum pristinum à quo conduxit absq; solutione gabellæ. Sed si alibi quàm ad locum pristinum à quo conduxit reportare, & reconducere vellet, soluat gabellam passagij, vt supra declaratum est.

Quòd nemini liceat extrahere bladum extra districtum recollectum in ipso districtu, & comitatu. Rub. 82.

ITem q nulla persona, tam Ciuis, q̃ forensis, quàm etiam de comitatu Firmi, cuiuscunq; conditionis existat, possit, nec debeat aliquod genus bladi, nec grassiæ extrahere extra comitatum Firmi, videlicet bladum quod esset natum, & recollectum in comitatu, & districtu Firmi.

Quòd liceat comitatiuis inter seipsos vendere, emere, & portare mercantias, quia soluunt affectum. Rub. 83.

ITem quòd liceat cuilibet de comitatu Firmi, & sui districtus vendere, & emere omnẽ mercantiam, & rem si quam vellet inter seipsos in comitatu Firmi, & eam portare ab vno Castro ad aliud Castrum comitatus Firmi sine aliqua solutione gabellæ, quia soluunt affectum.

Quòd quilibet forensis conducens mercantias teneatur soluere gabellam primo gabellario inuento in comitatu. Rub. 84.

ITem q si quis mercator, seu forensis miserit, seu cõduxerit pannos, aut aliquã aliam mercantiã, vel rem in territorio, & districtu comitatus Firmi causa vendendi, quòd soluat gabellã de eis primo gabellario, seu passagierio quẽ inuenerit in dicto comitatu sex deñ. per librã pecuniæ: & dictus officialis, seu gabellarius ponat suam bullam consuetam. Et quòd non teneatur soluere in aliquo loco dicti comitatus. Et liceat dicto mercatori reportare, & extrahere residuum dictæ mercantiæ quam vendere non posset in dicto comitatu sine aliqua alia solutione.

De gabella passus. Rub. 85.

HAec sunt statuta, & ordinamenta gabellæ passus Terrarũ infrascriptarũ, videlicet de omnibus Terris, & locis positis vltra flumen Cluentis, Fiastræ, Nursiæ, Visli, Camerini, Fulginei, & de omnibus alijs Terris, & locis positis vltra prędicta flumina, & in ijs nõ includatur aliqua Terra, vel Castrum, quæ confinata est cũ comitatu Firmi, nec Terra Amandulæ, nec Penna S. Ioannis, nec aliqua Terra, quæ confinetur, & sit in confinijs comitatus Firmi, facta, ordinata, & renouata in anno M. C C C L X X V I. de mense Maij, de omnibus mercantijs, quæ venirent, & cõducerentur à dictis Terris, & quæ traherentur per mare, & quæ venirent per mare, & extraherentur extra comitatũ Firmi, & conducerentur in dictis Terris, & locis positis à dictis fluminibus vltra, prout superius est dictũ, soluat modo infrascripto, & intelligatur salma de pondere lx. lib. In primis.

	Per soma.		Per centenara di peso.		Per decena di peso.	
Zaffarano per soma	Lib. 17	s. 10	s. 75	d. 7	s. 7	d. 7
Seta sottile Marchiana	Lib. 17	s. 10	s. 75	d. 7	s. 7	d. 7
Faloppi, doppi, & franchi	Lib. 2	s. 0	s. 8	d. 11	s. 0	d. 11
Fomicilli	Lib. 4	s. 0	s. 7	d. 10	s. 1	d. 10
Seta tratta di Puglia	Lib. 10	s. 0	s. 40	d. 6	s. 4	d. 10
Cera	Lib. 2	s. 0	s. 8	d. 11	s. 0	d. 11
Zuccaro saldo	Lib. 3	s. 0	s. 9	d. 4	s. 1	d. 4
Poluere de zuccaro	Lib. 1	s. 10	s. 6	d. 8	s. 0	d. 8
Speciaria minuta, & non minuta	Lib. 6	s. 0	s. 26	d. 8	s. 2	d. 8
Pepe	Lib. 4	s. 0	s. 17	d. 10	s. 1	d. 10
Mele	Lib. 0	s. 10	s. 3	d. 4	s. 0	d. 4

Alume di roccha	Lib.o	ſ. 10	ſ. 2	d. 2	ſ. o	d. 4
Nucilli d'amandole	Lib. 1	ſ. o	ſ. 4	d. 6	ſ. o	d. 6
Pignoti	Lib. 1	ſ. o	ſ. 4	d. 5	ſ. o	d. 6
Vua paſſa	Lib.o	ſ. 10	ſ. 12	d. 2	ſ. o	d. 2
Cumino	Lib.o	ſ. 10	ſ. 2	d. 3	ſ. o	d. 3
Panno colorato,Camertono,& Eugubino	Lib. 3	ſ. 8	ſ. 15	d. 2	ſ. 1	d. 6
Panni biſi,& carſagni	Lib. 1	ſ. o	ſ. 4	d. 6	ſ. o	d. 6
Stamegno	Lib. 10	ſ. o	ſ. 44	d. 6	ſ. 4	d. 6
Lana fina	Lib. 4	ſ. o	ſ. 17	d. 10	ſ. 2	d. 8
Lana groſſa biancha,& biſia	Lib. 1	ſ. 4	ſ. 5	d. 4	ſ. o	d. 6
Panno di lino ſottile	Lib. 3	ſ. o	ſ. 13	d. 4	ſ. 1	d. 4
Bucaramo aileſe	Lib. 6	ſ. o	ſ. 26	d. 8	ſ. 2	d. 8
Guarnello d'ogni raggione	Lib. 3	ſ. 8	ſ. 15	d. 9	ſ. 1	d. 6
Canauaccio,& borraccio	Lib. 1	ſ. o	ſ. 4	d. 6	ſ. o	d. 6
Fune,ſpago,giganelli,ſtoppo	Lib. 1	ſ. o	ſ. 4	d. 6	ſ. o	d. 6
Stoppa	Lib.o	ſ. 5	ſ. 1	d. 2	ſ. o	d. 2
Lino Marcheſiano	Lib.o	ſ. 10	ſ. 2	d. 3	ſ. o	d. 3
Lino Lombardo	Lib. 1	ſ. o	ſ. 4	d. 6	ſ. o	d. 6
Panni Veroneſi,Fiorentini,& altri panni co-	Lib. 5	ſ. 2	ſ. 23	d. 4	ſ. 2	d. 4
Canoua (lorati fini	Lib.o	ſ. 10	ſ. 2	d. 3	ſ. o	d. 3
Merciaria	Lib. 6	ſ. o	ſ. 26	d. 8	ſ. 2	d. 8
Sragno	Lib.o	ſ. 15	ſ. 3	d. 4	ſ. o	d. 7
Ferro,& piombo	Lib.o	ſ. 10	b 2	d. 3	ſ. 2	d. 3
Acciaro	Lib.o	ſ. 15	ſ. 3	d. 4	ſ. o	d. 6
Ferro lauorato	Lib. 1	ſ. o	ſ. 4	d. 6	ſ. o	d. 6
Ferro lauorato da corazze, per ſoma	Lib. 1	ſ. 10	ſ. 6	d. 8	ſ. o	d. 8
Metallo lauorato	Lib. 1	ſ. o	ſ. 5	d. 4	ſ. o	d. 7
Rame lauorato	Lib. 1	ſ. 10	ſ. 6	d. 8	ſ. o	d. 8
Rame non lauorato	Lib.o	ſ. 15	ſ. 3	d. 4	ſ. o	d. 4
Varri,per cenrenaro di numero	Lib.o	ſ. 10	ſ. 10	d. o	ſ. o	d. o
Pellicciaria non concia	Lib. 1	ſ. o	ſ. 4	d. 6	ſ. o	d. 6
Pelle Franceſe	Lib. 3	ſ. o	ſ. 13	d. 4	ſ. 1	d. 4
Pelle lanute	Lib.o	ſ. 10	ſ. 2	d. 4	ſ. o	d. 3
Corame groſſo	Lib.o	ſ. 15	ſ. 3	d. 4	ſ. o.	d. 4
Pellicciaria concia	Lib. 1	ſ. 10	ſ. 6	d. 8	ſ. o	d. 8
Corame ſottile concio	Lib. 1	ſ. 10	ſ. 6	d. 8	ſ. o	d. 8
Soatto	Lib. 1	ſ. 10	ſ. 6	d. 8	ſ. o	d. 8
Carta bambacina	Lib. 1	ſ. 10	ſ. o	d. o	ſ. o	d. o
Carta pecudina	Lib. 1	ſ. o	ſ. 4	d. 6	ſ. o	d. 6
Cenci,& paratura di carta	Lib.o	ſ. 5	ſ. 1	d. 2	ſ. o	d. 1
Sementa di lino,noce,& altre biade	Lib.o	ſ. 2	ſ. o	d. 6	ſ. o	d. o
Pelo di cauallo	Lib.o	ſ. 10	ſ. 2	d. 2	ſ. o	d. 3
Fiche ſecche	Lib.o	ſ. 4	ſ. 1	d. o	ſ. o	d. 3
Seuo,& aſſogna	Lib.o	ſ. 10	ſ. 2	d. 3	ſ. o	d. 2
Pelo di coda de' caualli	Lib. 1	ſ. o	ſ. 4	d. 5	ſ. o	d. 3
Bambace lauorata	Lib. 2	ſ. o	ſ. 8	d. 11	ſ. o	d. 11
Bambace non lauorata	Lib. 1	ſ. o	ſ. 4	d. 10	ſ. o	d. 6
Sruruini	Lib. 1	ſ. o	ſ. 4	d. 6	ſ. o	d. 6
Peſcie ſalato	Lib.o	ſ. 10	ſ. 4	d. 6	ſ. o	d. 3
Carne ſalata,& caſio	Lib.o	ſ. 10	ſ. 2	d. 3	ſ. o	d. 2
Legname lauoraro d'ogni raggione	Lib.o	ſ. 2	ſ. o	d. 8	ſ. o	d. 3
Vetro lauorato d'ogni raggione	Lib.o	ſ. 10	ſ. 2	d. 3	ſ. o	d. 3
Cenere da bicchieri,& alume di feccia	Lib.o	ſ. 2	ſ. 2	d. 3	ſ. 2	d. o

Rocelle

Rocelle	Lib.o	ſ. 10	ſ. 2	d. 7	ſ.o	d. 2
Panicella	Lib.o	ſ. 2	ſ. 2	d. 2	ſ.o	d. o
Robia,& guado	Lib.o	ſ. 5	ſ. 1	d. 1	ſ.o	d. 1
Scotano	Lib.o	ſ. 2	ſ.o	d. 6	ſ.o	d.o
Pece	Lib.o	ſ. 4	ſ. 1	d. o	ſ.o	d.o
Piuma	Lib.o	ſ. 5	ſ. 1	d. 1	ſ.o	d. 2
Cote di preta da rotare	Lib.o	ſ. 5	ſ. 1	d. 2	ſ.o	d. 2
Peſcie apparecchiato	Lib.o	ſ. 3	ſ.o	d. 9	ſ.o	d.o
Aniſi	Lib.o	ſ. 6	ſ. 1	d. 6	ſ.o	d. 1
Cinamomo, ouero canella	Lib.3	ſ.o	ſ. 13	d. 4	ſ.o	d. 4
Zenzero	Lib.2	ſ.o	ſ. 13	d. 11	ſ. 1	d. 11
Endico	Lib.2	ſ.o	ſ. 8	d. 11	ſ.o	d. 11
Verzino	Lib.2	ſ.o	ſ. 8	d. 11	ſ.o	d. 11
Seta ſottile di Romania	Lib.10	ſ.o	ſ. 50	d. 6	ſ.o	d. 4
Seta groſſa di Romania	Lib.5	ſ.o	ſ. 25	d. 3	ſ. 2	d. 3
Grana	Lib.10	ſ.o	ſ. 40	d. 6	ſ. 4	d. 6
Capelli, manotte gentili,& feltri	Lib.1	ſ.o	ſ. 4	d. 6	ſ.o	d. 6
Stole	Lib.o	ſ. 3	ſ. 5	d. 9	ſ.o	d.o
Caſſia	Lib.o	ſ. 8	ſ. 20	d.o	ſ.o	d.o
Veſchio,& tormentina	Lib.o	ſ. 10	ſ. 2	d. 3	ſ.o	d. 3
Grano riſo	Lib.o	ſ. 6	ſ.o	d.o	ſ.o	d.o
Solfaro	Lib.o	ſ. 8	ſ.o	d.o	ſ.o	d.o
Oro filato per libra di peſo	Lib.o	ſ. 4	ſ.o	d.o	ſ.o	d.o
Argento lauorato inorato per libra di peſo	Lib.o	ſ. 2	ſ.o	d.o	ſ.o	d.o
Pater noſtri de coralli per libra di peſo	Lib.o	ſ. 1	ſ.o	d.o	ſ.o	d.o
Pater noſtri d'ambre per libra di peſo	Lib.o	ſ. 1	ſ.o	d.o	ſ.o	d.o
Auolio per libra di peſo	Lib.o	ſ. 6	ſ.o	d.o	ſ.o	d.o
Coltre di ſeta per vna	Lib.o	ſ. 2	ſ.o	d.o	ſ.o	d.o
Coltre di panno d'ogni raſone per vna	Lib.o	ſ. 10	ſ.o	d.o	ſ.o	d.o
Schiauine per vna	Lib.o	ſ. 1	ſ.o	d.o	ſ.o	d.o

De carcantibus,& excarcantibus. *Rub. 86.*

ITem ſtatuimus,& ordinamus,qnòd quæcunq; perſona Ciuis,vel diſtrictualis comitatus Firmi,cuiuſcunq; conditionis exiſtat,conduxerit,ſeu conduci fecerit,onerauerit,ſeu onerari fecerit aliquam quantitatem olei,ſeu aliquas alias mercantias cuiuſcunq; qualitatis ad aliquē locum,ſeu in aliqua ſplagia riueriæ maris à Caſtro Siroli comitatus Anconæ incluſiuè vſq; ad flumen Tronti inclnſiuè, teneatur, & debeat ſoluere officiali gabellæ, ſeu exactoribus dictæ Ciuitatis Firmi deputatis per Commune dictæ Ciuitatis, ſeu emptoribus gabellæ Ciuitatis prædictæ pro quolibet miliare olei vnum florenum cum dimidio. Et pro quolibet centinario valoris, ſeu æſtimationis quarumcunque aliarum mercantiarum ſic conductarum, & oneratarum, ſeu exoneratarum in aliquo dictorum locorum dictæ riueriæ,ſiue ſplagiarum non ſubiectarum dictæ Ciuitati, duodecim deñ. pro qualibet lib.deñ. prout ſoluitur in Ciuitate prædicta. Et hoc de locis,& ſplagijs non ſubiectis dictæ Ciuitati intelligatur, & tales Cines, ſiue diſtrictuales conducentes, ſeu conduci facientes ad dicta loca, ſeu ad dictas ſplagias oleum, vel alias mercantias qualcunque, teneantur omnem quantitatem olei, ſeu mercantiarum prædictarum notificare officialibus gabellæ prædictę intra xv.dies à die conductionis,onerationis,ſeu exonerationis mercantiarum prædictarum,& olei computandos,pœna decem florenorum auri pro quolibet miliare olei, & quinque ſoł. pro qualibet libra valoris, & æſtimationis mercantiarum prædictarum, cuius pœnæ medietas ſit Communis Firmi, & alia medietas ſit emptorum gabellæ, ſi gabella tunc vendita eſſet,aliàs tota dicta pœna deueniat in Communi. Et liceat vnicuique contrafacientes referre, & teneatur ſecretus, & habeat quartam partem pœnæ ratione ſuæ denunciationis,vel relationis.

De gabella salis,& pascuorum,baractariæ,& scarfinæ non includenda in venditionibus gabellarum. *Rub. 87.*

STatuto præsenti firmamus,& declaramus,q̃ si quando gabellæ Cõmunis venduntur,& deliberantur,in tali venditione,& deliberatione nullo modo includatur,nec etiã intelligatur venditio gabellæ salis,pascuorũ,& scarfinæ, nec etiã gabella baractariæ intelligatur in dicta venditione,nisi de eis fieret in instrumento venditionis,& in dicta vẽditione specialis,& clara mentio. Quæ gabella baractariæ non vendatur,nisi deliberatum fuerit per Concilium generale Ciuitatis Firmi.

De portantibus pannos ad tinctoria in Ciuitate. *Rub. 88.*

ET forensibus, & circunstantibus volentibus conducere pannos ad tingendum in hac Ciuitate,præsertim vt commoditas,& ars lanæ in dies augeatur: volumus,& declaramus, & statuimus, vt conducentes pannos ad tingendum ab extra non molestentur, nec teneantur ad aliquam solutionem datij,& gabellæ in immittendo, & in extrahendo dictos pannos. Et similiter nemo possit extrahere alumina,nec extrahi facere extra Ciuitatem,

Quòd comitatiui possint venire cum sex bobus sine solutione gabellæ. *Rub. 89.*

COmitatiui venientes ad faciendum laboritium in territorio Ciuitatis Firmi pro tempore futuro possint venire, & conducere vsque ad sex boues cum vna, vel duabus equabus sine aliqua solutione gabellæ pedagij pascuorum.

De exemptione facientium artem lanæ. *Rub. 90.*

VEnientes ad Ciuitatẽ nostram ad faciendum artem lanæ, & qui in dicta Ciuitate artem prædictam faciunt,pro rebus eorum tantùm,videlicet massaritijs, lana filata,& alijs rebus necessarijs arti lanæ, de quibus diligenter per Notarium Regulatorum teneatur computum cum iuramento;sint ab omni solutione datij,& gabellæ exempti:exceptis tamen pannis,de quibus teneantur ad solutionem gabellæ.

Quòd mercatores forenses possint mittere eorum mercantias,& non vendendo à decimaquinta Iulij extrahere sine datio,& gabella. *Rub. 91.*

CVm non paruus fructus honoris, & cõmodi habeatur ex foro rerum venaliũ, seu nundinis,solenniter constituimus, q̃ mercatores externi, seu forenses possint à medio mense Iulij citra pro nundinis immittere mercantias absque vllo datio; & si non vendiderint, non teneantur soluere aliquod datium,sed illas liberè intra constitutum terminum possint extrahere.

De exemptione Clericorum super gabellis. *Rub. 92.*

STatuimus, & ordinamus, quòd omnes, & singuli Clerici Ciuitatis, & comitatus Firmi, & in eis commorantes sint exempti,liberi,& immunes in Ciuitate, & comitatu à solutione datiorum de bonis Ecclesiarum,& Altarium,& de bonis sui patrimonij, videlicet de ijs, quæ dicti Clerici diuisa haberent à patre,à fratre,& à coniunctis suis, sed de illis bonis, quæ pro indiuisis possiderent cum dictis suis patre,fratre,& coniunctis, teneãtur soluere datiuas. Item quòd dicti Clerici de macenato grani pro victu suo,& Diaconorum,seu Scholarium,& famulorum suorũ secundum gradũ, & dignitatem suam retinendorum, sint etiam liberi, & immunes in dicta Ciuitate, & etiam de rebus, quas ad vsum eorum propriè ipsi mitterent in dicta Ciuitate. Et nullo modo possint,nec debeant pro alijs, nisi pro semetipsis, vt supra dictum est, sub pœnis per Reuerendissimum D. Episcopum impositis. Item quòd dicti Clerici de macenato suæ oliuæ propriæ, videlicet de fructibus suarum Ecclesiarum,Altarium,& patrimonij sui, diuisi tantùm à suis attinentibus,etiam sint exempti,& immunes; & nullo modo possint, nec debeant emere oliuas, neque partes oliuarum à laboratoribus, seu coptumarijs suis, nec ab alijs quibuscunque; & si emerent,teneantur soluere gabellas macinati dictarum oliuarum, si eas macinare facerent. Item quòd dicti Clerici de grano, vino, & alijs fructibus, quod, & quos venderent in dicta Ciuitate,sint exempti,& immunes pro medietate gabellæ, pro parte videlicet venditionis dicti grani,vini,& aliorum fructuum,& emptor soluat medietatem gabellæ pro parte sua: & pro medietate gabellæ pensionum, domorum, & coptumorum possessionum suarum pro parte sua

fint etiam exempti. Item quòd Clerici non possint, nec valeant vllo modo extrahere, nec extrahi facere granum per mare, neque per terram extra districtum Firmi, neque oleum, nec alios fructus, neq; vendere liberos, & exemptos à solutione gabellæ integræ soluendæ per emptorem dicti olei, grani, & aliorum fructuum emptorum à Clericis, sed de prædictis integrè soluatur gabella ab emptoribus. Et si extraherent, & extrahere vellent, teneantur soluere integram gabellam, & tractam grani Communi Firmi, vti soluunt seculares.

Declaratio facta super statuto prædicto, & deliberatio, et resolutio quid seruari debeat cum Clericis super solutione, et exactione gabellarum, et pascuorum, quæ fuit, et est, videlicet

ESsendo state alcune differenze tra il Reuer. Clero da vna parte, e la Mag. Communità di Fermo, e suoi Gabellieri dall'altra sopra il riscuotere delle gabelle, pascoli de bestiami, e macinato, & in consequentia nato dubbio sopra lo statuto Lib. 6. tit. de exemptione Clericorum, & osseruanza d'esso, e tutte differenze trattate, & agitate dall'vna parte, e l'altra dinanzi à gl'Illustrissimi Sig. Cardinali della sacra Cógregatione delle Visite de' Vescoui, e referita la causa à N. S. Vltimamente per ordine di S. Santità essendo scritto dall'Illustriss. Sig. Cardinal Mont'Alto all'Illust. & Reuerẽdiss. Monsignor Pinello Vescouo di detta Città, di tenore, che detto statuto sia essequito come è stato essequito per l'addietro: Per essecutione di detto ordine, e per maggior dechiaratione, e per tor via ogni difficultà, che potesse nascere hinc inde, mediante i deputati dell'vna parte, e l'altra s'è venuto all'infrascritta dechiaratione, e determinatione da osseruarsi inuiolabilmente perpetuis futuris temporibus.

In primis, che si osserui lo statuto sub Rub. 92. Libro sesto. Che li laici compratori da Preti, & altri Chierici paghino la metà della gabella, si come è stato osseruato.

Che se alcun laico venderà à Preti, & altre persone Ecclesiastiche, sia tenuto pagare l'integra gabella, si come è stato osseruato per antiqua, & immemorabil consuetudine.

Et il medesimo si osserui nelle locationi, & fitti.

Item se gli concede, che delli frutti, che raccolgono nelli territorij, tanto della Città, come del stato de' beni ecclesiastici, patrimoniali, & acquisiti, volendoli cauar loro à nome proprio fuor del distretto, ò per mare, ò per terra, siano esenti de tutta la gabella, ma siano tenuti à pagare la tratta, come pagano i laici: eccettuando l'olio, & vino, del quale si paghi la metà della gabella, come è stato sempre osseruato. Ma vendẽdo detti frutti, tanto olio, come vino, & ogn'altra sorte de frutti, e robbe ad altri quali li cauassero, siano obligati li compratori pagare la metà della gabella, e tutta tratta, non ostante patto alcuno fatto fra di loro.

Quanto al macinato, si franchino à ciascun Canonico, che habitarà in comunione con le famiglie, some otto di grano. A Curato, & Prebendato, che staranno in comunione, come di sopra, some sei. A ciascun'altro Prete non Curato some tre.

Che quelli che staranno separati dalle famiglie, siano esenti dalla gabella del macinato per tutto quello che opraranno.

Che il Canonico non possa tenere nelli pascoli più di cinquanta tra pecore, & capre, & il Prebendato non ne possa tenere più de venticinque, computandoui quelle pecore, & capre, che si retenessero tanto nelle possessioni del Capitolo, quanto nelle loro particolari. Il Curato non ne possa tenere più di quaranta; altro Prete non Curato più di diece. Delli quali animali li lauoratori, ò socciari siano obligati à pagare la metà di quel che pagano gl'altri laici. Et volendo ciascuno delli sopradetti tenere più del detto numero, tanto in particolare, come in vniuersale, debbano pagare l'intiero pascolo.

Che de gl'altri animali i Preti siano liberi, & esenti per la loro parte, ma i loro socciari, & lauoratori siano obligati alla metà di quel che pagano gl'altri laici, il che non s'intenda per quelli che si tengono per mercantie, che in quel caso debbano pagare tutto quel che pagano i laici.

Postmodum fuerũt porrectę preces in Mag. Cernita dictæ Mag. Ciuitatis Firmi celebrata die xviij. Augusti instantis anni 1581. pro parte Reuerendi Capituli, & Reuerendissimorum Canonicorum eiusdem Ciuitatis, tenoris infrascripti, videlicet.

Mag. & Prestantissima Cernita.

IL Capitolo, & Canonici di questa lor Cathedrale desiderosi esser lor figliuoli, & viuere in vnione con cotesto publico, essendosi trattata la concordia della esattione intorno alle gabellæ, & pascoli tra gli deputati dalle MM. SS. VV. & del detto Capitolo, con l'aiuto del Sig. Dio benedetto s'è ri-

dotta à boniſſimo termine,come per li Capitoli ne naſceua altro diſparere tra di loro, che nella ſomma,& quantità delle pecore. Percioche ſendoſi per il paſſato oſſeruato,che il Prete habbia potuto ritenere numero indifinito di pecore, e tante quante ò ha potuto, ò voluto ritenere, & per la metà ſia ſtato ſempre franco: hora reſtringendoſi à cinquanta gl'è parſo,cõfidato nella molta benignità,e corteſia loro,ſupplicarle voglino reſtar contente della quantità de ottanta,& più, & meno, rimettendoſi ſempre alla loro volontà,il che concederanno a' ſuoi proprij figliuoli,& ſi poſſono aſſicurare, che ſi come per l'addietro non s'è mai goduta queſta immunità, coſi anco ſi può ſperare s'oſſeruarà per l'auenire,che il tutto riporteranno per gratia. Certificandole,che il detto Capitolo vuol viuere in vnione con loro con il numero non ſolo di cinquanta pecore, ma con tante quante loro ſi compiaceranno.

E perche è deſideroſo non ſolo impor ſilentio à queſto fatto, ma anco che il Clero tutto della Città vi concorra, (al che farà ogn'opra) & acciò non habbino occaſione di dolerſi, poiche nelli Capitoli per Prete non Curato gli s'è conceſſo ſi poco numero de pecore, cioè dieci; ſi ſupplica vogliano prouedere,che reſtino ancor loro conſolati,& animirli alla concordia, del che ſe ne terrà obligo, & pregando Dio per tutti loro,le quali conſerui ſempre.

Super quibus precibus fuit in ea ſeruatis ſeruandis facta huiuſmodi reſolutio, videlicet

Dominus Felix Aurelius Conſultor ſorte ductus,& iuratus circa petitionem RR.Canonicorum,& Capituli cenſuit declarari debere numerum pecudum hoc modo, videlicet pro Canonico ſexaginta, pro Curato quadraginta,Præbendato triginta,& alio non Curato viginti;in reliquis habeantur Capitula pro firmatis.

Quod partitum fuit obtentum per fabas nigras del ſic numero quinquagintanouem, non obſtantibus duabus albis in contrarium.

Ego Syluius Sara Canonicus,& ad id ſpecialiter vnà cũ Magnifico,& Reuerendo Domino Conſtantio Grana Canonico à Reuerendo Capitulo Firmano electus,& deputatus, ſub rogatione Ser Fabij Srangulini de Firmo dicti Capituli Notarij, ſub die xxix. Martij 1583. Supradicta in dictis capitulis contenta recipio,& accepto, inuiolabiliterq; obſeruare promitto,accedente tamen conſenſu Sanctiſſimi D. N. Papæ,nec aliter,nec alio modo. Et in fidem &c. manu propria ſcripſi.

Ego Conſtantius Grana Canonicus deputatus ſupradicta omnia accepto, vt ſupra. Et in fidem &c. manu propria ſcripſi.

Noi Felice Aurelio, & Franceſco Aſſaldi eletti, & deputati dalli Mag. SS. Priori,& Regulatori della Mag. Città di Fermo per decreto della Mag. Cernita celebrata ſotto li 13. di Nouembre 1579. accettamo,approuamo,& conſentemo à quanto di ſopra ſi contiene.

Io Felice Aurelio dico come di ſopra.
Io Franceſco Aſſaldi confermo come di ſopra.

Tenor litterarum, de quibus ſupra ſit mentio, talis eſt, videlicet

All'Illuſt. e Molto Reuerend. Sig. come Fratello Monſig. Veſcouo di Fermo.

R. præſentanti &c. omiſſo ſigillo. Intus verò.

ILluſt. e Molto Reuerend. Sig. Intorno al diſparere nato tra il Clero, e la Città di Fermo ſopra il ſtatuto di detta Città Lib.6. Rub.92.tit.de exempt. Cleric. poiche lungamente ſi è diſputato il caſo, inteſe le parti con informationi d'Aduocati, e Procuratori, & inteſo anco il parere di dui SS. Auditori di Ruota, ſi è riferita la cauſa à S. Santità, quale hauendo inteſo diſtintamente i capi controuerſi, e le allegationi delle parti, mi ha commeſſo ch'io ſcriua à V. S. che leuata ogn'altercatione ſia eſſequito detto ſtatuto come è ſtato eſſequito per l'addietro. Et Dio N.Sig. la guardi di male. Di Roma alli 4. di Giugno 1580.

Di V. S. Illuſt.& Molto Reuerend.

Come Fratello à ſeruirla
F. Felice Card. di Montalto.

Die viiij. Iunij 1580. Romæ.

MAgnificus D. Io. Baptista Colutius vti Orator, & Procurator Magnificæ Ciuitatis Firmi præsentauit retroscriptas Illustriss. & Reuerendiss. D. Cardinalis de Monte Alto litteras admodum Illustri, & Reuerendiss. D. D. Dominico Pinello Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo, & Principi Firmano, petijtq; recipi, & admitti, &c. Qui admodum Illustris, & Reuerendiss. D. Episcopus &c. retroscriptas litteras admisit, mandauitque obseruari, registrari, & restitui, &c.

Ita mandamus D. Episcopus.

Quòd de solutione gabellarum non possit fieri gratia, nec terminus. *Rub. 93.*

AD rollendum omne inconueniens, statutum sit, quòd de gabellis nemini possit fieri gratia, remissio, nec terminus, nec aliquo modo præponi, & deliberari super dictis gratijs faciendis, sub pœna xxv. ducatorum auri pro quolibet DD. Priorum contrauenientium, & Cancellario ipsorum legenti, & scribenti, ita quòd de cætero nullo modo, nec via Gabellarijs habentibus gabellas Communis de denarijs dictarum gabellarum Communi Firmi soluendis, & debitis, possit fieri gratia, terminus, & dilatio, nec supersessio aliqua, nec aliquo modo impediri, & retardari solutio dictarum gabellarum, nec super dicta solutione facienda aliquid præponi, tractari, deliberari, & reformati in Cernitis, & Concilijs, sub pœnis iam dictis præfatis DD. Prioribus, & Cancellario.

Confirmatio omnium contentorum in toto hoc Volumine statutorum.

STatuta, & plebiscita Ciuitatis nostræ Firmi reuisa, reducta, & declarata omnia, & singula in toto hoc Volumine scripta, & annotata, populari decreto cùm imprimi mandaretur Anno Domini M. D. VI. Indictione nona, Sedente Iulio II. vt Domino placuit, Pontifice Maximo: Statuimus, & ordinamus quòd sint, & esse debeant statuta, & iura ciuilia nostræ Ciuitatis, & comitatus, locorumq; omnium Firmanæ ditioni subiectorum; quæ & in Ciuitate, & comitatu, & locis nostris omnibus obseruari volumus, & iubemus, non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus. Quibus omnibus, & singulis publico consensu Ciuitatis, & comitatus expressè derogatum fuit, sicuti plenè constat manu Bernardini Patimali Notarij publici, & Cancellarij nostri Communis inde rogati.

QVAE statuta postremò ex decreto Concilij die xxj. Iulij M. D. LXXXV. Ac Cernitæ die ix. Ianuarij M. D. LXXXVII. Alioque decreto eiusdem Cernitæ die iiij. Nouembris M. D. LXXXVIII. fuerunt iterum recognita, & declarata, additis, & adnexis nonnullis depromptis ex reformationibus postea editis, ac demum imprimi mandata.

Statuta Mag. Ciuitatis Firmi feliciter expliciunt.



CAITVLA EDITA SVPER FORO, ET NVNDINIS Magnificæ Ciuitatis Firmi in Augusto, vt Cernitæ decreto per Ciues ordinata fuerunt, videlicet.



Rima, che'l luogo doue si debbia fare la fiera, cioè doue si habbiano à vendere li animali, sia doue fin hora è consueto: ma il luogo doue si vendono l'altre mercantie s'intenda essere dentro alla Città nella piazza di San Martino, & per le strade maestre.

Item che la fiera predetta sia, & essere debbia franca à tutti i forestieri, che condurranno, ò compraranno, ò venderanno loro mercantie nella detta fiera, stando il tempo, che di sotto si dechiarirà; cioè, che possano mettere, trahere, vendere, & comprare ogni generatione di mercantia, e d'animali senza alcun datio, ouero gabella, non stendendosi à quelli che vendessero grano, farina, pane, vino, olio in grosso, carne da retaglio, & ogn'altra generatione di biada, & vittualia espressamente; specificando, che carne salata, & casio che si vendano a pezi intieri, non debbiano pagare gabella; saluo se non si vendesse à retaglio: ma li forestieri etiam che vendessero carne salata, & casio à retaglio, non siano obligati pagare alcun datio, ouero gabella.

Item che durante il tempo della fiera i Cittadini, & i Contadini li quali conducessero, ò vendessero, ò infundicassero, ò comprassero, ò trahessore alcuna mercancia, non siano tenuti pagare alcuna gabella; dechiarando impero, che le robbe quali si hauessero à infundicare, si debbiano assignare alli gabellieri, & finita la fiera li Cittadini siano obligati à rechiesta de' Gabellieri per giuramẽto chiarire quello che gl'auanza: ma expresse si dechiara, che di robbe comprate per suo vso non si paghi gabella: et se fusse alcuna difficulta nelle cose che si vendessero, ò trahessero di qualunque sorte si siano, all'hora si stia a giudicio di quelli Cittadini, che saranno deputati soprastanti della fiera con sacramento di quello che la vendesse, ò trahesso, ò infundicasse, ò per qualunque modo occorresse alcun dubbio; ma in questo modo prima si habbiano detti dubbij, e differentie per li Consoli de' mercanti di Luglio, & Agosto terminare, conoscere, e chiarire.

Item che li mercanti forestieri possino mandare lor mercantie, & robbe nel Porto, e Città di Fermo intra l'anno come gli accaderà, & quelle conseruare, & reponere sin'al tempo della fiera senza alcun datio, e pagamento di gabella. Ma se innanzi al tempo della fiera le vendessero, siano obligati per quello che vẽdono pagar il datio, ouero gabella al gabelliere senza alcuna contradittione. Et questo habbia luogo nel passato, presente, e nell'auenire. Et s'intenda che se robbe per via di commenso, ò commenda si mettesse, si debbia infundicare tutte in luogo quale per la Communita si ordinarà.

Item che li mercanti, & qualunque altra persona di qual stato, & conditione si sia, possino nell'auenire per tutto il mese d'Agosto in qualunque anno della fiera liberamente vendere, & comprare senza pagamento alcuno di datio, ò gabella: dalli quali datij, & gabelle per tutto il mese d'Agosto siano liberi, & essenti; & ancho li mercanti forestieri possino tutte le mercantie, & robbe loro trahere, & far trahere per tutto il mese di Settembre seguente in ogn'anno che la fiera si farà, senza pagamento di detti datij, ò gabelle. Ma se alcuno con robbe passasse, ouero con animo di non vendere nella detta fiera mettesse robba, & sotto colore di franchitia in detto tempo le trahesse, sia obligato al debito pagamento della gabella.

Item che a ciascheduno sia lecito fare la sensaria nella detta fiera, pur che sappia scriuere, acciò possa tenere conto delli mercati che per sua mano si fanno: con questo che si habbia à fare scriuere dal Notario delli soprastanti della fiera; altramente qualunque mercato che per lor mano passasse, non sia valido.

Item che la fiera predetta sia, & essere debbia franca, & libera à ogni persona che à quella verrà, in modo che nessuno Cittadino, Contadino, o forestiere di qualunque conditione, & luogo si sia, possa essere costretto, ne conuenuto da alcuno suo creditore per alcun debito contratto innanzi al tempo della detta fiera, ne per represalia di Commune, ne di special persone che hauesse contra alcuno, cioe durante il tempo della detta fiera: saluo per debito quale si contrahesse, ò si facesse nella fiera, si debbia conuenire, & constringere a quel che la raggione volesse. Et similmente nõ si possa durante il tempo della fiera giurare alcuno sospetto, & fugitiuo: & cosi ancho non si possa fare alcuna molestia durante essa fiera à quelli che fossero per danni dati condannati; ma ancho essi siano franchi, & sicuri.

Item che la detta franchitia, e sicurtà non s'intenda per alcuno sbandito, inimico, ribello, ò traditore di Santa Chiesa, & del Magnifico Commune di Fermo, & che non sia franca a quelli che delinquessero, ò commettessero alcun delitto, ò maleficio durante la detta fiera, & nella detta fiera, ò fuora di essa fiera nel territorio di Fermo, & del contado, o delle Terre raccomandate. Ma che l Podestà, & Capitanio, & altri officiali del Commune di Fermo contra tali delinquenti habbiano pieno arbitrio punire, & condennare in persona, o in hauere secondo che a essi officiali parerà, & piacerà summariamente senza strepito, & figura di giuditio, con piena facoltà d'aggiungere, & non minuire tal pena, che in tal delitto si deue imponere; non ostante statuto, o reformanza che in contrario parlasse.

Item che si debbia assettare, & aggiustare il peso della Communità, & prouedere che tutti gl'altri pesi si aggiustino al parecchio di quello.

Item che si faccia la bussula delli soprastanti, li quali habbiano à intendere, conoscere, & terminare summariamente tutte le differenze, che per comprare, & vendere, e per qualunque altra caggione in essa fiera occorressero; & il Capitanio, et Collaterale debbiano à loro instantia richiesti consultare di raggione le cose dubbiose, & che nessun Auuocato, ò Procuratore possa a tal cause interuenire a pena di xxv. lib. per ogni volta che alcuno contrafarà.

Item che li Regulatori che per li tempi saranno, acciò li mercanti siano contenti, & volentieri stiano, & ritornino, prouedano commodamente, & a buon precio condurre le pensioni delle botteghe, ò case necessarie, & similmente prouedano che dal contado venghino le vittuaglie secondo meglio gli parerà, pur che sia abondantia, & chi della Città, ò del contado farà pane, & portarà, ò venderà nella Città al tempo della fiera, non siano per esso obligati ad alcun datio, ouero gabella.

ORDINAMENTA, ET CONSVETVDO MARIS EDITA PER CONSVLES CIVITATIS TRANI.



L nome dell'onnipotente Iddio, Amen. Millesimo sexagesimotertio, prima indictione. Questi infrascritti ordinamenti, & eagione furono fatti, ordinati, & promissi, & ancora deliberati per li nobili, & discrecti huomini Messer Angelo de Bramo, M. Simone de Brado, & Conte Nicola di Roggiero della Città di Trani eletti Consoli in arte del mare per li più sufficienti, che si potesse trouare in questo golfo Adriatico.

Propongono, dicono, determinano, e diffiniscono questa infrascritta questione dell arte del mare, la quale è cosi fatta: Che se alcuna naue grande, ouero pictola desse in terra pee fortuna, & fosse spartita la poppa dalla proda, la mercantia che stà nella detta naue non sia tenuta à emendare la detta naue. Et se la detta naue nõ fosse spartita da poppa à proda, la mercantia che stà in essa sia tenuta à emendare la detta naue. Et li marinari siano tenuti ad aspettare otto di per scampare li suoi corredi. Et qualunque marinaro che si partisse innanzi il detto termine di otto di della detta naue, sia tenuto à pagare d'ogni denaro del suo salario, de' tre danari dieci.

Propongono ancora, dicono, & diffiniscono li predetti Consoli, che qualunque torredo si perdesse, non sia tennto d'andare à Varea: saluo, che li detti corredi non fussero guasti, ouero perduti per campare le persone, la mercantia, & ancho la naue, che se in questo caso fossero li detti corredi, siano tennti d'andare à Varea.

Propongono, dicono, & diffiniscono li detti Consoli, che se la mercantia della naue fusse robbata da Corsari, sia tennta la detta mercãtia robbata d'andare à Varra. Et che se ne campassero di queste mercantie, che non fussero robbate, tutte quelle che campassero siano cenute di emendare quella che fusse robbata. Et che lo salario delli marinari non sia tennto di emendare mercantia Vernna.

Propongono, dicono, & diffiniscono li predetti Consoli del mare, che se Vna baecha scoperta andasse in terra à sfasiaesi, & si sfasiasse, la mercantia non sia tenuta a emendare la barcha. Et si la barcha scoperta fusse in pelago in fortuna, & li marinari della detta barcha per questa fortuna gettassero in mare la mercantia pee meglio scampare la mercantia, cosi perduta deue andare à Varea.

Propongono, dicono, & diffiniscono li predetti Consoli, che se Vna naue grande, ouero piccola fusse noleggiata, e carcata, & si partisse del porto, & hauesse fatta Vela, & la detta naue per caso tornasse in porto; & se li mercanti ridomandassero la robba, & non Volessero che la detta naue la portasse più oltra, il patrone della naue deue hauer tutto lo nolo conuenuto, come che se l'hauesse portata doue che li mercanti hauessero Voluto.

Propongono, dicono, & diffiniscono li predetti Consoli, che qualunque naue, ò grande, ò piccola fusse carcata in porto, & innanzi che la detta naue si partisse del porto li mercanti gli domandassero la lor mercantia, il patrone della naue gli deue rendere la mercantia, & esso patrone deue hauere, & riceuere da' mercanti il mezo del nolo conuenuto.

Propongono ancora, dicono, & diffiniscono li detti Consoli, che se la detta naue fusse in porto per carcarsi, & li mercanti che l'hauessero noleggiata, & promesso al patrone di dargli la mercantia, non la Volessero poi dare, il patrone non gli può domandare altro che il quarto del nolo.

Propongono ancora, dicono, & dechiarano li sopradetti Consoli, che se Vn patrone di naue andasse in luoghi diuetati, & ancora andasse in porto doue non douesse andare: saluo, che non fusse per fortuna, gabella, & ogni altro danno, in questo camino, & altri luoghi diuetati aduenessero, che li marinari della detca naue Vetassero al patrone, & il patrone non lo Volesse fare, sia tenuto il patrone à pagare tutto questo danno, & in caso che li marinari, & anco il patrone non conoscesse questo fatto, il danno tutto che aduenesse deue andare à Varea.

Propongono, dicono, determinano, & diffiniscono li detti Consoli del mare, che Veruno patrone possa lasciare nessuno marinaro, altro che non fusse per quattro tagioni, & difetti di esso marinaro: prima per biastemare Dio; la seconda per esser meschiarolo; la terza per essere ladro; la quarta per lussuria: & per queste quattro cose il patrone possa lasciare il marinaro, & condurlo in teera ferma, & fare le ragioni loro in terra ferma.

Propongono, & diffiniscono li predetti Consoli del mare, che se Vn marinaro si partisse con la naue dalla sua teera, & si amalasse, esso deue hauere tutta la sua parte.

Propongono, & diffiniscono li detti Consoli, che se Vn marinaro si conducesse, ouer partisse con la naue da casa sua, esso non si può partire, ne lasciare l armaria della detta naue: salno, che per trè cagioni, & cose: la prima è, se esso fusse fatto patrone d'Vn'alra naue; la seconda se fusse fatto nocchiero; la terza è, se in quello presente Viaggio hauesse fatto Voto di andare à San Giacomo, al santo Sepolcro, ò à Roma, & per queste tre cose ha cagione legitima di partirsi, & deue essere licentiato senz'altro interesse, ò danno refare.

Propongono ancora, dicono, & diffiniscono li predetti Consoli del mare, che qualunque patrone menasse marinari à parte in naue grande, ouero piccola, & se lo detto marinaro si Volesse partire, gli deue lasciar la metà di quello che douesse hauere, ouero della parte sua.

Propongono, dicono, & dechiarano li detti Consoli del mare, che qualunque patrone andasse con Vna fortuna à Vela, & la sua Vela si guastasse, sia suo tutto il danno. Ma se esso andasse à Vela, & dicesse alli marinari, cala mo, che io Voglio mettere lo terzarolo, & li mercanti, & li marinaei gli dicessero questo, che non calasse, ma che tenesse duro, & la detta Vela si perdesse; in ciò sia tenuta de see, & andare a Varea.

Propongono ancora, dicono, & diffiniscono li detti Cõsoli del mare, che se la naue fosse forta, li marinari non deuno leuare senza licentia del patrone, ouero del nocchiero. E più à questo se la garoppa, ouero il canapo si mozasse, questo si deue andare à Varea. Anche mo se con lor litigia li facesse forza, & perdessero l'ancora, non sia tenuto à emendarsi, ne andare à Varea.

Propongono, dicono, & diffiniscono li detti Consoli del mare, che qualunque naue facesse Vela della sua terra, che noi gli

togliamo libertà, che non debba calare vie collare, ne tenere sosta, ne mollare sosta senza licentia del nocchiero. Et la naue stando in porto, il nocchiero non possa trare la naue del porto senza licentia del patrone.

Proponemo, dicemo, & sententiamo noi Consoli predetti, che qualunque patrone che menasse scriuano, esso debba essere giurato del suo commune, & esser buono, & leale. Et questo detto patrone non possa fare scriuere nessuna cosa, che habbia con nessuno mercante, che non sia il mercante presente, ouero altro testimonio. E'l simil caso, & termine sia con li detti marinari, & se altro, ouero il contrario facesse, & scriuesse, che quello suo quaterno, ouero libro non sia tenuto à nulla ragione, ne ad esso si debba dare fede alcuna. Et se questo scriuano riceuesse mercantia dalli mercanti, & gli mancasse, sia tenuto esso scriuano à emendarla: & il detto quaterno deue essere coperto di carta pecudina.

Propongono, dicono, & diffiniscono li detti Consoli del mare, che qualunque patrone che hauesse alcuna mercãtia in naue, & gli bisognasse scaricare, ò in porto, ouero in spiaggia, come la detta robba hà dato in barcha, il detto patrone subito ipso facto è scapolo, & libero della detta robba, e mercantia cosi discaricata, & sia tenuta à emendarla essa barcha: saluo, che non la perdesse per fortuna di mare, ouero de' corsari: & in questi doi casi non sia tenuta.

Propongono, dicono, & diffiniscono li detti Consoli del mare, che qualunque mercante, ouero altro huomo desse mercantia à qualche suo fattore, ouero ad altra persona, che gli la vendesse, senza verruno testimonio dell'assegna, se si deue credere al detto fattore, & che volesse andare dritto alla ragione di Signoria, esso habbia doi testimonij diritti, e leali, & à costoro debbia essere creduto, & dato piena fede.

Propongono, dicono, & diffiniscono questi sauij Consoli del mare, che qualunque huomo, che trouasse robba in mare che andasse à torno, gli sia lecito à torla, & assignarla alla Corte, & darla per scritto fra'l terzo dì doppo che l'hà trouata, & tolta; & di questa robba cosi ricouerata ne debbia hauere la metà trouandosi il patrone d'essa. Et questa tal robba debba stare in mano della Corte trenta dì continoui: & se in capo di trenta dì il patrone non ci apparirà, ò altra legittima persona per lui, la robba debbia essere di colui che l'hà trouata.

Propongono, dicono, & diffiniscono li Consoli antedetti, che qualunque persona che troua robba sott'acqua, debbiano essere le doi parti di quello che la troua, & il terzo debbia essere del patrone di essa robba di robbe che habbia segnale.

Propongono ancora, & dechiarano, che qualunque persona trouasse robba che hauesse segnale, che nessuno la debbia toccare sotto pena di tre volte tanto quanto che fusse estimata cotal mercantia che fusse cosi trouata, & più in arbitrio della detta ragione, che si trouasse nella detta Terra.

Propongono, & dechiarano li detti Consoli del mare, che qualunque naue facesse alcuna varea, si deue cauare fuora il terzo per li corredi; perche li corredi non sono tenuti d'andare a varea, & non deueno essere mandati se si perdessero, & cosi versa vice li corredi non deueno emendare l'altra mercantia.

Propongono, dicono, & diffiniscono li detti Consoli del mare, che qualunque persona che trouasse oro, argento, ò perle, ò altre cose sottili, & di valore, & non l'assignasse al patrone, ouero al nocchiero, ò al scriuano, & interuenesse, che di queste cose, & d'altre si douesse fare varea, ò per corsari, ò per fortuna del mare, le predette cose non si deueno emendare: & se le dette cose si perdessero, deueno andare à varea.

Propongono, dicono, & diffiniscono li predetti Consoli del mare, che se alcun patrone di naue portasse robba, ò mercantia, non la possa trare fuor di naue senza licentia del patrone della mercantia. Et se esso la cauasse fuora senza licenza, e la mercantia si perdesse, il detto patrone della naue la debbia emendare.

Propongono, dicono, & diffiniscono li sauij Consoli del mare, che se alcuno mercante noleggiasse alcuna naue grande, ouero piccola, & non ci fusse nominato il patto di scarcare, ne di spacciare la naue, ne per l'vna parte, ne per l'altra: però noi Consoli sententiamo, che la naue essendo al caricatoro non la deue aspettare si non otto dì di tempo di bonaza, & debbia hauer pagato il suo nolo. Et se li detti mercatanti non volessero spacciare la naue, che la naue sia à risico delli mercanti; & debbia hauer la detta naue di salario quello che terminaranno li Consoli che saranno in quelle parti.

Propongono, dicono, & diffiniscono li detti Consoli del mare, che se vn patrone hauesse caricata la naue di mercantia, & fusse fortuna, e non ci fussero li mercanti, che'l detto patrone, se bisognasse, possa gettare fuora con le sue mani la detta mercantia. Et nessuna ragione gli possa contra, perche lo fa per scampo delle persone della naue, & dell'altre mercantie, & la detta robba, & mercantia cosi gittata deue andare à varea.

Propongono, dicono, & diffiniscono li detti Consoli, che se la naue fusse assalita, & percossa da' corsari, sententiano, che'l patrone possa accordare il detto corsaro, ò per oro, ò per argento, ò per altra robba, & patto, per il quale si scampi la naue, & l'altra mercantia, non essendo li mercanti in naue.

Propongono, & diffiniscono li detti Consoli del mare, che nessuno patrone non possa battere nessun marinaro, ma il marinaro deue scampare, & ire à proda dinanzi alla catena del remiggio; & deue dire, dalla parte della mia signoria nõ mi toccare, tre volte. Et se il patrone passasse la catena per batterlo, il marinaro si deue defendere: & se il marinaro occidesse il patrone, non sia tenuto al bando.

Propongono ancora, & diffiniscono li detti Consoli del mare, che qualunque naue, ò grande, ò piccola hauesse messa mercantia, & la naue facesse acqua alli mercanti, gl'è lecito di non dargli più robba, & il patrone ha libertà d'andare per i suoi fatti per scampare le persone, & la naue.

Propongono, dicono, & sententiano li detti Consoli del mare, che nessuno nauilio che sia in mare non debbia far patto, ne cõuentione alcuna, e se'l facesse in mare con mercanti, ò con marinari non vagliano, e siano di nessun valore, ne per essi patti si possa domandare, saluo, che non fosse in porto in luogo romeggiato in quattro, ouero che lo scritto appara da l'vna parte, e dall'altra, ouero per mano dello scriuano, perche li testimonij non ponno andare la doue vanno le naui.

Proponemo, & diffinimo noi Consoli del mare, che ciascuno patrone di naue habbia libertà di riscuotere vna naue, ò per fortuna di mare, ò per corsari: & se bisognasse danari habbia libertà di torli sopra di essa, & della naue sia buono guardiano, & faccia quello che deue.

Propon-

Propongono, dicono, & diffiniscono li detti Consoli del mare, che se s'appresentasse che galea alcuna andasse in corso, & la naue hauesse robba dentro, ò in tutto, ò in parte, & li mercanti rendessero la lor robba, & mercantia, il patrone non sia tenuto à dargliela; saluo, che li mercanti non li affrancassero la naue.

Expliciunt ordinamenta maris edita per Consules Trani.

ORDO, CONSVETVDO, ET IVS VAREHAE SECVNDVM ANCONITANOS.



E Stato statuito, & ordinato, che se alcuno nauilio si rompesse, ouero pericolasse in mare, si debbia fare varea della naue, si come della mercantia che sta nella naue per questo modo, & forma: cioe, che la naue sia obligata à fare la varea con tutte le mercantie: & tutte le mercantie debbiano fare varea con la naue. Nel qual caso si debbia estimare la naue per tre mercanti, li quali non fossero partecipi alla detta varea, secondo l'ordine del predetto statuto. Li quali tre mercanti si debbiano eleggere per quelli à cui appartiene la varea, cioè per ciascuna delle parti, & l'altro communemente; li quali eletti siano costretti à dechiarare la detta varea fra quattro mesi. Et la detta dechiaratione che si farà per li detti eletti, ò per la maggior parte di loro, ciascuno delli predetti siano tenuti di osseruare, sotto la pena di perdere la parte che gli toccarà della varea, la quale venga nelli detti partecipi.

Et della stima che si fara della detta naue per detti eletti, se ne debbia battere il terzo per li corredi, li quali non siano tenuti alla varra, & la detta mercantia si debbia stimare secondo il costo che fu di quella in quel luogo doue fu trouata la detta mercantia, & il danno che fusse riceuuto si debbia partire, cioè la naue con le mercantie, & le dette mercantie con la naue predetta, per soldo, & per libra.

Et acciochè nella detta varea non si possa cōmettere malitia, non si possa mettere nella detta varea senon quelle cose, ouero mercantie che fossero scritte per il scriuano; saluo, che se si trouasse per alcuni essere messe nella detta naue megliore mercantie che non fussero scritte per il scriuano, all'hora in quel caso mettesse. Et in vantaggio della detta barcha le dette cose, ouero mercantie migliori che non fussero scritte, & in disauantagio delli mercanti di cui fussero per l'inganno che commisse, debbiasi mettere per quelle mercantie le quali hauesse fatto scriuere.

Et acciochè il presente statuto sia di maggiore intelligenza, dechiaramo che la detta barcha si debbia fare per la figura che qui si dechiarara. Cioè poniamo per figura che il nauilio che si deue fare varea con le mercantie sia di valuta di mille, e cinquecento fiorini, se ne vuole abbatere il terzo per li corredi che non si mette, ne va à varea: resta fiorini mille al nauilio che si deue mettere alla varea. Et le mercantie che furono carcate nel detto nauilio nel luogo doue fu carcato costò fiorini quattro milia, & sono di quattro mercanti, & di quattro diuerse mercantie; l'vna è cottone, e l'altra è cenere, l'altra è pepe, e l'altra è zuccaro, si che à ciascuna di queste mercantie è tenuta la barcha per il quarto predetto delli detti mille fiorini à fare la detta varea, che ne tocca per quarto fiorini doicento, e cinquanta. Et ciascuna di quelle mercantie che è di somma di fiorini mille, è obligata al nauilio, & alla detta varea.

Et se il nauilio, & alcune di dette mercantie fussero in tutto perduto, volemo che il nauilio perduto, e la mercantia perduta non faccia varea vno con l'altro: & se in tutto non fussero perdute, ma fussero perdute in parte, all hora la parte che nō fusse perduta debbia fare varea con quella che è perduta per soldo, & per libra, & restituire alla parte più dannificata, cioè al nauilio con le mercantie per soldo, & per libra perduto con il non perduto.

Et simil'ordine, & forma si debbia osseruare nella detta varea, se le mercantie fussero altre mercantie, ò più, ò meno, ò di maggior, o di minor numero, & valuta: & cosi del nauilio se valesse più, ò meno.

Et la varea che si deue fare mercantia con mercantia, si faccia in questo modo; cioè, che non sia tenuto di far varea mercantia con mercantia senon in questo modo, & forma: sapone con sapone, olio con olio, tele con tele, canauaci con canauaci, Zaffarano con zaffarano, carte con carte, amandole con amandole, panno di lana con panno di lana, stoppa con stoppa, ferro, rame, stagno, piombo, acciaro, & mettallo, tutte, & ciascuna di queste con ciascuna di queste cose, vino con vino, noce, & fiche con noce, & fiche, carne con carne, casio con casio, mele con mele, legname con legname, fustagni con fustagni, funicelli, & seta con seta, & funicelli, bambace con bambace, ò soda, ò filata, zuccaro, ò poluere, & confetti, l'vno con l'altro, pepe con pepe, gengenero con gengeuero, cinamomo con cinamomo, garofani con garofani, alume, cenere con cenere, & alume, incenso con incenso, noce moscate con noce moscate, mastici con mastici, Zambellotti con zambellotti, drappi d'oro con drappi d'oro, drappi di seta con drappi di seta, lana con lana, lino con lino, corame con corame d'ogni generatione che sia lauorato, & concio, cera con cera, pesce con pesce d'ogni generatione, biado con biado, & con legname, sego con sego lauorato, & non lauorato, pegola con pegola, dattoli con dattoli, vua passa con vua passa l'vna con l'altra. Et tutte l'altre mercantie che di sopra non sono nominate, facciano la varea col suo proprio, & simile.

Et ciascuna mercantia non perduta, ò ricuperata faccia varea con l'altre mercantie che fussero perdute secondo che è dechiarato di sopra.

Et tutte le mercantie campate si debbiano deponere per quelli, alli quali appartiene la varea, appresso doi persone communi, alle quali non appartiene la varea. Et quelli depositarij habbiano libertà di custodirle, & venderle secondo che sarà vantaggio, e più vtile delle mercantie.

Et le mercantie, ouero moneta che se ne traherà, tenerle per fin tāto che se dechiararà la detta varea. Et nessuno delli detti mercanti debbia toccare le dette mercantie, ne leuare delle dette mercantie per portarsele, senon che la tenga li detti depo-

sitarij

sitarij, sotto pena di perdere quello che gli toccasse dalla varea, per sin tanto che non fusse dechiarata la detta varea, non ostante che fusse segnata del suo segnale.

Et fatta la detta dechiaratione, li detti depositarij debbiano fare varea delle dette cose, & consignarle secondo la dechiaratione fatta per li detti tre arbitri, ò per doi di loro.

Et questo statuto si debbia osseruare in ogni luogo doue che'l caso di varea interuenesse à nauilij, e mercanti d'Ancona.

Questo pertanto dechiarato, che mercantie che siano sotto coperta vine, nō siano tenute ad alcuna cosa di varea con le mercantie che fossero sopra coperta vine. Ma la mercantia che fosse sopra coperta vina, sia tenuta di contribuire, e di far varea alle mercantie che fossero sotto coperta vine.

Ancora dechiaramo, che hauer di cassetta che fusse sopra coperta vina, cioè oro, argēto, perle, pietre pretiose, anella, drappi d'oro, e di seta, zambellotti varij, armellini, & arnesi de' patroni, di mercanti, marinari, passaggieri, & d'ogn'altre persone che fossero in naue, che fosse sopra coperta vina, non si debbia mettere à varea, ne à profitto, ne a danno.

L A V S   D E O.

AD LECTOREM.



VAMVIS (candide lector) in huius voluminis impressione exactissima fuerit adhibita diligentia, quia tamen vetus exemplar non solum litteris, & syllabis, sed etiam integris dictionibus mendosum mihi traditum fuit, effici non potuit, quin infrapositi errores è manibus exciderint, quorum in priori impressione innumerabilis adeo erat numerus præter ea, quæ pro erratis ibidem erant adnotata, vt non tot expungere potuerimus, quin aliqui remanserint, quos, ne te legentem remorentur, hac vna pagina oculis tuis subieci. Vale.

Pag. 1.	ad omnem tandem flagitiosum facinus	omne
pag. 2.	eum lapidibus	lampadibus
ead. 2.	otdinamentum	ordinatum
pag. 3.	expectantia	spectantia
pag. 6.	& cuiusquam Cancellariæ	cuiuscunque sine &
pag. 7.	pallij qui fiet	quod fiet
pag. 16.	vel retinete possint	possit
pag. 20.	nisi primo fuit	fuerit
ead. 20.	dictum Scindicatum	dictus Scindicatus
pag. 25.	Ambasciatæ	ambasciatoris
pag. 26.	expectans ad ipsum Commune	spectans
ead. 26.	monitiones	munitiones: & sic semper dicatur in eadem carta.
pag. 27.	calculum quale	qualem
pag. 28.	reliqua verò tertia pars	reliquam verò tertiam partem
pag. 30.	mereantionum	metcationum
pag. 31.	alio statuto	alij
ead. pag.	in Rub. & per totum nigrum monitiones	munitiones
pag. 33.	nomina Castri	Castrorum
pag. 34.	Castrum Montis Viridis	Ripæ viridis
ead. 34.	Castrum Apollini	Aponilli
ead. 34.	monitiones monitionibus	munitiones munitionibus
pag. 38.	& si fuerit in Ciuitate	dematur &
pag. 58.	responsorijs	responsurus
pag. 63.	conscientia	conscientiæ
pag. 69.	capturæ nominandos	numerandos
pag. 73.	versiculo 25. recipiat xxx. sol.	xxxx. sol.
pag. 79.	muti, & surdi, qui aliàs non sanæ mentis	dematur non
pag. 82.	vel in vltima voluntate possit opponere	apponere
pag. 96.	& tamen sentia sic lata	sententia
pag. 102.	in aliquo processu poni possint	non possint
pag. 109.	condemnetur ad damnum	dandum
pag. 122.	omne eius	omne ius
pag. 126.	talis capiens & exbannitus	dematur &
pag. 128.	Rub. 88. in non subiectis	in non subiectos
pag. 141.	Si verò in campo, fœno, vel stipulare	dematur stipulate
pag. 147.	bobum	bouum
pag. 156.	in ea redierit	in eam
pag. 168.	stateriæ staterae	stateria statera
pag. 172.	flato	flatu
pag. 173.	piscare	piscari
pag. 173.	cuilibet forensis	quilibet
ead. pag.	pises	pisces
pag. 180.	teneatut secretur	secretus
pag. 183.	& familiæ mitterentur	mitteret
pag. 201.	Reuetendissimorum	Reuerendorum

GREGORIVS PAPA XIII.

DILECTI filij salutem, & apostolicam benedictionem. Fides, & deuotio vestra singularis, quam erga nos, Sedemq́; Apostolicam gerere comprobamini, nos inducunt, vt petitiones vestras ad exauditionis gratiam libenter admittamus, vestris itaque in hac parte supplicationibus inclinati taxas mercedum Iudicibus, & Notarijs criminalibus Ciuitatis nostræ Firmanæ per vos assignatas per dilectũ filium Nobilem virum Iacobum Boncompagnum dictæ Ciuitatis Gubernatorem cõprobatas, necnon gratias, facultates, immunitates, priuilegia, indulta, ac statuta quæcunque, tam per nos, quàm alios Romanos Pontifices prædecessores nostros concessa, quatenus contra libertatem ecclesiasticam, ac Cameræ Apostolicæ præiuditium non tendans; Apostolica auctoritate tenore præsentium ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine approbamus, & confirmamus, illisq́; perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, omnesq́; & singulos, tam iuris, quàm facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem, supplemus, ac ab omnibus, quos illa concernunt, exactè obseruari præcipimus, & mandamus. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus fe: rec: Pij Papæ IIII. prædecessoris nostri de registrandis gratijs interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus infra certum tunc expressum tempus in libru eiusdem Cameræ, seu in ea insinuandis, et quibusuis alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ciuitatis nostræ Firmanæ, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorũ tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisq́; cõtrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die secundo Iulij. M. D. LXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Cæ: Glorierius.

TABVLA, SIVE TAXA MERCEDVM OFFICIALIVM CVRIAE FIRMANAE,

Iussu Illustriss. & Excellentiss. D. Iacobi Boncompagni Ciuitatis Firmi, & eius status Gubernatoris perpetui per Mag. & Excell. D. Io: Mariam Brugnolum eius Locumtenentem, & infrascriptos Deputatos reuisa, & reformata, ac ab eodem Excell. D. inuiolabiliter obseruari mandata.

Confirmata per Breue supradictum fe: rec: Gregorij XIII. ac per Breue S. D. N. Sixti V. sub Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die x. Februarij 1586. positum supra in principio statutorum ante paginam primam immediatè.

IN primis quilibet Officialis in aduentu sui officij teneatur, & obligatus sit literas, patentes, & auctoritatem sui officij exerceñ. sibi à Superioribus concessam in Cancellaria Communitatis registrari facere.

2 Item quilibet Depositarius teneatur retinere tax[illegible]retariorum omnium officialium, aliàs teneatur de suo proprio.

3 Item quòd D. Locumtenens, Auditor, Cancellarius, Baroncellus, & cæteri officiales D. Gubernatoris, siue Locumtenentis teneantur stare ad scindicatum iuxta solitum, & stylum consuetum.

4 Item ꝙ à sententijs D. Gubernatoris, siue Locumtenentis, tam in causis ordinarijs, quàm alijs ciuilibus in prima instantia latis possit appellari ad Iudicem ordinariũ appellationum: in causis verò summarijs, & miserabilium personarũ admitti debeat appellatio non retardata executione.

5 Item quòd D. Locumtenens, siue alius pro eo, vel eius Auditor pro sportulis accipere possit infrascripto modo, videlicet in causis criminalibus pro sportulis Auditor capiat, & capere possit pro sententia absolutoria à pœna capitali florenos sex, & non vltra, sed si fuerint duo, vel plures, etiam mille in vno processu, vel diuersis processibus, qui eodem tempore reperiantur carcerati pro eodem delicto vnico cõtextu, & eodem tempore, sportulæ duplicentur, & habeat recipere florenos xij. duntaxat inter omnes, etiam si plures tulerint sententias, & idem ordo seruetur in causis Communitatum.

6 Item pro sententia absolutoria in pœna corporis afflictiua citra mortem, capere possit flor. tres, sed si sint plures in vno processu, vel diuersis, pro eodem delicto vnico contextu, & eodem tempore, & in causis Communitatum, sportulæ duplicentur.

7 Item pro absolutoria in pœna pecuniaria, vel etiam corporali in euentum non solutionis pœnę pecuniariæ boñ. vnum pro quolibet floreno, & non vltra, dummodo non excedat summam trium florenorum à xxv. lib. supra; ab inde verò nihil recipere possit, & in causis plurium personarum, & Communitatum sportulæ duplicentur vt supra.

8 Item pro commissione cassationis processus, in quo vltra querelam nulla sint inditia, & vbi non interuenisset sententia condemnatoria, nihil.

9 Item pro sportulis in causis ciuilibus vsque ad florenos sex, D. Auditor nihil capere possit: à sex florenis verò supra boñ. vnum pro quolibet floreno tantum, dummodo non excedat florenos sex, & non vltra pro quacunque quantitate.

10 Item pro sportulis in causis ciuilibus, in causis libellarijs, & instrumentarijs, in quibus fuit factus processus ordinarius, & interuenerit sententia diffinitiua, seruetur ordo infrascriptus, à xxv. lib. infra nihil capere possit: ab inde verò supra bononenum vnum pro quolibet floreno, dummodo non excedat florenos sex.

11 In causis summarijs, videlicet piorum locorum, viduarum, pupillorum, alimentorum, & mercedis, nihil pro sportulis capere possit, vbi in sententia ad fauorem præfatorum lata non sit condemnatio expensarum.

12 Itē in causis instrumentorū executiuorū, vbi nō sit processus, nihil recipere possit pro sportulis.

13 Item quòd D. Locumtenens, seu alius pro eo non possit, nec valeat pro admissione rescripti à quocunque Superiore ab Vrbe emanati super absolutionibus in capitalibus recipere nisi florenos duos, etiam si fuerint plures in rescripto nominati, & pro pœnis corporis afflictiuis florenum vnum, pro alijs pecuniarijs nihil.

14 Item pro examinatione cuiuslibet testis cū articulis, & interrogatorijs, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus non possit percipere nisi boñ. sex inter Iudicem, & Notarium, exceptis causis Communis Firmi, Damnorum datorum, & Gabellariorum, in quibus nihil recipere possit.

15 Item pro decreti interpositione in palatio boñ. quatuor, extra verò boñ. octo.

16 Item pro accessu ad locum differentiæ boñ. viginti in Ciuitate, flor. vnū in eius territorio, extra verò Ciuitatis territorium flor. duos, & expensas qualibet die inter ambas partes habere valeat, & non vltra, & totidem habeat in causis homicidiorum, & atrocissimis per constitutionem declaratis, vel alijs grauibus, pro quibus equitare contigerit, dummodo eius viaticum non excedat summam sex florenorum, & si plus steterit habeat tantummodo expensas: in alijs verò causis equitare non possit, & si fortè equitauerit, nihil recipere possit.

17 Item non possit in causis ciuilibus, vbi non fuerint productę in processu exceptiones in scriptis, aliter quàm manu Notarij actuarij sportulas recipere, nisi aliàs fuerit factus processus.

18 Item in alternatiuis, vel simplici cessione bonorum, vel simplici quinquennali miserabiliū personarū nihil recipere possit pro sportulis, si contradictio non interuenerit: si verò interuenerit cōtradictio, vltra flor. vnum recipere non possit, & minus arbitrio D. Gubernatoris, siue Locumtenentis.

SECRETARIVS.

19 PRo bullectino de extrahendo frumentum de loco ad locum in iurisdictione nihil, cùm spectet ad MM. DD. Priores, extra verò à decem salmis infra boñ. quatuor; ab inde verò supra boñ. vnum pro qualibet salma, tam si extrahatur per terram, quàm per mare, & ab inde supra quantęcunq; sit quantitatis boñ. vnum pro qualibet salma, computato sigillo.

20 Item pro qualibet littera cum sigillo in totum accipere possit boñ. quatuor, & non vltra.

21 Item pro bullectino de non molestādo mulieres in rebus dotalibus, & parafrenalibus, etiā si plures fuerint in eadē domo habitantes, boñ. quatuor cōputato sigillo, pro cōfirmatione verò boñ. duos.

22 Item pro saluoconducto in pœna capitali scutum vnum, in alijs corporis afflictiuis flor. vnum, in pecuniarijs criminalibus boñ. xx. in pœna exilij boñ. octo, in causis ciuilibus boñ. sex, etiā si fuerint plures in solidum obligati: pro confirmatione verò, seu prorogatione pro medietate cōputato sigillo.

23 Item pro licentia delationis armorum computato sigillo boñ. sex tantum, & non vltra, etiam si cautio de non abutendo præstanda esset.

24 Item pro alternatiua, etiam si fuerint plures in suplicatione in solidum obligati, boñ. sex.

25 Item in quolibet casu, & ex quacunq; causa vbi necesse fuerit apponere sigillum absq; alicuius scripturæ confectione, habeat pro sigillo boñ. duos.

CANCELLARIVS.

26 IN primis si contigerit dictum Cancellarium ex aliqua causa equitare, habere debeat pro eius mercede florenum vnum pro quolibet die, & expensas per tres dies tantùm; sed si plus steterit, expensas tantummodo.

27 Pro literis patentalibus nihil percipere possit.

28 Item pro fideiussione de stando iuri in quacunque causa, etiam capitali, boñ. quatuor, & si plures fuerint vnico contextu, duplicentur.

29 Item pro productione cuiuslibet actus instantiæ, seu scripturæ, boñ. duos, & non vltra.

30 Item pro qualibet carta copiarum, quę habere debeat lineas decem & octo, boñ. duos: in causis verò plurium personarum, & Communitatum boñ. quatuor pro qualibet carta, & similiter pro registratione cuiuslibet scripturæ registrari petitæ boñ. duos.

31 Item pro publicatione donationum insinuandarum, cuiuscunq; sit quantitatis, boñ. quatuor.

32 Item pro circundatione processus, lectura sententię, & absolutione in causa capitali flor. vnum: si verò fuerint duo, vel tres, seu plures, non possit recipere nisi florenos duos, si vnico contextu præfata facta fuerint; si plures in diuersis vicibus, boñ. viginti pro quolibet, & non vltra.

33 Item pro circundatione processus, lectura sententiæ, & absolutione in causa vbi veniret imponenda pœna principaliter corporis afflictiua, vel sub conditione, postquàm iuerit in conditionem citra mortem, pro vno boñ. viginti; si fuerint plures, flor. vnum vnico contextu.

34 Item pro circundatione, cassatione pœnæ meræ pecuniariæ, vel corporalis, sub conditione, à viginti lib. infra boñ. sex, ab inde supra vsque ad quinquaginta boñ. sexdecim; si omnes, seu plures insimul cõparuerint ad cassandum, boñ. xvj. inter omnes; si separatim, boñ. octó pro quolibet, & non vltra.

35 Item pro absolutione, vel circundatione processus de spreto præcepto, casu quo abolitio peti possit, pro quolibet accusato de per se aboleri peteñ. boñ. duos, si pro omnibus vnico contextu boñ. sex, & non vltra.

36 Item pro registratione supplicationis, etiam si plures fuerint in ea nominati, boñ. quatuor in criminalibus, & ciuilibus causis, sed si plures fuerint in criminalibus, duplicentur, etiam si fuerint mille,

37 Item pro registratione precum signatarum ab Illustriss. D. Gubernatore boñ. octo, & si accidit earum vigore processum aliquem cassari, seruetur ordó supradictus.

38 Item pro cassatione, & circundatione processus, & cõdemnationis de spreto præcepto in causa criminali facto ad informañ. caueñ. & testificañ. habeat recipere boñ. octo, & nõ vltra; etiam si fuerint plures in præcepto, & cõdemnatione nominati, si vnico contextu, & si separatim quilibet idem soluat.

39 Item pro inuentario conficiendo de bonis homicidæ, seu qui aliquẽ letaliter vulnerauerit, & in alijs causis capitalibus vbi bona venirent confiscanda, flor. vnum in Ciuitate, & territorio; in Comitatu verò florenos duos, & expensas: in alijs verò casibus nihil.

40 Item pro teste examinando pro informatione Curiæ ni[illegible]cipere possit, etiam si præstiterit cautionem de se præsentando.

41 Item pro sententia in publicam formam extrahenda in c[illegible]li causa non possit recipere vltra florenum vnum; & si fieret registrum cum sententia prędicta, recipere possit pro sua mercede ad rationem copiarum, & vltra pro publicatione totius registri boñ. duodecim, & non vltra.

42 Item quòd non possit cogi quis ad cassandum processum vbi nihil fuerit probatum, nec minus grauari pro dicta causa ad cassandum.

43 Item pro sententia in publicam formam extrahenda in alijs causis citra mortem vltra registrũ vt supra, accipere debeat boñ. duodecim, & non vltra, etiam quòd fuerint plures.

44 Item pro extractione instrumenti publici fideiussionis, pacis, seu cuiuscunque alterius actus, & qualitatis, etiam pro quacunque causa, non possit recipere vltra duos carlenos vsque ad centum florenos, ab inde supra florenum vnum.

45 Item pro quolibet rogitu simplici, cuiuscunq; fideiussionis, vel alterius instrumenti per dictum Notarium rogañ. boñ. quatuor, & si plures sint, duplicetur.

46 Item pro examinatione cuiuslibet testis ad instantiam partis examinati boñ. sex, & non vltra inter Iudicem, & Notarium.

47 Item pro citatione cum tenore commissionis, & sigillo, in totum bonoñ. octo, & non vltra, dummodo non sit excessiua.

48 Item pro remissione,cassatione, & abolitione processus ordinarij locorum recipere bonoñ. sex possit,& non vltra.

49 Item pro bullectino de excarcerando in causis capitalibus, & corporis afflictiuis principaliter, vel sub conditione, postquàm venerit in conditionem boñ.quatuor: in alijs verò pecuniarijs bonoñ. duos,in ciuilibus nihil.

50 Item pro primis præceptis tam ad informandum, quàm ex quacunque alia causa factis, nihil recipere possit,nec etiam taxare valeat.

51 Item quòd literæ patentes debeant taxari iuxta solitum,videlicet de boñ.vno pro quolibet Castro pro viatico Bayuli,& non vltra,etiam si detulerit plures patentes.

52 Item vbi quis inuenitur, & capitur in fragrãti crimine, nihil possit recipere pro cassatione,nisi fuerit necesse super illo crimine formare processum.

53 Item quòd debitores ciuiles non possint præceptari, & in pœna spreti præcepti condemnari,nisi existerent debitores à decem libris denariorum supra, & si secus factum fuerit, præceptum,condemnatio,& executio sint,& esse debeant nullæ.

54 Item ꝙ Cancellarius, siue eius Notarij, vel substituti non possint recipere accusationes damnorum datorum, nec super eis processus formare, aut aliàs in dictis causis damnorum datorum se intromittere quoquo modo,& si secus fiat cassentur, & remittantur gratis absque aliqua mercede, sub pœna contrafacienti arbitrio D.Gubernatoris,siue Locumtenentis.

55 Item cum per Mag.Commune Firmi fuerit Vniuersitatibus eius Castrorum, seu illorũ Officialibus concessæ quędam maleficiorum causarum cognitiones,prout in eorundem capitulis continetur, deceatq; prædicta seruari, ad tollendum ne quis de eorum delicto bis puniatur, vel aliter in cassationibus, aut personarum defatigationibus grauetur cùm Cancellarius criminalis pro tempore habeat, & habere debeat in Cancellaria cuiuscunque Castrorum prædictorum capitulorum copiam,seu transumptum,cùm ad eius officium spectet non processare per ipsum non processañ. quòd in casibus quorum cognitio spectat duntaxat ad dicta Castra nullo modo fiat inquisitio,& si fiat cassetur,vel remittatur gratis absque aliqua mercede, sub pœna contrafacienti arbitrio Gubernatoris, seu Locumtenentis pro tempore,seu Scindicatorum imponeñ. *PLACET quatenus sint in vsu.*

BARONCELLVS, ET EXECVTORES.

56 Baroncellus, & alij Officiales, & cuiuscunq; Curiæ meri executores pro executionibus in causis ciuilibus de quibus habeant commissiones in forma,boñ. vnum, & non vltra pro quolibet flor. etiam si summa esset infra vnum flor. nec etiam plus quàm vnum florenum pro qualibet executione petere possit,quantæcunque sit quantitatis,& importantiæ,& hoc tam in Ciuitate,quàm in Comitatu seruetur.

57 Item vigore brachij secularis boñ. vnum pro quolibet flor.dummodo nõ excedat summã flor. triũ cuiuscũq; sit quãtitatis,&ho[illegible]elligatur in iurisdictionarios:cõtra verò forẽses seruetur solitũ.

58 Item captus, & in carceri[illegible]o debitis ciuilibus positus,si ab alijs creditoribus fuerit ibidem recõmendatus, & recõfirmatus,no[illegible]neatur, nec possit cogi ad solueñ. executionẽ nisi pro medietate.

59 Item quòd Officiales,& executores prædicti non valeant facere aliquas executiones pro debitis ciuilibus in Ciuitate,vel Comitatu; nisi præcedente iudicum commissione subscripta manu vnius Notariorum Collegiatorum,neq; possint repetere executiones, nisi ex noua cõmissione, & transactis decem diebus à die factæ executionis, aliàs executio sit nulla, & incidat in pœnam decem librarum pro qualibet vice,& quolibet contrafaciente.

60 Item pro executione causarum ciuilium à vigintiquinque libris infra Bayuli possint exequi, prout hactenus obseruatum fuit,dummodo habeant commissionem in scriptis.

61 Itẽ ꝙ executores nõ possint domũ introire pro executionibus faciendis ex quacunq; causa sine præsentia vnius vicini,seu vnius ex Massarijs,vel Bayuli,nec bona prohibita in executionem accipere.

62 Item pro captura,carceratione,custodia, & bullectino miserabilium personarum nihil recipere possint,sed gratis,& amore Dei relaxentur,si ita per Locumtenentem,seu eius Auditorem sibi in bullectino fuerit iniunctum, dummodo soluat expensas:& an sit miserabilis persona,vel ne,stetur declarationi Mag.Domini Locumtenentis.

63 Item captiui Ecclesiæ Cathedrali restituendi,nihil soluere debeant iuxta formam statutorum, præter expensas.

64 Item pro executione condemnatorũ criminalium pœnarum habere debeat boñ. vnum pro qualibet libra, de eo quod cum effectu deuenerit in Camera, dummodo non excedat florenos quatuor.

65 Item pro executione obligationum factarum in Camera soluatur ad instar ciuilium.

66 Item pro captura personæ in pœnam capitalem damnatæ de bonis damnati si extiterint, sin autem Fisci, florenos decem, quatenus per Baroncellum, & Curiam suam fuerit captus, & non aliàs, & in euentum in quem condemnatus, & captus vt supra, ex aliqua iusta causa absolueretur, medietatem tantummodò capturæ habere debeat, & non plus à capto: si autem componeretur, soluat boñ. vnum pro qualibet libra, dummodo non excedat florenos quatuor, & non vltra vt supra, nisi fuerit bannitus, quo casu executor non habeat minus florenorum quatuor.

67 Item pro captura personæ in pœna corporis afflictiua principaliter, vel sub conditione cōdemnatæ, si executio fieri contingat in personam, flor. duos à Fisco de eo, quod deuenerit in Cameram vt supra: si autē cōponeretur, habere debeat boñ. vnum pro qualibet libra, dummodo non excedat summam quatuor floreñ. Si verò gratietur, seu ex aliqua causa relaxetur absq; solutione alicuius pœnæ, floreñ. duos, & minus arbitrio D. Gubernatoris, siue Locumtenentis.

68 Item si quis fuerit à Curia captus absque Iudicis commissione, & repertus fuerit innocens, vel non culpabilis, nullam habere debeat executionem, nec etiam mercedem carceris.

69 Item pro executione constituentis se spontè ad purgandum imputationem, nihil recipere possit præter expensas.

70 Item pro executione carcerati existentis in Palatio de commissione Iudicis boñ. quatuor, & minus arbitrio Iudicis.

71 Item pro executione venientium spontè ad respondendum inquisitioni, qui venirent carcerandi, nihil recipere possit.

72 Item pro executione testis, qui ad terrorem pro reperienda veritate fuerit carceratus, nihil recipere debeat, & relaxetur gratis vbique.

73 Item pro executione, & captura nōn cōndemnati ex causa capitali, qui postea veniret absoluendus, in Ciuitate, & territorio bonoñ. duodecim; in comitatu verò carlenos quinque: in causa corporis afflictiua, vel conditionali dimidium: pro alia verò causa mera pecuniaria, tertia pars.

74 Prò executione, & captura carcerati ad instantiā Patris, vel alterius ad correctionē carl. duos.

75 Item pro executione condemnati de spreto præcepto in causis ciuilibus boñ. v. & non vltra.

76 Item executores teneantur cōmissiones exequi cū effectu pro tota quantitate, aliàs executionem, seu mercedē consequi nō possint, & si dixerint exequi nō potuisse, relationi eorū non stetur, nisi ostendant fides ordinarij locorum, quo casu suam mercedē habere possint, & casu quo potuerint exequi, & non fuerint executi, puniantur arbitrio Mag. D. Locumtenentis, etiam corporaliter.

77 Item si veniret casus, quòd pro aliquo homicidio, seu alio delicto de atrocioribus, vel alijs vt supra, in quibus necesse fuerit Baroncellum, seu Locumtenentem cum sua familia equitare, pro quolibet die floreñ. vnum, & expensas pro se, & familia consequi possit, & non possit stare vltra tres dies, & si amplius steterit, nihil amplius petere possit præter expensas.

78 Item si quando Baroncellus, vel alij executores equitauerint pro conducendis captiuis ad Ciuitatem captis à Vicarijs, seu hominibus de iura, vel aliter quàm ab ipsis executoribus, habeat Baroncellus, si equitauerit cum effectu, flor. vnum vt supra.

79 Item si contigerit Auditorem, siue Cancellarium ex aliqua iusta causa equitare, & secum ducere biruarios, aut famulos, vel alios ex familia, non possint pro eis recipere, nisi debitam mercedem in tabula contentam: pro dictis verò famulis, & biruarijs boñ. xij. dummodo non excedant numerū quatuor biruariorum, & non possint ibi stare vltra tres dies, & si steterint nihil præter expensas.

80 Item pro executione DD. Gabellariorum, & executione tallearum S. D. N. & Communis Firmi recipere possit boñ. vnum pro quolibet flor. dummodo non excedat summam vnius floreni.

81 Itē q̃ nullus executor possit extrahere pignora extra iurisdictionē Ciuitatis, tā durāte eius officio, q̃ postea, pœna furti; sed ea cōsignare debeat, & tradere depositario deputato, si in Ciuitate eadē die, si in comitatu infra duos dies post reditū ad Ciuitatē, & ab eo recipere notā receptionis pignorū.

82 Item q̃ executores teneantur restituere Notarijs omnes cōmissiones causarum ciuilium, dummodo infra decem dies, cum fide executionis à tergo, aliàs vltra pœnas in tabula contentas nihil recipere possint pro earū executionibus, & de prædictis scindicētur, & eas ponere debeant in capsa à Collegio deputata, & ordinata, ad euitandum fraudes, cum duabus clauibus, quarum vnam stare debeat

penès Baroncellum pro suo interesse,& altera penès Notarium à Collegio deputatum.

83 Item ꝗ executores,qui iuerint ad exequendũ,nullo modo exequi valeant in bonis per statutũ prohibitis,& de bonis captis in executionẽ, vel tenutam facere debeant (etiã irrequisiti) duo specifica receputa vulgari sermone, vnumq; ex eis tradere in manibus eorũ,contra quos fuerit executum, alterum verò Vicario dicti Castri, vel vni ex Massarijs pro tempore, sub pœna cuilibet contrafacienti supradictis Scindicorum arbitrio imponenda, quibus receputis credatur, faciatq; contra scribentem plenã probationem,& prædicta modo, & forma prædictis obseruare teneatur Cancellarius,quatenus pro se aliquid receperit,seu eius nomine aliquis,& in euentum quòd facere receptum recusetur,recusans dare pignus pœnas nullo modo incurrat,sed iustè, ritè, ac rectè fecisse intelligatur.

84 Item cùm Iudices,Baroncellus,eiusq; executores cõtenti esse debeant de eorũ salario,& solita mercede,neq; aliter homines grauari,si eueniet ꝗ equitent,vel quoquo modo vadant cõtra aliquem delinquentẽ,non possint,nec valeãt pro eorum viaticis,& mercede grauare,nisi delinquentẽ,vel eius bona,& nõ eorum consanguineos,neq; Cõmunitates, etiam si delinquentes non haberent aliquid in bonis,cum vel ipsi contenti esse debeant proprio salario,vel per Fiscum, & non aliàs soluen̄.veniant; bona autem delinquen̄. esse præsumantur quæcunque in eius domo reperta fuerint, & ea per executores capi possint,facto de omnibus diligenti inuẽtario, quæ si postea alterius quàm delinquentis esse probatum fuerit,restitui veris dominis debeant sine aliqua impensa.

CVSTOS CARCERVM.

85 IN primis pro sua mercede tam in ciuilibus, quàm in criminalibus introitus cuiuslibet carcetati bon̄. duos, & totidem pro exitu, & pro qualibet die,qua steterit in carceribus bon̄. vnum: sed si eadem die fuerit relaxatus, nihil recipere possit vltra introitum,& exitum.

86 Item pro carceratione alicuius pro debito ciuili à bon̄. viginti infra inter introitum, & exitum bonon̄. vnum,& non vltra.

87 Item pro carceratione ex causa Cõmunis, etiam si fuerint plures, bon̄. vnum pro qualibet die, & pro introitu,& exitu bononenos quatuor.

88 Item pro carceratione plurium insolidum obligati,vt supra in præcedenti Capitulo.

89 Item si supradictus Baroncellus, & alij executores habuerint, & persolui fecerint vltra executiones, & mercedes in omnibus prædictis Capitulis limitatas, teneantur ad illarum restitutionem in duplum,& puniantur in decem libris,& scindicentur vt supra.

90 Item ꝗ nullus de prædictis officialibus,qui sit de aliqua Terra,vel loco propinquo Ciuitati Firmi per quadraginta miliaria, possit esse in dicta Ciuitate, vel Comitatu in aliquo officio, vel seruitio cum aliquo Rectore,vel Protectore dictæ Ciuitatis,nisi in casu necessitatis,in quo non debeat admitti,nisi de consensu Mag.D.Locumtenentis,& MM. DD. Priorum.

91 Item quòd deputetur à Mag.DD.Prioribus Caupo ad dandum expensas carceratis ad euitandum dictorum carceratorum maiores expensas,& custodis carcerum fraudes.

92 Item quòd si plures fuerin[illegible]tores vnius loci eiusdem personæ,& omnia dicta credita appareant manu vnius Notarij,quòd [illegible]ndis literis,seu requisitorialibus transmittẽdis, quatenus debiti venerit,& cessetit dies, & creditores voluerint eorum debitores eodem tempore requiri vnica requisitoriali,& non in pluribus pro minori debitoris dispendio apponatur.

93 Itẽ si in prædictis omnibus Capitulis aliquod dubiũ accideret,stetur, & stari debeat iudicio, & arbitrio, ac declarationi M.D.Locumtenen̄. ac MM.DD.Priorũ Ciuitatis Firmi pro tẽpore existen̄.

94 Item ꝗ contenta in præcedenti Tabula debeant obseruari, sub pœna, quo ad Mag.D.Locumtenentem ducatorum decem vltra duplum,ac etiam quo ad D.Auditorem,quo ad Cancellarium seruetur Bulla Sanctissimi: quo verò ad cæteros officiales,vltra pœnas dupli arbitrio Mag.D. Locumtenentis pro tempore iuxta qualitatem casuum,& temporum,vel Scindicorum tempore scindicatus applican̄. Cameræ Illustriss.D.Gubernatoris.

Visa per me Io: Mariam Brugnolum Locumtenentem Illustriss. & Excell. D. Iacobi Boncompagni Gubernatoris. Et per me Pomponium Morsum, Stephanum Sansonium, Belisarium Azolinum, ac Hieronymum Victorium deputatos &c.

Nos Iacobus Boncompagnus Gubernator Ciuitatis Firmi præmissam Taxationem inuiolabiliter obseruandam confirmamus.

Iacobus Boncomp. Gub.

IN

IN DEI NOMINE. AMEN.

Magnificus, & Excellens D.Io.Maria Brugnolus Papienſis in Gubernio Firmano Locumtenēs Generalis exiſtēs in ſua Camera &c. decreuit,& ordinauit,quòd Baroncellus,& Executores pro tempore exiſteñ. in Gubernio Firmano teneantur, & obligati ſint in executionibus tam ciuilibus,quàm criminalibus facieñ.habere penès ſe,& oſtendere cōdemnatis, & debitoribus cauſam ob quam contra eos exequatur, & an ſit pro cauſa ciuili,vel criminali, & an pro pœna pecuniaria,vel corporis afflictiua,& ob quam quantitatē,& ad cuius inſtantiam, ſub pœna vnius ſcuti pro quolibet, & qualibet vice applicañ.arbitrio MM. DD. Locumtenentium pro tempore in Gubernio exiſteñ. & hoc iuſtis de cauſis moueñ.animum ſuum,& præſertim vt omnes ſciant,& ſcientiam habeant de mercede,& executione per eos dictis Baroncello,& executoribus ſolueñ. necnon ad tollendas cauſas extorſionum,& fraudum &c. omni meliori modo &c. Firmi die vij. Ianuarij 1578.

Brugnolus Locumt.

Iulius Cæſar Megan.Cancell.rog.

RESCRIPTVM ILLVSTRISS.MI ET EXCELL.MI

D. IACOBI MARCHIONIS BONCOMPAGNI,

Mag. Ciuitatis Firmanæ Gubernatoris perpetui.

Nuperrime per Mag.Ciuitatem præfatam obtentum ſuper nonnullis cauſis per Curiam D. Capitanei Ciuitatis, & Vicarios Caſtrorum Comitatus eiuſdem duntaxat reſpectiuè cognoſcendis.

Confirmatum per Breue S. D. N. Sixti V. ſub Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris die x. Februarij 1586. poſitum ſupra in principio ſtatutorum ante paginam primam immediatè.



Vm ad benè,beateq; viuendum quibuſcunque populis inter alia neceſſaria ſit Legum inſtitutio,atq; eorum obſeruantia,necnon bonum,iuſtumq; Præſidem deceat ſubditos,ſeu iuriſdictionarios ſuos,quantum poſſit,ab inſolitis grauaminibus reddere illæſos: Iccirco Vniuerſitas,& homines Ciuitatis, & ſtatus Firmani, cupida, ac ſolita ſub legibus viuere, & vt ſimiliter ſub eis alij viuant mirum in modum deſiderās, degens in præſentiarū ſub regimine Excellentiæ veſtræ peroptat,vt infraſcripta Capitula,& quodlibet eorū in vim perpetui decreti, & legis à quibuſcunque,ad quos ſpectauerint,ad vnguem,& in omnibus,& per omnia obſeruentur, & omnimodo exequantur,ſub pœnis arbitrio eiuſdem V.Excell.vel eius in Gubernio ſucceſſoris pro tempore imponendis,ea,& quodlibet petendo confirmari,& quatenus opus ſit,ea,ipſorumq; quodlibet per eam inſtitui,ſeruarique inuiolabiliter,vt præmittitur,mandari.

In primis,cùm per Mag. Commune Firmi fuerint Vniuerſitatibus eius Caſtrorum, ſeu illorū Officialibus conceſſæ quædam maleficiorum,& cauſarū cognitiones,prout in eorum Capitulis cōtinetur, deceatq; præmiſſa ſeruari,ad tollendū,ne quis de eodē delicto b[illegible]atur,vel aliter in caſſationibus, aut perſonarū defatigationibus grauetur,cùm Cancellarius Cri[illegible] pro tempore habeat,vel habere debeat in Cancellaria cuiuſq; Caſtrorū præfatorum Capitulor[illegible]piā ſeu Tranſumptum, cùm ad eius officiū ſpectet nō proceſſare per ipſum nō proceſſandos,ꝙ in caſibus,quorū cognitio ſpectat duntaxat ad dicta Caſtra,nullo modo fiat inquiſitio;& ſi fiat,caſſetur,vel remittatur gratis abſq; alia mercede,ſub pęna cōtrafacienti arbitrio Gub.ſeu Locumteneñ.pro tempore,ſeu Scindicatorū imponeñ.

Item quælibet cauſa ciuilis,cuiuſcunq; valoris extiterit,in prima inſtantia cognoſcatur, & per diffinitiuam ſententiam decidatur à Vicarijs Caſtrorum dictæ Mag.Commonitatis, & in illis Mag.D.Locumtenens,vel alij Iudices dictæ Ciuitatis in præſentiarum exiſtentes,quiq; pro tempore erunt,nullo modo ſe ingerant,nec tales cauſas ad ſe aduocare valeant,immo ſi coram eis aliquis fuerit citatus,tales ſic citatos, eorumq; cauſas ad ſuos Ordinarios remittere debeant, & talis actor ſuum debitorem, ſicut præmittitur,contra formam præſentis Capituli citari faciens, pœna decem ſcutorum pro qualibet vice,Cameræ Excell. V. applicandorum,plectatur.

Et quoniā pauperes ſtatus prædicti quotidie grauiſſimis vexantur incōmodis,& diſpendijs,ſumpta occaſione ſpreti præcepti,nam coram dictis Vicarijs citati ad inſtantiā propriorum creditorū conſueuerunt præceptum facere de ſolueñ.debitū petitū infra tantum tempus, ſub tali pœna, vel de non diſcedendo de palatio,quin prius creditori ſuo ſatiſfaciat: & ſi tempore ſtatuto talis debitor nō ſoluat, vel creditore non ſatiſfacto de Palatio diſcedat, Vicarij Curiæ Maiori tales, vt præmittitur,præceptū

spernentes denunciare coguntur, quibus postea processus formatur, in graue damnū pauperū, dictorumq; Vicariorū, & absq; eo, q Camera aliquid lucretur, cū per abolitionē tales processus cassentur: Cùmq; prædicta omnia sint cōtra formā statutorū Ciuitatis antedictæ, idcirco vt indemnitati creditorū consulatur, ne pauperes debitores pro tam leui causa grauissimis incōmodis, & dispendijs vexentur, atq; quotidie ad Ciuitatē accedere cogantur, in graue eorū damnū, neq; Vicarij proprijs priuentur emolumentis, immo eis allecti ad talia officia exercenda viri probi, doctiq; inueniantur, petitur, vt per Excell. S. Vicarijs antedictis facultas cōcedatur causas spernētiū eorū præceptū in causis ciuilibus à x. scutis infra cognoscēdi, sineq; debito terminādi, absq; eo, q alicui Curię dictę Ciuitatis in notitiā deducere teneātur, dictasq; pœnas in totū, vel in partē, prout ipsis libuerit, gratiosè remittere valeāt.

Item Vicarij Castrorū prædictorū nō teneātur, nec debeāt Curiæ Maiori dictę Ciuitatis notificare rixas mulierū, impuberū, & verba iniuriosa, sed tales causas ipsi cognoscere possint, & debeāt easdē sine debito terminare, dūmodo verba iniuriosa in virū graduatū, & in aliqua dignitate cōstitutū, vel in nobiliores Castrorū nō sint prolata: quo casu Curiæ antedictæ notificare debeāt, & in eis nullo modo se intromittere possint, sub pœna arbitrio D. Locumteñ. pro tempore Vicarijs cōtrafacieñ. imponeñ.

Item Curiæ Magnifici D. Locumtenentis nullo modo, vel sub quouis quæsito colore, nec etiā prætextu bannimentorum dictæ Curiæ se ingerat in cognitione causarum Damnorum datorum, turbatiuarum, occupationum viarum, pontium, fontium, bonorum communalium, spreti præcepti, necationis animalium, aliorumq; ad officium D. Capitanei spectantium, & in statutis dictæ Ciuitatis contētorum, sed illarum cognitionem dicto D. Capitaneo, & Vicarijs, quibus per capitula, & pacta est concessum, relinquat, vt moris est, idq; eo magis, cùm tales causæ, earum cognitiones, & pœnæ per dictam Mag. Communitatem emptæ fuerint à Reuerenda Camera.

Item à sententia D. Capitanei lata in casibus extraordinariorum, & in alijs in supra proximo pręcedenti capitulo contentis non possit ab aliquo appellari, reclamari, recurri, vel de nullitate dici, sed debeat eius sententia exequutioni demandari, non obstante aliqua inhibitione D. Iudicis ad quē, casu quo appellatum esset. Et nihilominus talis Index ad petitionem supradictorum inhibitionē moderare teneatur, eiusq; sententia in causis antedictis lata valeat, & teneat, & contra eum de nullitate dici nō possit, etiam si ordo iuris seruatus non sit, dummodo vnica citatio interuenerit: possit tamen per viam recursus porrigere preces in Mag. Cernita, siue speciali Concilio, & eius grauamen adducere, à qua Cernita, siue Concilio prouideatur, pront melius de iure videbitur expedire.

Item quia licet ex forma Constitutionū Prouincialiū, & Tabulæ Firmanæ per Excell. V. nuper confirmatæ caueatur exprefsè, q Execntores Curię Baroncelli habentes mandata executiua ad creditorū instantiā contra eorum debitores teneātur effectualē executionē facere contra dictos debitores, adeo q ex eis dicti creditores sua credita consequantur, aliàs ipsi executores non possint, nec valeant mercedem vllā pro dictis executoribus consequi, tamen Executores Baroncelli Firmani hoc nō obseruant, sed pro se tantū, seu pro mercede sua à dictis debitoribus pignora recipiūt, supplicatur eidē Excell. V. vt mandet exprefsè dictas Con[illegible]nes, & Tabulam in hoc seruari, sub pœna quadrupli dictis executoribus cōtrafacientibus i[illegible]da, & scutorum x. pro qualibet vice D. Locumtenenti imponeñ. quoties requisitus non fecerit [illegible] obseruari, Cameræ eiusdem Excell. V. applicañ. ad quas pœnas soluendas possint tam D. Locumtenens, quàm dicti Officiales, & Baroncellus pro eis in scindicatibus per Scindicatores compelli: qui Scindicatores si id facere neglexerint, incurrant easdem pœnas.

Nos Iacobus Boncompagnus Gubernator Ciuitatis Firmi suprascripta Capitula confirmamus omni meliori modo &c.

Iacobus Boncomp. Gub.

Die Mercurij 2. Aprilis. 1578. Instante D. Peregrino Dominici Mag. Communitatis Firmanæ Procuratore.

Mag. ac Excell. D. Dionysius Ratta Bononiensis I. V. Doct. pro Illust. & Excell. D. Iacobo Boncompagno Mag. Ciuitatis Firmanæ, eiusq; Comitatus Gubernatore perpetuo Locumtenens Generalis existens in Palatio suæ solitæ residentiæ, suprascripta Capitula auiento Rescripto præfati Illustriss. & Excellentiss. Domini, admodum reuerenter recepit, & admisit, & inuiolabiliter obseruari per quoscumque, præsertim per Cancellarium Criminalem, ac Barancellum, eorumq; Officiales, quibus propterea illa intimari, & in Libris Cancellariæ Criminalis registrari, & registrata suprascripto instanti restitui mandauit, sub pœnis in eisdem Capitulis contentis, & alijs arbitrio Dominationis suæ, & successorum infligendis, omni meliori modo &c.

Acta fuerunt præmissa omnia in Sala Audientiæ præfati D. Locumtenentis, præsentibus ibidem DD. Iulio Latino, & Vincentio Cimino, Aduocato, & Procuratore Firmanis respectiuè testibus.

Die Veneris iiij. eiusdem Mensis.

Prædicta omnia fuerunt per me Notarium publicum infrascriptū intimata D. Iulio Cæsari Meganino Forosemproniensi Cancellario Criminali, & Cap. Latino Cambio de Monte S. Martini, personaliter apprehensis, & de eis dimissa copia.

Ego Hieronymus Maier de Firmo Notarius.

Die Sabbati sexta Iunij. 1579.

MAgnifice Domine. Comparet personaliter in iudicio Dominus Theodorus Adamus, & in termino citationis factæ de Baroncello Magnificæ Ciuitatis Firmi,& in eius contumacia non comparentis,& in præsentia Gregorij eius Cancellarij dixit,& exposuit per dictum Baroncellum,& per eius Locumtenentem, & ipsorum Biruarios, & Executores quotidie committi multas extorsiones,& executiones fieri tam in Ciuitate, quàm in statu,faciendo pignora, & executiones contra Patres pro condemnationibus filiorum familias, qui reperiuntur condemnati in Curia Dominationis vestræ Magnificæ in pœnam Bannimentorum, & cum prædicta sint contra formam iuris in graue damnum prædictorum Patrum, & præsertim cuiusdam Aocilei de Francauilla,& Morifiooi de Monte Appooo,Rutilij de Monte Guidono,Ioannis Simonis de Mõte Leono,contra quos, & ipsorum quemlibet varias executiones fecerunt, & pro ipsorum mercede certam quantitatem denariorum pro condemnationibus filiorum ipsorum extorserunt; Quare tanquàm Syndicus Ciuitatis, & status petit, & instat per Dominationem Vestram Magnificam super præmissis prouideri de remedio opportuno &c.omni meliori modo &c.

Præsente dicto Gregorio Cancellario,& in absentia Baroncelli eius nomine, tam etiam pro eo respondente, & contradicente,dicenteque præfata sibi de iure facere posse competere &c.

Magnificus Dominus Locumtenens sedens &c.prædicta admisit si,& in quantum, & mandauit executiones factas restitui, & in futurum Patres nullo modo pro condemnationibus filiorum molestari debere,dummodo dicti filij non sint condemnati in pœnam capitis,& confiscationis bonorum &c. omni meliori modo &c.

Præsente dicto Domiño Theodoro Syndico, & acceptante, & gratias referen[illegible] de administrata Iustitia &c. omni meliori modo &c.

Iordanus Alexandrinus Notarius Curialis Firmanus,actuarius,& rogatus.

GREGORIVS PAPA XIII.



Niuersis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionẽ. Ad tollenda dissidia inter Venerabilem fratrem Episcopum Firman. ac dilectos filios Cõmunitatem, & homines illius Ciuitatis non semel exorta, visum fuit nobis ea, quæ sequuntur, vtriq; parti præscribere, ac iubere; Primum quidem vt taxa mercedum per ipsum Episcopũ nouissimè constituta, quæ de eius cognomine Pinelliana vocatur, quemadmodum nostro iussu correcta,& moderata fuit, ita posthac seruetur. In pœnis maleficiorum in futurum exigendis constituatur Depositarius, à quo illæ exigantur,& postea ex Concilij Tridentini præscripto locis pijs applicentur. In pœnarũ impositione, vbi pœna est certa, Episcopus non vtatur arbitrio, sed obseruet sacros Canones, præsertim constitutionẽ fæl: rec: Alexandri Papæ iij. quæ incipit, licet. In causis fornicationũ, adulteriorũ & similiũ criminum, Episcopus super illis inquirere possit in subditos suos, seruatis tamen sacris Canonibus. Procurator Fisci Curiæ episcopalis, cum extra Ciuitatem,& per diæcesim inquirendi causa equitabit, nihil viatici nomine pro se, aut suis possit exigere, nec liceat Episcopo mittere illum, aut Commissarium, seu alios ad inquirendum generaliter in dicta Diæcesi cum huiusmodi viatici exactione, præterquàm ad petitionẽ partis, quæ tunc expensas soluere debebit. Idem Procurator Fisci nulla ratione participet de pœnis ipsis pecuniarijs. Officiales Episcopi obnoxij sint scindicatui ap[illegible] ipsum tãtum Episcopum,& eius Superiores. In cognitione damnorum datorum seruetur consuetudo, quæ a[illegible]te aduentum ipsius Episcopi seruabatur, & in his casibus Capitaneus appellationis et officiales damnoru[illegible]atorum, ac extrao[illegible]ij Ciuitatis,& Vicarij locorum status eiusdem in bonis clericorum per laycos conductis, seu alio modo possessis procedant, ita vt ipsis clericis per Episcopum, seu eius Officiales inhiberi non possit, nisi [illegible] Episcopus praeuenerit, sed liceat illis querelas damnorum datorum corã eodem Capitaneo, Officialibus [illegible]cibus proponere, & super illis agere. Ratione eorundem damnorum datorum in bonis ecclesiasticis p[illegible]tra solitũ non augeantur, sed exigantur iuxta formam statutorum, & reformationum Ciuitatis, ac [illegible]orum, & Terrarum ipsius diæcesis. In futurum vectigalia, seu gabellæ pro extractione frumenti, aut alterius generis granorum ex Terra Montis viridis ad alium locum dictæ diæcesis ab Episcopo non imponantur, nec vllo modo exigantur. Priores Ciuitatis, quando Episcopum comitabuntur, possint anteire, vel subsequi, prout ipsismet visum fuerit. Episcopus quamprimũ de Tabulario prouideat, in quo dispensationes matrimoniales processus, sentẽtiæ, iuraq. omnia Ciuium & Incolarum dioecesis, ac patrocinantium ad Tribunal ecclesiasticum pertinentia reponantur & diligenter conseruentur. Quocirca Venerabilibus fratribus Anconitan. Maceraten. & Auximan. Episcopis harum auctoritate mandamus, vt ipsi, vel duo, aut vnus eorũ per se, vel alium, seu alios, quæ præsentibus literis à nobis præscripta,& iussa sunt, ab omnibus ad quos spectat,& in futurum spectabit, inuiolatè obseruari curent,& faciant. Contradictores quoslibet,& rebelles cuiuscunq; dignitatis, status, gradus, ordinis,& conditionis fuerint, per censuras,& pœnas ecclesiasticas, aliaquè opportuna iuris,& facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisquè super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam sæpius aggrauando, inuocato quoque ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac Ecclesiæ, & Communitatis Firman. præfa-

tarum

tarum iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & cõsuetudinibus, priuilegys quoque, indultis, & literis apostolicis quocunque modo eis concessis, confirmatis, & innouatis; Quibus omnibus illorum tenores, ac si ad verbũ insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis haben tes ad effectum præmissorũ duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbũ de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris. Die xxix. Decembris. M. D. LXXXV. Pontificatus Nostri Anno Tertiodecimo.

Io: Baptista Canobius.

RESPONSIONES AD CAPITA
NOMINE CIVITATIS FIRMANAE EXPOSITA,
ET REFORMATIONES TAXARVM TRIBVNALIS R. P. D. EPISCOPI FIRMANI.

Capi d'aggrauij preposti dalla Communità di Fermo contra Monsignor Vescouo, con le resolutioni della Illustrissima Congregatione.



E SS. VV. Illustriss. & Reuerendiss. ad alcuni capi d'aggrauij, che hora si fanno nel Vescouato di Fermo cõtra gl huomini della Citta, & sua Diocese, hanno rescritto che s'osserui il solito. Et perche in alcuni capi S.S. Reuerendiss. & la Citta non conuengono nel solito; affirmando lei esser in vn modo, & la Citta in vn altro, per leuare occasione de lite per l'auenire, se desidera che in tutti capi si facciano decreti chiari, & determinationi conforme alla giustitia.

Et quanto al primo capo della Tassa delle mercedi nouamente fatta da S.S. Reuerendiss. & alterata oltre l'antico stile, se dice poiche non si truoua la Tassa solita antica mandata da Ser Giacomo Carello Notaro à quel tempo nel Vescouato à S.S. Reuerendiss. qui in Roma subito che fu promossa al detto Vescouato, si debba in luogo di essa osseruare la Tassa seculare, che se vsa in Corte di S. Eccell. Illustriss. la quale è minore assai de la Pinelliana fatta stampare nuouamente da S.S. Reuerendiss. come si può vedere.

Congregatio censuit Taxam Pinellianã esse reuidẽdam, & corrigendã, prout factũ fuit, & correcta Episcopo tradita fuit.

Al secondo delle pene de' Malefity tanto esatte quanto quelle se esigeranno, essendo che dette pene si faccino fruttare circa scudi duimilia l'anno, pare che fusse cõueneuol cosa, che ò tutte, o la maggior parte si debbano distribuire per l'amor d'Iddio, & applicare a luoghi Pij ad arbitrio di S. S. Reuerendiss. conforme a quel che dispone il sacro Concilio, & non conuertirle ad vso proprio, come s'è fatto fin hora, non aiutando li luoghi pij bisognosi, non restaurando la Chiesa Cathedrale, che tien gran bisogno, & non facendo molte altre opere buone, & necessarie alla Citta, & sua Diocese; & per questo si desidera si facci vn Depositario che distribuischi dette pene à luoghi pij ad arbitrio di S.S. Reuerendiss. & che tenga conto de l'intrata, & de l'esito, che il simile pare fusse ordinato a Monsignor Camaiano [illegible] Vescouo d'Ascoli, che facendosi altrimenti la detta prouisione del Depositario sarebbe vana.

Constituatur Depositarius istarum pœnarum, quæ post[illegible] ad præscriptum Concilij locis pijs applicentur, & Reuerendissimus D. Episcopus mitior sit in futurum in illis exigendis.

Al terzo, che nella compositione delle [illegible] si deue eccedere la pena delle constitutioni, & l'arbitrio di S.S. Reuerendiss. non hà da preualere alla pena certa det[illegible] nelle dette constitutioni, ma solamẽte nelli casi omessi dalle leggi, ne in questo si deue attendere al stile, perche più [illegible] causato dal Superiore, che con l'autorità fa quel che le pare spesse volte, oltre che non consta qual sia il vero stile, & trattandosi del suo commodo non si deue dar fede in questo a S.S. Reuerendiss. ne meno alla Città per la medemma raggione, però osseruandosi la legge scritta, non si fa aggrauio à nissuno.

Vbi est pœna certa, D. Episcopus non vtatur arbitrio, & seruentur sacri Canones, & præsertim cap. licet, extra de pœnis.

Al quarto, che nelli casi de fornicationi, adulterij, & simili, nelli quali parla la constitutione lib. iiij. cap. lxix. si debba osseruare la detta constitutione, & si proceda in detti casi a querela solamente di quelle persone, che dispone, & vuole detta cõstitutione, & non ex officio, & per inquisitionem, come ha fatto S.S. Reuerendiss. per il passato, che oltre li casi de' simplici fornicationi, & de publiche meretrice, & soluti cum soluta ha fatto pagare grosse pene, ma etiam in casi d'adulterio, & stupri con diffamatione de parentadi, de matrimonij, & con morte de huomini, & donne ha proceduto per inquisitione, come di sopra, & la detta constitutione, come vltimo loco fatta, pare si debba osseruare più presto che altra legge anteriore, & l'esperienza anco ce l'insegna, che al tempo di S.S. Reuerendiss. ha causato cattiui effetti, come è detto di sopra.

Potest, & debet Episcopus inquirere super delictis subditorum, cap. I. de off. ord. ideò seruentur Canones.

Al quinto, che il Fiscale caualcando nõ debba farsi pagare alcuna mercede di viatico, come fa hora d'vn scudo il giorno per se, vettura di cauallo, salario di Sbirri, & spese per tutti, in graue pregiuditio delle genti, & spesse volte di quelli che non hanno colpa alcuna, che essendo lui per il Fisco non è giusto sia pagato dal reo, & meno S.S. Reuerendiss. possi mandare il detto Fiscale, o altri per la Diocese ad inquisitionem generalem faciendam, facendosi pagare come di sopra, & al Notario mezo scudo il giorno.

Placet cum Fiscalis, seu Commissarius non sit mittendus expensis Rei, nisi pars petat, quæ expensas debet soluere.

Al sesto, che nelle compositioni il detto Fiscale non debba hauer vigesima, ne portione alcuna dal supplicante, ma dalla Camera, ne piu si facci quel che è cominciato à farsi nelli rescritti: videlicet solutis scutis tot, & concordato Fisco, di che tutto il contrario s'osserua nella Corte secolare di sua Eccellenza Illustrissima.

Fiscalis non participet vlla ratione de pœnis condemnationum.

Al settimo, che gli officiali di Monsig. Vescouo debbano stare à sindicato in fine del loro officio, le SS. VV. Illustriss. & Reuerendiss. hanno rescritto nihil innouari, il che par duro alla Città essendo il sindicato introdotto dalla raggione, et per terrore de gli officiali che volessero commettere estorsioni, et ciascuno deue render cõto de l'administratione sua, & la Citta ne hà Breue da N. S. di poter sindicare li suoi officiali, etiam che fussero Prelati, si dice che stando à sindicato si debbano mandar prima per tutta la Diocese littere patenti in forma intorno al detto sindicato, perche non basta far bandimenti solamente à Fermo la sera per la mattina, come si fa al presente, che essendo la Diocese grande, il sindicato è prima finito, che si sappi pur, che si sia cominciato, & cosi s'osserua nella Corte secolare di sua Eccellenza Illustrissima.

Congregatio nunquam admisit sindicatum officialium Episcopi, vt petitur, sed vult eos quotidie sindicatui obnoxios esse apud Episcopum loci, & Superiores.

All'ottauo, che S. S. Reuerendiss. nõ possi intromettersi nelle cause de' dãni dati, e di straordinarij, turbatiue, occupatione di vie publiche, bruttura di strade, deuastationi de' põti, fonti, & altre cose cõmunali, quãdo occorrono farsi da laici, lauoratori, fittuarij, ò seruitori de' Preti, ò Chiesa, li quali non deuono godere il priuilegio di Prete, ò Chiesa, ma come laici debbano in queste cause esser sottoposti al Giudice ordinario della Città, come nelle altre cause, & ciuili, e criminali, secondo la forma.

Quo ad cognitionem damnorum, seruetur consuetudo, quæ ante aduentum moderni Episcopi seruabatur, si de ea constat, & si in hoc orietur difficultas super consuetudine, Congregatio determinabit.

Et perche S. S. Reuerendiss. hà cominciato introdurre vn nuouo grauamento, che per littere alli Vicarij Foranei oltre le pene statutarie augumenta le pene di danni dati contro li laici che facessero danno nelli beni di Chiese, ò Preti, che pascolando vna pecora per le stoppie gli fa pagare vno scudo per pecora, che secondo il statuto la pena è solamente d'vn soldo, applicando vna parte di detta pena à se medesma, & quel che è peggio contro dannificanti manda precetti ad informandum, & se ne formano processi, & per vn danno dato da più persone manda più precetti per formar più processi, come si puol mostrare, ingrassando la Cancellaria, & in caso di turbatione manda caualcate, talmente che è più la spesa, che la pena, & è più la pena che la pecora, & per tanto si supplica le SS. VV. Illustriss. & Reuerendiss. si degnino prohibire tal cosa.

Ratione damnorum, quæ Ecclesiasticis bonis inferuntur, non augeantur pœnæ solitæ.

Al decimo, che S. S. Reuerendiss. non debba far pagare la nuoua gabella d'vn grosso per soma di grano, ò altre biade che si cauano dal territorio di Monte Vecchio sua giurisditione in pregiuditio de gli huomini che possedono in detta giurisditione, & contra la Bolla in Cœna Domini, che prohibisce nuoue gabelle, atteso che non sia stato solito pagarsi per il passato, come consta per fede di molti, & è contro la raggione non cauandosi fuori della Diocese di S. S. Reuerendiss. ma da luogo à luogo per la sua giurisditione, & da padroni delle possessioni, nelle quali sono raccolti detti grani, biade, & altri frutti.

Posthac nulla gabella exigatur occasione præfata, prout etiam Sanctissimus Dominus Noster mandauit.

All'vndecimo, che le SS. VV. Illustriss. & Reuerendiss. si degnino dechiarare, che quando il Magistrato accompagna S. S. Reuerendiss. l'habbi à mettere in mezo della prima schiera, reuocando ogni altro ordine in cõtrario, essendo cosi mente di N. S.

Seruetur quod Sanctissimus Dominus Noster statuit.

Al duodecimo, & perche S. S. Reuerendiss. hà fatto buttar confusamente tutte le scritture della Cancellaria del Vescouato sopra vna soffitta doue non ce si può andare per la bassezza del tetto in preda della poluere, & sorci, & cosi tra poco tempo si cõsumeranno tutte, & si perderanno dispense, finenidenti, processi, sententie, Iuspatronati, & ogni altra cosa che vi era, in pregiuditio della Città, & Diocese tutta, si supplica le SS. VV. Illustriss. & Reuerendiss. si degnino ordinare che S. S. Reuerendiss. le debba far leuare tutte, & subbito accomodarle con buono ordine come si deue in vna stanza del Vescouato, che non vene manca, & si spenda delle pene di maleficij tutto quello sarà bisogno in vn'opra di tanta importanza.

Prouideat Reuerendiss. D. Episcopus de armario, in quo diligenter asseruentur scripturæ, & hoc quàmprimum fiat.

Al terzodecimo in oltre si desidera, che le cause si espediscano per giustitia, facendosene instanza da Procuratori, & Aduocati di carcerati, & non si violenti veruno come si fa, con allungare le speditioni, che tedio affecti in carceribus non venghino forzati a supplicare, ò per dir meglio à quella espeditione nuoua, & insolita per decreto si dice solutis scutis tot absoluimus, & liberamus.

Causæ expediantur via iuris, & non per compositionem, prout iuris fuerit.

TAXA CRIMINALIS CVRIAE EPISCOPALIS FIRMANAE,

Facta in Congregatione Die vigesimanona Nouembris. 1582.

1 PRo visitatione alicuius offensi in Ciuitate nihil capiatur, quia ex officio fieri debet.

2 Pro visitatione simili extra Ciuitatẽ faciendam de mandato Vicarij nihil, ratione supradicta.

3 Pro teste informatiuo Curiæ nihil omnino recipiatur, sed si de mãdato Vicarij ex aliqua causa erit coactus præstare cautionẽ, soluat prout quãdo cautio præstatur, & infra erit expressum. bol. 2

4 Pro comparitione alicuius Rei respondentis querelæ, & pro fideiussione. bol. 4

5 Pro præcepto ad personaliter comparendum contra principales delinquentes. bol.

6 Pro citatione ad respondendum inquisitioni, nihil. bol.

7 Pro literis requisitorialibus. bol. 5

8 Pro mandato de capiendo, nihil, si hoc fiat ex officio, sed si ad instantiã partis querelantis. bol. 5

9 Pro quolibet constituto cum suo examine de quolibet reo carcerato, qui voluerit habere copiam processus, nihil soluatur, quia soluitur in copia, nisi pro ostensione quãdo pars noluerit copiam, & tunc soluantur bol. 3

Demptis pauperibus, quorum Procuratoribus ostendatur gratis.

10 Sed si plura facta fuerint constituta, per quatuor tantum suprascriptam mercedem Notarius habere possit, quoad ostensionem tantum, exceptis pauperibus.

11 Si verò copiam processus voluerit extrahere, soluatur vt infra; sed nemo cogatur ad recipiendum dictam copiam.

12 Quando autem leuatur processus, soluatur sicut pro copijs, vt in numero sequenti.

13 Et pro copijs processuum pro quolibet folio in duabus paginis habente 40. lineas bol. 2

14 Pro constitutione Procuratoris in causa, electione loci, & quolibet alio actu in causa occurrente, præterquàm in expressis. bol. 2

15 Pro examine cuiuslibet testis ad defensam cum interrogatorijs Curiæ. bol. 6

16 Pro repetitione eiusdem testis cum interrogatorijs, si ex officio nihil soluatur, sed si ad instantiam partis bol. 3

17 Et plus, & minus, attenta longitudine laboris, & interrogatoriorum, prout Reuerendo Domino Vicario visum fuerit, dummodo non excedat bol. 6

18 Pro quolibet sequestro cum relatione bol. 5

19 Pro publicatione dictorũ testiũ, si id fiat pro Fisco nihil soluatur, sed si ad instãtiã partis bol. 3

20 Pro qualibet renuntia, idest defensione bol. 2

Sicut soluitur pro alio actu iudiciali, seu petitione, protestatione, vel comparitione, vt infra numero 22. & 23.

21 Pro qualibet relatione obstetricis, & Medici, Chirurghi, Phisici, vel alicuius periti, sed ad instantiam Fisci nihil omnino, sed si ad instantiam partis bol. 2

22 Pro productione alicuius scripturæ bol. 1

23 Pro quolibet actu cum decreto Iudicis, vel sine in causa faciente bol. 2

24 Pro qualibet fideiussione cum conseruatione indemnitatis. bol. 5

25 Pro citatione ad sententiam, si ad instantiam Fisci nihil, si ad instantiam partis bol. 5

26 Pro intimatione sententiæ condemnatoriæ. bol. 5

27 Pro decreto relaxationis, seu liberationis alicuius rei carcerati absq; aliquo mandato, quod non est necessarium. bol. 5

28 Pro expeditione, & registratione alicuius supplicationis cum decreto Iudicis. bol. 2

29 Pro lectura sentenriæ super contrauentione p[illegible]ceptorum, vel absolutione, abolitione, & cassatione eorumdem, ad præscriptum consti[illegible]onum Marchiæ soluatur.

30 Pro lectura senrenti[illegible]olutionis, & lib[illegible]is à querela, inquisitione, & processu cuiusuis delicti, per quod aliqua pœna corporis afflictiua, vel carceris perpetui, aut perpetuæ relegationis, vel remigij veniret impon[illegible] & pro eorundem processuum cassatione vigore eiusdem sententiæ, etiam in totum solua[illegible]t statuitur in dictis constitutionibus Marchiæ.

31 Si autem eorundem proc[illegible] cassatio vigore supplicationis, vel decreti ex aliqua causa fieri contigerit, soluatur bol. 24

32 Pro lectura sentẽtiæ absolutionis, & liberationis ab accusatione, querela, inquisitione, & processu, per quam veniret pœna pecuniaria, vel carceris ad tempus, vel bandi imponenda. bol. 20

Et pro eorundem processuum cassatione vigore eiusdem sententiæ facienda. bol. 20

33 Et si eorundem proximè [illegible]orum processuum cassatio vigore supplicationis, vel decreti fieri contigerit. bol. 24

34 Pro lectura verò sniẽ de querela, inquisitione, & processu in casibus, & causis leuioribus. bol. 10

Et si eorundem processuum cassatio eiusdem sententiæ vigore erit facienda. bol. 10

35 Si verò vltimo dictorũ processuũ cassatio vigore supplicationis, vel decreti facta fuerit. bol. 10

36 Si autem vnica sententia, vel decreto plures expediri contigerit, inter omnes iuxta qualitatem, & distinctionem supradictarum causarum duplicata tantum taxa soluatur.

37 Pro lectura verò sententiæ partim absolutoriæ, & partim condemnatoriæ soluatur vt superius in singulis casibus respectiuè est expressum.

38 Et pro cassatione eorundem processuum vigore dictæ sententiæ facienda, soluatur ad rationem

supe-

superius in singulis casibus expressam.

Et ita etiam intelligatur,ac seruari debeat, si cassatio eorundem processuum vigore supplicationis, vel decreti fuerit facienda.

39 Pro copia sententiæ subscriptæ manu Notarij in publica forma. bol. 12
40 Pro copia verò simplici,& sine subscriptione Notarij. bol. 3
41 Pro fide simplici,& cum subscriptione Notarij. bol. 5
42 Pro quocunque instrumento sententiæ publico,& authentico cum fide legalitatis. bol. 17
43 Pro subscriptione,& publicatione processus. bol. 12
44 Pro instrumento pacis in totum. bol. 4
45 Pro instrumento obligationis compositionis pro Camera. bol. 4
46 Pro inuentatio conficiendo in Ciuitate,eiusq; territorio in casibus in quibus fieri debet,si hoc ex officio ad instantiam Fisci nihil,sed si ad instantiam partis bol. 20
47 Pro inuentatio conficiendo in Diœcesi de mandato Iudicis in ca[illegible]bus in quibus fieri debet vltra viaticum,& expensas taxandas. flo. 1

Et quando illud fit ad instantiam Fisci,nihil.

48 Pro mercede Notarij transmissi ad fabricationem processus extra Ciuitatem pro qualibet causa criminali,si ille transmittitur ex officio, & ad requisitionem, & ad instantiam Fisci,nihil soluatur, sed eat expensis ipsius Fisci: si autem ad instantiam partis querelantis,vltra vecturam equi, & expensas pro ipso,& equo faciendas pro qualibet die soluat flo. 1
49 Et si contra plures fuerit transmissus ad eundem locum,idem,sed nihil erit accipiendum à reis.
50 Caueat tamen R. D. Vicarius,ne exceptis casibus leuibus mittat Notarios ad fabricandũ processum, sed eat ipsemet, vel mittat Commissarium cum Notario expensis eorum,qui instantiam faciunt,aut Fisci,aut partis.

Reformatio Taxæ Pinellianæ pro Baricello, Birruarijs,carcerum custode, ac Bayuliuis Curiæ Episcopalis Firmanæ,tam in criminalibus, quàm ciuilibus causis facta ab Illustriss. & Reuerendiss. S.R.E. Card. super consultationibus Episcoporum deputatis die ix. Maij 1581.

1 BAricellus habeat eum numerũ birruariorũ,quẽ D.Episcopus expedire pro tẽpore iudicauerit, & vnũ Bayuliuũ,& equũ pro eius persona,proq; mercede mẽstrua idẽ D. Episcopus assignet singulis birruarijs florenũ vnũ, & duplum Baricello, vt eorum officium fidelius exequi valeant.
2 Vnus ex dictis birruarijs arbitrio Vicarij Generalis custodiat carceres, ac eorũ curã fideliter gerat.
3 Baricellus antequàm ad officium suum exercendum ingrediatur,in manibus eiusdem Vicarij iuramentum præstet de bene,fideliterque offici[illegible] exercendo.
4 Præterea idoneam cautionem præstet,tam pro se ip[illegible] quàm eius familia de non excedendo taxam inferius annotatam; & de stando scindicatui [illegible] officij coram S[illegible]atoribus ab Episcopo, siue eius Vicario deputandis.

In omnibus igitur,& singulis casibus,tam mere criminalibus [illegible] mixtis infrascripta taxa, vt sequitur obseruetur.

IN CRIMINALIBVS C[illegible]VSIS.

5 BAricellus pro captura cuiuslibet Rei in causis criminalibus de mandato Iudicis facta in Ciuitate,vel eius Suburbijs capiat in totum iulios tres.
6 Extra Ciuitatem verò in quibuscunque locis Diœcesis per milliaria quinque,iulios quinque.
7 Vltra autem milliaria quinq; pro mercede,& expẽsis,tam prop[illegible] birruariorum,& victura equi qualibet die,qua probabiliter arbitrio Vicarij pro dicta captura eũ abesse cõtigerit, iulios decẽ.
8 Et si plures capi contigerit,vltra summam dictorũ iuliorum decem ab omnibus simul pro rata soluendam,non vltra iulios quinque à singulis eorum pro captura Baricellus exigat.
9 Pro aliquo autem in fragranti crimine reperto, & ex mœro officio capto nihil exigat, nisi pro captura,iuxta supradictas taxas.
10 Quando verò Baricellus exit pro aliqua captura, non possit secum ducere nisi numerum birruariorum per Vicarium statuendum.
11 Mandantes insuper, ne aliquem sine Iudicis mãdato, nisi in fragranti crimine repertũ capere possint,neque à captis pro capturis huiusmodi ex mœro eorum officio, & absque Iudicis mandato

factis in Ciuitate, siue in Diœcesi aliquid, nisi ab illis, qui verè culpabiles reperti fuerint, recipere valeant; quòd si eos absolui contigerit, nihil prorsus habeant.

12 Baricellus pro captura cuiuslibet Rei de mandato Vicarij facta, vel ex mœro officio, quando delinquens in fragranti crimine inuenitur, siue in Ciuitate, siue in Diœcesi, qui etiam quòd culpabilis sit repertus, tamen ex leuitate delicti, siue ex alia iuxta causa animum Vicarij mouente veniat gratiandus, & relaxandus, tam ipse Baricellus, quàm eius executores nihil omnino possint recipere, vel id solum quod Vicarius arbitratus fuerit.

13 Baricellus, si de mandato Curiæ ad aliquem locum Diœcesis equitare contigerit pro conducendo ad carceres episcopales aliquem iam retentum, habeat iulios decem, & aliàs vt supra cap. 6.

14 Baricellus pro captura alicuius testis pro informatione Curiæ nihil prorsus recipere valeat, nisi captus aliquo modo huiusmodi delicti reus repertus fuerit, & tunc seruetur taxa supra expressa.

15 Pro retentione, & carceratione spontè comparentis nihil recipiatur præter expensas victus, si illę subministrantur.

Pro carceratione verò reperti in Palatio non vltra bononenos sex.

16 Pro executionibus autem realibus contra condemnatos in contumaciam pro omni, & quacunq; sua, & birruariorum mercede capiat Baricellus bon. vnum pro singulis libris eius summę, quæ locis pijs, iuxta decretum sacri Concilij Tridentini, re ipsa fuerit applicata, seu Depositario pœnarum fuerit persoluta, dummodo eius merces in totum iulios viginti non excedat.

17 Si autem executionem minimè fecerit, vel pro aliqua parte tantum, tunc, vel nihil recipiat, vel pro ea parte sola, pro qua verè executio facta fuerit.

18 Si contingat in casu à iure permisso Baricellũ, aut birruarios pro conficiendo inuẽtario cũ Fisco, seu Notario Curiæ episcopalis accedere in Ciuitate, vel eius Suburbijs, habeat iulium vnum.

19 Extra verò Ciuitatem, & Suburbia, in quibuscunque locis Diœcesis infra milliaria quinque, iulios tres.

20 Vltra autem milliaria quinque pro mercede, & expensis, tam ipsius Baricelli, quàm birruariorum, & victura equi si opus fuerit, pro qualibet die, qua probabiliter arbitrio Vicarij eos pro huiusmodi inuentario conficiendo abesse necesse fuerit, iulios octo.

21 Declarantes, quòd tam Baricellus, quàm eius birruarij pro huiusmodi inuentario non possint accedere, nisi de mandato expresso Vicarij, cum eorum præsentia fuerit necessaria, & tunc vel ipse Baricellus solus eat, vel cum eo numero birruariorum, vel birruarij absque ipso Baricello accedant, prout illis ab eodem Vicario fuerit ordinatum.

22 Volumus autem, vt Baricellus, & birruarij teneantur de quibuscunq; bonis mobilibus, seu se mouentibus in executione captis, fidem, quietantias, seu, vt vocant, receputas, etiam irrequisiti facere duplicatas vulgari sermone, & vnam ex eis tradere parti, in cuius bonis executio facta fuerit, alterã verò promotori Curiæ episcopalis, non vt de quibuscunq; pecunijs, vel alijs rebus pro eorum mercede receptis, vel ipsis præsentibus, vel alijs eorum nomine soluentibus quietantias partibus ita petentibus firmatas facere teneantur. Prædictis verò quietantijs credatur, faciantq; contra scribentem plenam probationem.

IN CAVSIS CIVILIBVS.

23 PRo executione ciuili, etiam si sit infra vnum florenum, capiat Baricellus bononenum vnũ pro singulis florenis, dummodo pro qualibet executione ad quamcunq; summã ascendente, cuiuscunque sit quantitatis, & importantiæ, vltra vnum florenum exigere non possit.

24 Declarantes, & mandantes supradictam mercedem recipi posse quando cum effectu executio in totum, vel in parte factã sit, & si pro parte facta fuerit, pro ea tantum habeat mercedẽ, ita vt pro vna vera, & cum effectu facta executione vnicam tantum habeat mercedem; & si forte executio non fiat, nihil omnino accipi possit.

25 Pro executione alicuius brachij secularis à Romana Curia emanati nihil exigatur vltra id quod exigitur in executione authoritate ordinaria facienda, prout supra in cap. 23.

26 Pro arresto alicuius carcerati pro debito ciuili nihil accipiatur.

27 Pro captura vigore mandati suspitionis fugæ illud accipi possit, quod in alijs executionibus iam supra est statutum.

DE CVSTODE CARCERVM.

28 CVstos carcerum à singulis carceratis pro ingressu non vltra duos bononenos accipere possit, & totidem pro exitu.
29 Pro tempore autẽ quo fuerint carcerati in singulos dies nõ exigat vltra boñ. vnũ à quolibet eorũ.
30 Quod seruetur tam in causis criminalibus, quàm ciuilibus, & alijs quibuscunque.

DE BAYVLIVIS.

31 BAyuliuus pro quarumcunq; literarum præsentatione à Curia episcopali emanatarum cuiuis personæ facienda recipere possit in Ciuitate boñ. vnum.
32 Pro citatione verò facta oretenus in Ciuitate quatrenos tres.
33 Extra Ciuitatem verò pro quolibet miliario bononenum vnum.
34 Et si contigerit accedere cum aliquo Commissario, Fiscali, aut Curiæ episcopalis Notario, vel etiã cum Baricello, habeat computatis expensis in singulos di[illegible]lios duos cum dimidio.
35 Pro relaxatione autẽ alicuius carcerati siue ex causa crim[illegible] mista, vel spirituali, aut ciuili non fiat aliquod particulare mandatum in scriptis cum impensa, sed sufficiat sententia, vel decretum Iudicis, aut mandatum oretenus factum.
36 Item quòd in quibuscunque executionibus realibus, & personalibus in singulis casibus taxa supe rius præscripta omnino seruetur.
37 Excipimus autẽ ab omnibus, & singulis mercedibus Baricelli, & executorũ personas miserabiles, & ea quæ ex mœro officio pro aliquo interesse publico, vel ptiuato officiũ, & Curiam respiciunt.
38 Et si dubitari contigerit de miserabilitate, & paupertate alicuius, stetur iudicio Vicarij Generalis.
39 Cætera verò non comprehensa, neq; specificata, aut ea quę in dubium qu[illegible]uo modo verti conti gerit circa taxam retroscriptam D. Episcopi, aut eius Vicarij, declarationi sint reseruata.
40 Postremò volumus, vt omnes, & singuli Baricellus, birruarij, custodes, & Bayuliui supradictas taxas inuiolabiliter obseruent, nec quicquam etiã minimum à sponte, aut aliã [illegible]uomodolibet datum accipianr, sub pœna scutorum quinquaginta ipso facto per quemlibet contrafacientem in singulis capitibus, partibus, atq; membris supradictarũ taxarum, ac toties quoties contrauentũ fuerit incurrenda, ac locis, operibusuè pijs arbitrij præfati D. Episcopi, vel eius Vicarij applicañ.

Supradicta omnia cum suis originalibus concordare attestor, & pro fide me subscripsi, sigillumq; meum apposui Ego Cæsar Spetianus Congregationis præfatorum Illustriss. & Reuerendiss. DD. S.R.E. Cardinalium Secretarius.

Locus ✠ Sigilli.

Data fuere D. Theodoro Adamo Oratori [illegible]atis Firmanæ Die xviiij. mensis Maij. 1581.
Pontificatus S. in Christo Patris, & D. N. D. [illegible]gorij Papæ XIII. Pont. sui Anno Nono.

HAuendo gl'Illustriss. & Reuerendiss. Sig. Cardinali della sacra Cõgregatione de[illegible] visite de' Vescoui fatte alcune determinationi, e resolutioni sopra alcune petitioni date per parte d[illegible]tà di Fermo de capo in capo, come n'appa reno scritture autentiche sottoscritte per mano di Monsig. Cesare [illegible] Secretario della detta Cõgregatione col solito sigillo, sotto la data del 29. di Nouẽbre 1580. & sotto la data delli 9. [illegible] 1581. cõsignate à M. Theodoro Adamo Imbasciatore della Città in Roma alli 19. del medemo: Noi Domenico [illegible] per la Dio gratia Vescouo, e Prencipe di Fermo abbracciando le dette resolutioni, & determinationi, ordiniamo siano e[illegible], & o[illegible]te inuiolabilmente. Et per maggior dechiaratione, & specificatione d'alcuni capi ambigui, ò generali, ò per tor ogni occa[illegible]e di noue difficoltà con le presente dechiaramo, dicemo, & ordiniamo:

Sopra il primo capo della Tassa delle mercedi reuista, e corretta dalla sacra Congregatione, ordinamo, che si stampi, si publichi. & se ne mandino copie in ciascuna Terra, & luogo della Diocese, acciò [illegible]uta in notitia sia osseruata, sotto la pena imposta nel cap. 40. incipieñ. Postremo volumus, & altre pene maggiori à no[illegible]rio.

Al secondo delle pene de' malefitij per essecutione di detto rescritto, noi dech[illegible]o Depositario di dette pene le quale poi peruenute in mano sua, s'habbino d'applicare secondo la forma di detto rescritto.

Al quarto nelli casi di fornicationi, adulterij, stupri, & simili, hauẽdo li sudetti Illustriss. rescritto *Seruentur Canones*, n'essendo difforme la Constitutione della Marca lib. 4. cap. 69. & sequeñ. dal Canone del Concilio Trideñ. sess. 24. cap. 8 & sess. 25. cap. 14. dechiaramo, & ordinamo che detta Const. per l'antico osseruata in questo Vescouato sia osseruata Inuiolabilmente per l'auuenire, ne si possino formar processi in casi simili cõtro la forma di detta Const. & facendosi altrimente li processi siano nulli, e si debbano cassare gratis, & il Cancelliere ne possa esser sindicato, sotto la pena dell'arbitrio de' sindicatori.

Al settimo, che gli officiali debbano stare à scindicato in fine del loro officio, dechiaramo, & ordinamo, che li Cãcellieri, & sustituti inanzi che pigliano il loro officio debbano giurare in mano del nostro Vicario de bene, & fedelmente essercitare il loro officio, & medemamente dare idonea segurtà de non eccedere la detta Tassa, & de stare à scindicato in fine del loro officio, come deue ancora stare il Bargello per se, & sua famiglia, secondo la determinatione fatta dalla sacra Congregatione nella riforma della Tassa di esso Bargello, sotto la data delli 9. di Maggio 1581. cap. 3. & 4. del qual scindicato la forma sarà questa, videlicet.

FORMA

FORMA SCINDICATVS.

LI Scindicatori debbano essere il nostro Vicario, & vn Cittadino Dottore da nominarsi dalli Mag.SS.Priori della Città pro tempore.

[illegible] s'intimi per tutta la Diocese per publiche patente il scindicato d'essi officiali, prefigendo il dì che hà da cominciare doppo il ritorno delle dette patent[illegible]

Che detto scindicato duri otto giorni, cioè cinque à dar le querele, & tre à giustificare, e risoluere; quali passati s'intendano detti officiali assoluti quando non vengano condennati altrimenti.

Che della sententia da darsi da detti Scindicatori non sene possa appellare, ne domandar ricorso, & appellandosi, etiam per viam recursus, non s'ammetta se prima effettualmente non paga quanto sarà condennato, nel qual caso quello à fauor del quale sarà dato la sentenza debba fare attual deposito de restituendo in casu succumbentiæ.

All'ottauo hauendo la detta sacra Congregatione rescritto *Seruetur consuetudo, quæ ante aduentum moderni Episco[illegible] seruabatur*, Noi informati di detta consuetudine per testimonij degni di fede [illegible] per li libri di essa Città, ne trouando altro in contrario nelli libri del Vescouato, dechiaramo la detta cósuetudine esser stata, & essere ch'il Cap. dell'appellatione de gl'officiali de' danni-dati, & extraordinariati della Città, & Vicarij del suo stato hanno proceduto, & procedano in simili cause secondo la detta dimanda fatta. Et per osseruanza di detta consuetudine, & di detto rescritto dechiaramo, & ordinamo, che per l'auuenire alli detti Cap. & officiali di danni dat[illegible]traordinariati, & officiali del stato non s'inhibisca, ne se li dia in alcun modo impedimento. Ne si possa vetare à per[illegible]cclesiastiche il poter far' accuse ne' casi simili inanzi alli sudetti Cap. & officiali, & le sia lecito poterle fare senz'altra nostra licenza, la quale per la presente si concede indifferentemente à tutti, si come dispone il Canone Si clericus laycum, extra de foro competeń.

Al nono, che per lettere alli Vicarij Fo[illegible]ci hanno rescritto *Non augeantur pene solitæ*, dechiaramo le pene solite essere le pene solite pagarsi da layci secondo la form[illegible] de' statuti, & reformanze della Città, & Terre, & luoghi della Diocese.

All'vndecimo circa il venire che farà il Magistrato della Citta cón noi per accompagnarci, ordinamo, che si osserui tutto quello che l'Illustriss. Cardinale Maffeo d'ordine di N. S. n'hà scritto per vna sua sotto la data delli 9. di Maggio 1581. il tenor della quale è questo.

Copia de lettere scritte dall Illustriss. Sig. Cardinale Maffeo.

A Monsig. Vescouo di Fermo.

Molto Reueren[illegible] Sig. come [illegible]ello.

NElle resolutioni che furono fatte in questa Congregatione sopra le differenze che erano tra V. S. & la sua Città, & mandate costi vn pez[illegible] fa, ve n'era vna dell'vndecimo Capitolo spettante all'accópagnar del Vescouo che fanno li Priori, & fu detto che si osser[illegible]sse quello che haueua ordinato N. S. Hora l'Imbasciatore della Città ha fatto instanza à S. Beatitudine per hauere in scritto la mente sua in questa materia conforme all'osseruanza che già era introdotta, contra la quale appareua vna lettera della Congregatione del Concilio scritta d'ordine di S. S. auanti l'vltima resolutione fatta in fauor delli Priori. Et essendo parso à N. S. la dimanda giusta, m'hà commesso ch'io scriua à V.S. che non ostante qual si voglia litera in contrario permetti, che li Priori quando vogliono essi venire ad accompagnarla, vadino auanti di lei, ouero di dietro, come più à loro piacerà; perche essendo questo atto voluntario, & di cortesia, non vuole S.S. che se li facci violenza alcuna, & cosi douerà V.S. esseguire, à cui me raccomando con tutto il cuore. Di Roma li 9. di Maggio 1581.

Supradicta copia concordant cum suis originalibus, & pro fide me subscripsi, sigillumq́ meū apposui hodie xxij. May. 1581.

Ita est Cæsar Specia[illegible]us Secretarius.

Locus ✠ Sigilli.

Quanto poi al 3. 5. 6. 10[illegible] Capitoli, & rescri[illegible]detti Illustriss. & Reuerendiss. Sig. Cardinali à ciascuno d'essi dechiaramo, volemo, [illegible] che si osserui ad[illegible]inuiolabilmente, sotto le pene che si contengono in dette resolutioni, & d'altre maggiori à nostro arbitrio.

Ita dicimus, declaramus, statuim[illegible]dinamus, Ego Dominicus Pinellus Episcopus Firmanus.

Datum Firmi sub die xxix. Decembris. [illegible] LXXXI.

Locus ✠ Sigilli.

Aldrouandinus Canettus Secretarius.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S

Omnes sunt Terniones præter R S qui sunt Quaterniones.

Impressum Firmi Apud Sertorium de Montibus. 1589.

IN DEI NOMINE AMEN.

Hæc est copia, Exemplum, siue Transumptum Iurium, & scripturarum factarum occasione Concordia inhita, & secuta inter Illust. Ciuitatem Firmanam ex vna, & Clerum, Personasq; Ecclesiasticas ex alia, de & super Collectis, Damnisdatis, & Caremoniali Tenoris infrascripti, videlicet.

TENOR LITERARVM, videlicet. *A tergo.*

Al molto Illustre, & Reuerendiss. Signor come Fratello Monsignor l'Arciuescouo di Fermo.

Loco ✠ sigilli. Intus verò sequitur, videlicet,

Molto Illustre, & Reuerendissimo Signor come Fratello.



ESSENDOSI trà il Vicario di V. S. l'Ambasciatore, & il Deputato di cotesta Città, & l'Agente d'essa concordato quà in materia delle Collette, Dannidati, & del sedere nella Cathedrale, nella maniera, che potrà veder V. S. dal foglio, che le mando aggiunto alla presente sottoscritto da essi: hò voluto significarlo à lei, affinche per quello, che spetta al canto suo habbia per bene di farlo osseruare inuiolabilmente; poiche il medesimo s'è scritto à Monsig. V. Gouernatore, che faccia in quello, che tocca alla Città, & omissis, sequitur; Che è quanto m'occorre, & Dio N. Sig. la salui. Di Roma, li 24. di Maggio 1614. D. V. S. Come Fratello Affettionatissimo.

Il Cardinal Borghese. *Monsignor Arciuescouo di Fermo.*

COPIA LITERARVM.

Illustrissimi, & Reuerendiss. D. Cardinalis Burghesij direct. Illustriss. & Reuerendiss. Domino Vice Gubernatori. Dat. ex Vrbe Tenoris sequentis. *A tergo.*

All'Illustre, & molto Reu. Sig. come Fratello Il V. Gouernatore di Fermo.

Intus verò.

Illustre, & molto Reuerendo Signor come Fratello.



DAL foglio, che Io mando aggionto à questa à V. S. ella vedrà nella maniera, che si è concordato trà il Vicario Archiepiscopale di Fermo, & l'Ambasciatore della Città, con l'interuento anco del Deputato, & Agente d'essa sopra il negotio delle Collette, Dannidati, e del sedere nella Cathedrale, & farà contenta darne parte al Magistrato, & procurare l'osseruanza puntualmente, conforme al contenuto in esso: poiche il medesimo si è scritto à Monsig. Arciuescouo, che faccia dal canto suo, & omissis alijs, &c. Con che me le raccomando. Di Roma, li 24. di Maggio 1614. *Di V. S. come Fratello*

Il Cardinal Borghese.

TENOR LITERARVM.

Illustriss. & Reuerendiss. D. Cardinalis Burghesij ad Perill. DD. Priores Ciuitatis Firmi. *A tergo.*

Alli molto Magnifici Signori, li Signori di Fermo.

Intus.

Molto Magnifici Signori.



CON l'occasione del ritorno del Conte Paccaroni in cotesta Città, mi è parso significare alle Signorie VV. che il negotio delle Collette, Dannidati, e del sedere nella Cathedrale, si è concordato quà co'l Vicario Archiepiscopale. Il medesimo Paccaroni, e l'Assalti, & Agente di detta Città nella forma, che si contiene nel foglio alligato à questa. E però, che habbino per bene osseruar dal canto loro secondo la Continenza d'essi, acciò che non si sentino nell'auuenire più differeze in materia simile, perche il medesimo si dourà fare dalli Ecclesiastici;

per l'ordine, che se n'è dato di quà, che è quanto mi occorre, Et alle Signorie VV. mi raccomando. Di Roma, li 24. di Maggio 1614.

Al piacer delle Signorie VV.

Il Cardinal Borghese, &c.

COLLETTE. Che à gl'Ecclesiastici non si dia molestia alcuna per le Collette, & Impositioni buttate per il passaro per æs, & libram, per la rata di beni Patrimoniali, & Acquisiti; Anzi per la pretensa Colletta del 1612. gli si restituischino li pegni.

Che gl'Ecclesiastici per li beni Patrimoniali, & Acquisiti per la rata di essi, assieme con gli Laici, siano obligati in futurum concorrere alle Collette per æs, & libram, ò à libra, tutta volta, che saranno imposti dalla Città, & Conseglio canonicamente per pagare il sussidio Triennale, ò altri pesi Camerali, conforme alle Bolle di Sommi Pontefici, che comprendono gli Ecclesiastici. Nè possa da essi ritardarsi il pagamenro sotto qual si voglia pretesto, ò quesito colore. Quanto poi alle Chiese, Religioni secolari, ò Regolari, Monastieri, ò altri luoghi Pij si osseruino le Bolle di Pio Quinto, & d'altri Sommi Pontefici, e le dechiarationi della Congregatione de bono regimine sopra di ciò.

Che da simili Collette, & impositioni siano esenti, & liberi solo gli Ecclesiastici per la rata de beni, per li quali sono ordinati ad Titulum Patrimonij.

DANNIDATI. Che la Cognitione di Dannidati da Lauoratori, ò Guardiani de gli Ecclesiastici, nelli beni de secolari, spetti solo alla Città, & al Giudice da quella dependente.

Che nella Giurisdittione de dannidati spettanti alla Città non siano compresi gli dannidati del l'Arciuescouato, nè meno gli dannidati da Lauoratori, ò Garzoni di essi, ò Famiglia di Monsignor Arciuescouo ne gli beni tanto de Laici, come d'Ecclesiastici.

Che la cognitione di dannidati da Guardiani, Lauoratori, Fittuarij tanto di Secolari, come d'Ecclesiastici, ne gli beni tanto delle Chiese, come di Preti Patrimoniali, ò Acquisiti, & ordinati ad Titulum Patrimonij, sia Mixti fori, (eccettuato però gli beni dell'Arciuescouato, Lauoratori, Garzoni, e Famiglia, come di sopra) cioè, che il Dannificato possa a sua elettione querelare, ò dare accuse in vno delli dua Tribunali, ò dell'Arciuescouato, ò della Città, che più le parerà: In modo, che non possa vno essere impedito sotto qual si voglia pretesto, ò prohibitione di dare simili querele, & accuse in vno di detti dua Tribunali, che più le piacerà, conforme al Breue di Gregorio Decimoterzo.

Che gl'Offitiali del dannodato debbano essere eletti solo dalla Città, & per essa da suoi Gabellieri conforme all'vso de' tempi passati fino al presente, & non da altri. Quali possano liberamente, & senza poter essere inhibiti da Monsig. Arciuescouo, ò suoi Offitiali, ò in altro modo prohibiti, fare denunrie, inuentioni, ò accuse, con le solite guardie, conforme all'vso, senza distintione di luogo, doue sia fatto il danno, ò sia di Laico, ò sia di Chiesa, ò d'Ecclesiastico (eccettuati solo gli beni dell'Arciuescouato) intanto, che le denuntie, accuse, ò inuentioni fatte da altri, fuorche dalli detti Offitiali eletti, come di sopra, siano di nissuna fede, & non gli si debba dare essecutione, Riseruato al Dannificato, e sua Famiglia, e da lui deputati, il potere denuntiare, ò querelare, doue più li piace, conforme al precedente Capitolo.

Che per gli dannidati non possano ritenersi, ò catturarsi le bestie de gl'Ecclesiastici dannificanti, fuorche in caso, che fossero trouati senza custodi, ò non si sapesse il Padrone per venirne in cognitione, mà saputo il Padrone, si debbano restituire subito; Et contrauenendo gl'Offitiali al presente Capitolo, si riserua il castigo, che compete al Tribunale Ecclesiastico.

Che il medesimo si osserui in non catturare, ò ritenere le bestie de Laici dannificanti, secondo la forma, & modo del precedente Capitolo; Et contrauenendo, gl'Offitiali, si riserua il gastigo al Giudice di essi.

Che alle pene de dannidati non siano tenuti gl'animali de gl'Ecclesiastici, nè essi Ecclesiastici Padroni, nè meno de Laici; mà che sia in arbitrio di Monsig. Arciuescouo, ò della Città, ò de gl'Offitiali del dannodato respettiuamente, doue sarà introdotta la causa, rilassare, ò condonare, ò far pagare alli Custodi di essi la pena, ò quella quantità, che parerà à loro, da non eccedersi, che dispone lo Statuto di essa Città.

CEREMONIALE. Che nello sedere alle Prediche, Messe solenni, Vespri, & altre Fontioni Ecclesiastiche, e nell'Incensare respettiuamente sino à nuouo ordine della Sacra Congregatione

de' Riti, si continui nelli medesimi luoghi, e modi soliti, & che nell'Incensare, Incensaro, che sara il Trono, e celebranti, con dua Torriboli, nell'istesso tempo, e dalle medeme persone di pari offitio, e grado s'incensino con vno di essi Monsig. V.Gouernatore pro tempore, & successiuamente il Magistrato, & altri Officiali della Città, & con l'altro Torribolo dall'altra parte Monsig. Vicario, Capitolo, & Clero; & che l'istesso ordine, e modo, e nel medemo tempo, e dalli medemi si osserui, ò che tal volta fosse assente, ò mancasse alcuno di essi Mõsignori, V.Gouernatore, ò Vic. ò amẽdua, &c.

Io Gio. Battista Sauini di Camerino Vicario Generale, &c.
Io Gio. Battista Paccaroni Ambasciatore in Roma, &c.
Io Ottauio Assalti deputato, &c.
Io Antonio Lelij Agente.

IN DEI NOMINE AMEN.

Infrascriptum est sumptum, siue exemplum cuiusdam Decreti facti, & legitimè obtenti in Concilio publico, & generali, Illustris Ciuitatis Firmi habiti, & congregati sub die decimaoctaua Maij Anni millesimi sexcentesimi decimiquarti ad Consultationem Domini Marci Antonij Martelli subsequentis tenoris, videlicet,


HO inteso la Scrittura letta dal nostro Cancelliero in materia de negotij pendenti nella Corte di Roma. Però lodo, che si accetti, senza alterare conforme alla minuta.

Et fuit obtenrum per fabas fauorabiles, & nig. nonagintaocto, non obstantib⁹ vndecim in contrarium repertis.

Quod quidem sumptum, siue exemplum Ego Nicolaus Cinthius de Firmo publicus Apostolica, Imperialiq; authoritatibus Notarius, & ad præsens in Cancellaria, seu Secretaria Illust. DD. Priorum Vice Secretarius ex eiusdem proprio originali existen. in libris publicis Cancellariæ, seu Secretariæ prædictæ extraxi, copiaui, & fideliter sumpsi nil addito, vel diminuto, salua semper, &c. Ideo hic me subscripsi, & publicaui sub anno Domini 1614. Indictione duodecima, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri D. Pauli diuina prouidentia Papæ quinti. Die verò duodecima Iunij, anni predicti.

locus ✠ signi.

IN DEI NOMINE AMEN.

Anno Domini millesimo sexcentesimo decimoquarto, Indictione duodecima, & Die decimanona mensis Maij, Tempore Pontificatus Sanctissimi D. N. D. Pauli diuina prouidentia Papæ Quinti, Anno eius decimo.


COadunato Capitulo Illustrium, & RR. DD. Canonicorum Metropolitanæ Firmanę, & Clero dictæ Ciuitatis de ordine tamen, & commissione Illust. Adm. RR. Dominorum Antonij Pacini Vicarij Generalis, & Antonij Mariæ Sciarræ Præpositi, in quo present es fuerunt infrascripti, videlicet, dd. D. Antonius Pacinus Vicarius, D. Antonius Maria Sciarra Præpositus, D. Antonius Tornabonus Decanus, D. Agapetus Sansonius Primicerius, D. Marcellus Fratadocchius Archipresbiter, D. Rugerius Marianus Canonicus, D. Nicola Angelinus Canonicus, D. Antonius Paccaronus Canonicus, D. Hieronymus Tibaldus Canonicus, D. Sertorius Gratianus Canonicus, D. Claudius Bonioannes Canonicus, Dominus Ioannes Andreas Philomatus Canonicus, D. Colmus Spinuccius Præbendatus, D. Ludouicus Perusinus Præbendatus, D. Gregorius Alegrus Prebendatus, D. Lucas Antonius Nardus Præbendatus, & D. Antonius Tempestinus, D. Alexander Paulucciūs Mansionarius, D. Antonius Francischinus Mansionarius, D. Vincentius Guerrerius, D. Antonius Rampa, D. Constantius Lilius, D. Antonius Arboltinus, D. Annibal Iacoponus, D. Gismundus Coluccius, D. Iulius Pelagallus, D. Melchior Adonulphus, D. Ioan. Baptista Moscionus, D. Mauritius Guideronus, D. Ioannes Baptista Martellus, D. Vincentius Maffius, D. Cæsar Solimeus, D. Ioannes Fœlix Euangelista, D. P. Antonius Iacentinus, D. Iacobus Stabilis, D. Piramus Raynaldus, D. Ioannes Baptista Compianus, D. Ioannes Franciscus Piconus, D. Da-

rius Speranzinus, D. Fœlix Riccius, & D. Federicus Ruffini, D. Flaminius Berduccius, D. Valerius Spinuccius, Dominus Baptista Tacchagninus, D. Maffimilianus Gentilis, D. Conceptus Sauinus. Quibus omnibus fuerunt propofita fuperius defcripta Capitula Tenoris, de quo in eis, incipientibus Collette. Che à gli Ecclefiaftici non fi dia moleftia alcuna, & finienribus: Vicario, ò amendua, &c. Eaque omnia alra, & intelligibili voce per me Notarium perlecta, & deinde pofita ad fuffragia, & obtenta per fabas fauorabiles num. 38. nob obftantibus albis in contrarium, num. 9.

Et ego Iofeph Albinus de Firmo publicus Apoftolica, & Imperiali authoritate Notarius, & ad præfens Illuft. & Reu. Capituli Metropolitanæ Firmanæ Notarius, & Scriba de præmiffis rogatus. Ideo hic me fubfcripfi, publicaui, & fignaui requifitus.

Locus ✠ figni.



CORAM Illuftriffimo, & Reuerendiffimo Domino ALEXANDRO STROZZIO Archiepifcopo, ac Principe Firmano Comparuit perfonaliter D. Vincentius Raccam. Procuraror, &c. & facto exhibuit, & produxit folium Conuentionum firmatarum in Vrbe inter dictam Ciuitatem ex vna, Clericos, Ecclefiafticos, & Ecclefias ex alia de, & fuper Collectis, Damnifdatis, ac Ceremoniali fubfcriptum pro parte Clericorum per Reu. D. Ioannem Baptiftam Sauinum Vicarium Archiepifcopalem, & Illuftres DD. Comitem Ioannem Baptiftam Paccaronum, Octauium de Affaltis, ac Antonium Lelium pro parte Ciuitatis, inftetitq; mandari fieri, & exequi, prout in eis.

Die decimatertia Iunij millefimo fexcentefimo decimoquarto.

ILluftriffimus, & Reuerendiffimus Dominus D. Alexander Strozzius Archiepifcopus, & Princeps Firmanus fupradictus audita dicta inftantia, & vifis folio Conuenrionum, & acceprationum factarum pro parte dictæ Ciuitatis in Concilio celebrato Die 18. Maij inftantis Anni, & etiam pro parte Clericorum in Congregatione facta per ipfos fub Die decimanona dicti menfis, & fubfcriptionibus pro parte dictorum Clericorum per Reu. D. Ioannem Baptiftam Sauinum de Camerino Vicarium Generalem, & per Illuftres viros DD. Comitem Ioannem Baptiftam Paccaronum, Octauium Affaltum, & Antonium Lelium pro parte Ciuitatis, ac ftantibus literis Illuftriffimi, ac Reuerendiffimi D. Cardinalis Burghefij D.S. Illuftrifs. & dictæ Ciuitati tranfmiffis, ac vifis videndis omnibus, & confideratis confiderandis; Mandauit, in futurum inuiolabiliter feruari dictas Conuentiones, & Refolutiones iuxtà feriem folij fubfcripti, & acceptati vt fuppra, &c. & ita, &c. omni, &c.

Alexander Archiepifcopus Firmanus, &c.

ACtum Fitmi, & in Camera Cubiculari dicti Illuftriffimi, & Reuerendiffimi Domini Archiepifcopi Coram, & præfentibus Illuftri D. Ifolerio Paccarono, & Illuft. & adm. Reuer. Domino Ioanne Francifco Simonetto Secrerario D. Suæ Illuftriffimæ, & Reuerendiffimæ Teftibus, &c. Rogatus Ego Ioannes Baptifta Auguftinus Vice Cancell.

Et quia ego Ioannes Baptifta Auguftinus de Sancta Victoria Firmanæ Diœcefis publicus, & vtraque auctoritate Notarius, modoque Curiæ Archiepifcopatus Firmi V. Cancellarius de fuprafcripto decreto fui rogatus. Ideo fubfcripfi, & publicaui req.

Locus ✠ figni.

Alexander Strozzius Dei, & Apoftolice Sedis gratia Archiepifcopus, & Princeps Firmanus.

Supradictum D. Ioannem Baptiftam Auguftinum de fupradictis rogatum effe Notariũ publicum V. Cancellarium noftrum, ac talem qualem fe facit, eiufquè publicis, fcripturis in Iudicio, & extra femper fuiffe adhibitam, & modo plenam adhiberi fidem, Indubie teftamur. In quorum fidem, &c.

Dat. Firmi ex Palatio Archiepifcopali, Die 24. Iunij 1614.

Claudius Pauonius Vice Cancellarius. Locus ✠ figilli.

FIRMI, Apud Io. Francifcum de Monribus. M. DC. XIIII.

IN DEI NOMINE AMEN.

Reformatio, ac Taxa, tàm in causis ciuilibus, quàm criminalibus Perillustris Firmanæ Ciuitatis, per admodum Illustrem, & Reuerendissimum D. Franciscum Nappium V. Gubernatorem, & DD. Deputatos pro parte eiusdem Ciuitatis digesta, & Romam transmissa ad Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Cardinalem Burghesium dictæ Ciuitatis Gubernatorem, tempore, quo Illustris D. Fabritius Adamus Firmanus Ciuis fuit ab eadem Ciuitate missus orator; eo mediante ab eodem Illustrissimo D. Gubernatore admissa, approbata, & inuiolabiliter obseruari mandata.

Posteaq; etiam die 15. Iunij Anni 1615. per eundem Reuerendissimum D. Nappium omnia, & singula in eis contenta publicari, imprimi, & perpetuo inuiolabiliter obseruari, & die 12. Iunij currentis Anni 1618. per Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Prosperum Caffarellum dictæ Ciuitatis V. Gubernatorem admissa, & seruari mandata &c.

Et demùm transmissa ad Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Cardinalem Ludouisium dictæ Ciuitatis Gubernatorem, & eidem præsentatæ per Illustres Oratores Ciuitatis ad Sanctissimum D. N. GREGORIVM XV. vid. per Excellentem D. Flauium Sciarram, D. Vrlelem Rosatum, D. Hieronymum Ottinellum, & D Hannibalem Guerrerium, fuerunt ab eodem Illustrissimo D. Gubernatore admissa, correcta, approbata, & inuiolabiliter obseruari mandata, prout in eius litteris in fine præsentium registratis sub Dat. Romæ Die 2. Iunij 1621. & propterea per Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Octauium Rodulphium eius V. Gubernatorem vigore decreti fuit dictas Taxas publicari, & perpetuò ac inuiolabiliter obseruari mandatum iuxtà tenorem dictarum litterarum, prout latius in decreto &c. ad quod &c.

De Iudicibus Criminalibus, & Ciuilibus Curiæ secularis Firmanæ.

DE SPORTVLIS. *Rubrica Prima.*

1 NVLLI Iudicum Firmanæ Curiæ secularis, aliquid accipere liceat pro sententijs, seù decretis interlocutorijs, prò moderanda inhibitione, declaratione cuiusuis emergentis, seù incidentis in processu causæ ante diffinitiuam, etiam si huiusmodi interlocutio, seù declaratio extenderetur per cedulam ad instar diffinitiuæ.

2 Pro declaratione verò peremptionis instantiæ, seù desertionis causæ, quæ ex solo notarij calculo appareat medietates sportularum tantum.

3 Sportulas non recipiant Iudices ab alio, quam à Cancellario, vel Notario causæ, & nisi publicata prius, & subscripta sententia, vel decreta, & quidquid Luocumtenens, Capitaneus, Auditor, & alij Iudices, Commissarij, vel Deputati receperint propria manu testentur in calce decreti, vel à tergo Cedulæ subscripto quoque eius nomine, cognomine, & officio, & circà quantitatem sportularum seruetur taxa inferius impræssa, præterquam in casibus in his reformationibus expressis sub pœna restitutionis dupli.

4 Pro sententia lata super cótentis in vno, eodemq; libello, seù petitione, non possint plures Sportulæ ab eadem persona recipi, nisi capita essent penitus diuersa, & separata, diuersisq; Iure, & actione ageretur, sub pœna restitutionis dupli, idem seruetur ab Aduocatis, & Procuratoribus pro eorum patrocinio sub eadem pœna.

5 Si productum fuerit Instrumentum publicum, & petita eius exequutio, parsq; contra illud opposuerit tantum generalia contra, etiam si Iudex mandet exhiberi acta, & pronunciet exequi, nihil recipiat pro Sportulis, Procurator verò duos carlenos tantum; Aduocatus nihil, si verò pars deduxerit aliquam exceptionem specialem, vel plures, ob quam, vel quas discutiendus esset aliquis articulus iuris, vel super illis fabricatus sit processus, liceat Iudici Sportulas iuxta taxationem prædictam recipere.

6 Idem seruetur in exequutione aliorum Iurium exequutionem pariter habentium, & reproductione sententiarum pro exequutione.

7 In causis discussionum bonorum,& concursuum creditorum pro sententia graduatoria Iudicis,siuè ordinarij, siuè Delegati Sportulæ non possint excedere summam taxatam per Constitutionem Aldobrandinam,quę seruatur in toto Statu Ecclesiæ,sub pœna restitutionis,quę Sportulæ solui debeant à creditoribus omnibus pro rata crediti cuiusq; & in subsidium de bonis discussis,& si in secunda,vel vlteriori instantia,contigerit reuideri causam,si ad instantiā omnium creditorum seruetur idem, prout supra,si verò ad instantiam vnius creditoris Sportulæ soluantur pro quantitate sui prætensi crediti ab hac summa seruetur taxa in quolibet graduato.

8 In alijs causis Commissarijs,seù Delegatis Sportulæ non excedant decem aureos,Iudices tamèn in causis ad eorum iurisdictionem pertinentibus,pro quibus literis,seù commissionibus à Curia Romana emanatis non pronuncient se Commissarios, sed eorum ordinaria iurisdictio semper censeatur excitata,nisi à literis,vel Commissionibus ea fuerit euidenter aucta,vel diminuta ità,vt aliter vigore literarum,vel commissionis in illa causa procedendum,vel iudicandum sit, quàm sinè illis Iudex vti ordinarius procederet, vel iudicaret, puta, si causa ordinariè cognoscenda fuerit, summariè commissa, & similibus, vel nisi ex verbis commissionis clarè dignoscatur delegatus, veluti si adsit verbum,delego, vel clausula, nostra auctoritate hanc causam cognoscas, & decidas.

9 In causis Ciuilibus seruitutum Vrbanarum,vel Rusticarum quarumq; tutelæ,redditionum, rationum,Gabellarum,Collectarum,Molendinorum,& similium rerum certam, & vniformā extimationem non recipientium pro Sportulis soluantur duo scuta auri de Camera, quando solum fabricatus fuerit processus,& seruatis seruandis sententia lata,quòd si Iudex accesserit ad locum differentiæ,& per inspectionem loci,& extraiudicialem informationem tantū absq; processu,causam terminauerit,Iudex habeat pro accessu baiocch. vigintiquinque in Ciuitate,vnum florenum extra menia Ciuitatis,in Territorio tamęn,& si ad aliquod Castū sequitare contigerit duos florenos quolibet die,equum,& expensas,pro decreto nihil,hoc eodem salario gaudeat Aduocatus, Procurator verò, si causa expediatur cum processu per sententiam,scutum auri de Camera,si per inspectionem loci,carlenos duos in Ciuitate,quatuor extra Ciuitatem,& florenum vnum, equum, & expensas pro equitatu ad Castra, vt supra.

10 Idem seruetur in causis confinuum, in quibus Iudex procedere teneatur iuxta formam traditam à Statuto v. Lib. Rubr 101. & si causa cepta fuerit per accusationem damni dati, vel querelam turbatæ possessionis,prima instantia fiat coram Capitaneo, &, si contigerit appellare in causis damnorum datorum, & turbatiuarum, seruetur Statutum Firmanum.

11 In his causis,& alijs similibus expensæ accessus solui debeant ab illa parte, quæ petierit accedi, vel alium actum fieri, vel sententiam cum consilio sapientis ferri donec à Iudice fuerit declaratum,an communibus,vel vnius tantum partis expensis, ille actus fieri debuerit.

12 In causis censuum annuorum, legatorum, alimentorum, vlusfructus,pensionis, & aliarum annuarum præstantionum,in quibus petitum sit exequi contra partem aduersam, vel ipsam condemnari pro decursis,& decurrendis, Sportulæ soluantur secundum quantitatem expressam petitam nulla habita ratione, quòd agatur de præiudicio perpetuo.

13 Pro sententia in causis attentatorum,rei iudicatæ,restitutionis in integrum, & absolutoria ab obseruatione iudicij, soluantur Sportulæ, vt in diffinitiuis iuxta taxam: idem seruetur in possessorijs,& summatijs,in quibus seruatis seruandis processum,& pronunciatum fuerit.

14 Auditor vti ordinarius omnium causarum Ciuilium exequatur sententias, decreta, arbitria,seù lauda,arbitramenta,transactiones,& alia exequenda etiam ab alijs iudicibus maioribus, & minoribus in causis Ciuilibus latas, seù lata, & interposita iuxta facultates ordinario concessas in Constitutione Marchiæ Lib v. Cap. 1.

15 Informādis inquisitionibus,vel processibus abstineat se Iudex à qualitatibus quomodolibet aggrauātibus,minusq; carceratū super alijs Criminibus,nisi existētibus vtroq; casu indicijs.

16 Pro cassatione cuiusuis simplicis querelæ,vbi non adsit aliqua probatio, vel indicium sufficiens ad inquirendum,nihil pęnitus recipiat,nec Iudex,nec Cancellarius,etiam si sponte afferatur sub pœna restitutionis dupli. Idem seruetur,si quis querelatus,vel inquisitus fuerit de non iusta assignatione grani,vel de eiusdem grani,olei, & alterius rei extractione sinè licētia.

17 Nec possit querelatum,vel inquisitum nulla præcedente probatione,vel inditijs examinare,

nec

nec ad informandum Curiam citare, aut ad dicendum causam quare condemnari non debeat, minusq; permittat ipsum ab exequutoribus quoquomodò grauari, sub pœna restitutionis grauaminis, seù exequutionis, & refectionis damnorum, expensarum, & interesse à Iudice persoluendi, & decem scutorum pro qualibet vice à Cancellario.

18 Fideiussores de stando iuri cum Fisco, de non discedendo, de repræsentando reum, & similes, quandocumq; inditia contra ipsum reum, non superuenerunt, nec citari, nec aliquo modo grauari à Iudice, vel ab exequutoribus possint, nisi in primis citato, etiam non comparent, qui grauauerit damna, & expensas resarceat.

19 Contingit aliquando, vt reus condemnatur non solum pro delicto principali, sed mulctatur etiam pro alicuius præcepti contemptione, & similibus his casibus soluta principali condemnatione, vel reo absoluto pro alijs rebus à Iudice, vel Cancellario ipse reus non molestetur.

20 Si quis in eadem querela, vel inquisitione, & processu fuerit pro pluribus, & diuersis delictis accusatus, inquisitus, & condemnatus, vel absolutus vnicum tantum honorarium pro grauiori delicto constitutum, sibi satis esse Iudex existimet, alioquin duplicatum restituat.

21 Si Patre delinquente eius bona omnia, quæ confiscari debeant, reseruanda sunt tribus, vel pluribus ipsius filijs existentibus Iudex pro decreto, vel sententia reseruatoria possit accipere tres florenos tantum.

22 Qui semel obtinuerit à V. Gubernatore, Auditore, vel alijs Iudicibus non grauetur, vel aliā dilationem pro debito Ciuili, non possit ab eodem, vel diuerso Iudice, seù Tribunali pro eadem causa alium terminum suscipere, & susceptus, ei non suffragetur, nisi Iudex alias arbitratus fuerit ex iusta causa. Ideò præfatæ dilationes concedendæ erunt cum clausula, dūmodò alium terminum non susceperit, seruato tamen, prout hucusq; seruatum fuit inuiolabiliter, priuilegio Priorum Ciuitatis circa saluosconductos pro debitis Ciuilibus.

23 Nihil omnino recipiant Iudices à pauperibus, & actu miserabilibus, vt infra sub Rub. de Carceratis num. 10.

De Aduocatis, & Procuratoribus. Rubr. 2.

1 ADVOCATI, & Procuratores salario sibi à Statuto lib. 3. Rub. 20. determinato contenti sint quæcumque aliæ pactiones ab ipsis, cum ijs Clientulis factæ fuerint de quota litis, censeantur nullæ, & eidem pœnæ subiaceant.

2 Si Aduocatus fuerit assumptus post completum processum, & allegationes tantum iuris, Iudici, vel parti in scriptis dederit, etiam tiratas, non possit nisi tertiam partem dicti salarij in medio causæ antè productionem omnium articulorum duas tertias quod habeat locum in causis discussionum, seù concursuum, vt habeatur ratio laboris, & patrocinij præstiti pro vno creditore, vel diuersis, & si casus acciderit, vt Aduocatus pro omnibus creditoribus interuenerit à principio processus vsque ad sententiam inclusiue eius patrocinium non excedat summam florenorum quindecim ab omnibus creditoribus pro rata soluen.

3 Procurator, qui alicuius causæ patrocinium, sine Aduocato susceperit, salarium Procuratori tantummodò constitutum exigat, quidquid vlterius acceperit, restituat in duplum, & 2. vice per annum, tertia perpetuò procurationis exercitio priuetur.

4 Procurator, qui plura instrumenta produxerit in causa discussionis bonorum, seù concursus non possit accipere, nisi duos carlenos pro quolibet instrumento, contra quod nihil ex aduerso fuerit oppositum, ac pro instrumento, vel instrumentis contra quod, vel quæ fuerit oppositum, & pro verificatione fabricatus processus, possit accipere integrum patrocinium, ita tamen, quod omnia patrocinia illius causæ non excedant florenos octo, infra vero seruetur supradictum Statutum, sub pœna restitutionis dupli.

5 Idem seruetur pro productione vnius apocæ, & partitarum vnius Mercatoris.

6 Pro reproductione vnius præcepti pluribus debitoribus, seù alijs facti; quod petatur exequ. contra omnes non parentes, vel contumaces, Procurator possit pro omnibus simul accipere duos carlenos tantum sibi soluendos à Cliente, qui eas, & omnes alias expensas pro exequutione, seù præsentatione præcepti, quandocumq; pro requisitoriali facta ab omnibus contumacibus pro rata statim recuperare valeat, & si quis contumax comparuerit pro obtinend

præcepti reuocatione,quæ concedi solet cum clausula,refectis contumacialibus,teneatur reficere aduersario principali,non Procuratori,ratam portionem tantum dictorum duorum carlenorum, & aliarum expensarum, quas idem aduersarius legitime fecisse docuerit, contraueniens pœna restitutionis, & decem florenorum qualibet vice puniatur.

7 Qui summariam causæ expeditionem obtinuerit absq; aliqua terminorum obseruatione, siuè Aduocatus,siuè Procurator sit,duos carlenos tantum pro patrocinio accipiat sub eadem pœna.

8 Si partes deuenerint ad concordiam antequam Iudex mandet exhiberi acta finito tamen processu Aduocatus,& Procurator duas tertias competentis salarij habeant, Iudex nihil,verum si in calculo ferendæ sententiæ, concordauerint tàm Iudex,quàm Aduocatus, & Procurator integra honoraria, & patrocinia consequantur.

9 Instrumenta,processus,vel alia iura non liceat Aduocatis,& Procuratoribus,& Notarijs retinere pro patrocinio,vel mercede,nec Iudici pro Sportulis,pro expensis vero factis in causa seruetur ius commune.

10 Non liceat Procuratori extractum, seù registrum à Notario habitum alteri personæ, excepto Aduocato,dare,vel consignare,nec etiam Iudici,contraueniens teneatur ad omnia damna, expensas, & interesse à Not. & à partibus passa.

11 Aduocati libellos,petitiones, positiones, articulos, exceptiones, replicationes, allegationes iuris,& his similia,in causis, in quibus assumuntur, subscribant, absq; illorum subscriptione, non admittantur, nec à Notario recipiantur sub pœna nullitatis, & amissionis patrocinij, quoad ipsos Aduocatos,productiones verò iurium,& alia acta ad merum Procuratoris officium pertinentia,nec subscribere,nec proponere possint,eorumuè prætextu se in causa patrocinatos fuisse prætendere.

12 Aduocati, Procuratores, & Notarij pro eorum prætensis patrocinijs, aut mercede scripturarum,contra aliquem commissiones obtinere,aut exequi facere non possint,nisi prius taxata,& moderata fuerit,&,si taxatores fuerint discordes,Iudex alias,vel tertium ex officio possit eligere,& qui contrafecerit exactum in duplum restituat parti,ad expensas, & interesse teneatur, & patrocinijs, & mercede ipso iure priuetur.

13 Aduocatus,vel Procurator, qui pro vtraq; parte in eadem causa in qnacunq; instantia patrocinabitur,vel merita,& secreta causæ parti aduersæ patefecerit,vel acta, aliter quàm legerit Notario in scriptis dederit,vltra infamiæ notam, priuationis qnoque exercitij, & perpetuæ inhabilitatis pœnam incurrant,& eisdem pœnis subiaceat ille, cuius culpa, vel dolo, seù corruptela suus principalis à causa ceciderit.

14 Procurator teneatur à sententia contra suum principalem lata appellare intra tempus à Statuto præfixum in causis,in quibus appellatio permittitur,& eũdem principalẽ de tenore sententiæ, seu decreti diffinitiui per literas certiorem facere sub pœna vigintiquinque florenorum,& refectionis omnium damnorum, expensarum, & interesse, quæ principalis ob non interpositam debito tempore appellationem pateretur.

15 Si plures Procuratores,vel plures Aduocati in vna causa interuenerint,condemnatus in expensis teneatur ad solutionem,& refectionem vnius Procnratoris,& vnius Aduocati tantum, quod à taxatoribus, & Iudicibus obseruãdũ erit,nisi de proprijs pecunijs refũdere voluerint.

16 Non solum Aduocatus,& Procurator,sed quilibet alius requisitus teneatur pro miserabilibus personis,& pauperibus gratis postulare,nec ab eisdem sponte dare volentibus aliquid accipere possit,sub pœna decem florenor. tàm à recusante,quàm ab aliquo accipiente danda.

17 Statutum lib.4. Rubr.65. intelligatur de fideiussione Iudicij tantum,& in hoc seruetur,non autem de fideiussore contractus,& alijs.

De Vicarijs. *Rubr. 3.*

1 VICARII Terrarum, & Castrorum vbi primum notitiam habuerint alicuius delicti, vel quasi,Criminis,vel excessus teneantur de ipso,& eius circumstantijs,qualitatibus, & conditionibus personarum,& per Nuncium specialem Curiam Firmanam certiorem facere,& interim nulla mora interposita procedere debeant contra delinquentes,& rixosos, non

non tamen contra minores, vt infra diceturiper præcepta, vel alia opportuna remedia ad effe-ctum, vt præstent cautionem de non offendendo sub pœna priuationis officij.

2 Sub eadem pœna prohibentur emere, seù quomodolibet accipere carnes à Macellarijs, panem à Fornarijs, seù Tabernarijs, & alijs, habita sibi fide de prætio, Macellarij, quoque Fornarij, & alij dictas res Vicarijs credentes prætio sibi debito priuati intelligantur.

3 Caueant Vicarij, nè Palatia, seù domos eorum residentiæ aleatoribus quoquomodo, expo-nant sub eadem pœna, & decem scutorum pro quolibet aleatore.

4 Si ex iusta causa à V. Gubernatore, vel à Prioribus Ciuitatis approbanda alicui Vicario cótigerit ab officio discedere, teneatur idoneum substitutum dimictere, &, ne iurisdictionis defectu acta per substitutum nulla reddantur, Instrumentum substitutionis in actis registrare, sub pœna refectionis omnium damnorum, expensarum, & interesse partibus ea passis.

5 Pœnæ statutariæ exigantur à Vicarijs integrè, non pro earum rata tantummodò, & quicquid exegerit, diuidatur inter eos, quibus à Statuto pœnæ applicantur.

6 Non audeant Vicarij, & alij exequutores pro exequendis commissionibus, mandatis, vel instrumentis portas, aut fenestras claudere, vel ob signare, minusq; seras, repagula, tegulas, & similia asportare, sed in alijs bonis mobilibus, vel stabilibus debitoris exequutionem faciant, vel in ipsamet Domo, alijs bonis deficientibus, sub pœna decem scutorum, & refectionis damnorum, & expensarum.

7 Possint tamen claudere apothecam, si executionem fecerint in mercibus in ea existentibus, & clauem Notario causæ statim consignare, facta prius ipsarum mercium legitimo inuentario.

8 Non liceat Vicarijs quemquam pro debito ciuili captum in cippis retinere, sed data per ipsum idonea cautione in forma depositi, de se constituendo in carceribus firmi infra tres dies, teneantur illum relaxare, alias ad damna, expensas, & interesse.

9 Pro consignatione alicuius gregis, seù armenti, non possint Vicarij, nec alij executores, vel birrnarij aliquid liberalitatis, seù, vt dicitur, strenæ nomine à Cauponibus, & stabularijs accipere, sub pœna decem scutorum pro quolibet, & qualibet vice, etiam ab ipsis Cauponibus persoluendorum, & contrauentio probetur per vnicum testem fide dignum, & circa executionem gregis seruetur, prout in nu. 16. Rub. 6. de Baroncello, & executoribus.

10 Prohibentur Vicarij, post finitum eorum officium denunciare, vel accusare eos, qui aliquam querelam contra ipsos Vicarios in sindicatu porrexerint, & Cancellarius non recipiat.

11 Vicarij, Executores, & Depositarij, qui pignora in executione capta, vel deposita alijs accommodauerint, vel ipsi eis vti fecerint, pœnæ furto teneantur.

12 Minus liceat Vicarijs aliquem actum, seù instantiam pro absentibus facere, decreta contra absentes legitimè citatos interposita exequi, nisi præcedente intimatione personali, & in scriptis, cum insertione decreti facta, vel Domi dimissa copia, si personalis fieri non possit.

13 Testes nominati ad probandum accusationes, damnorum datorum non possint à Vicarijs requisitoriali, vel aliter grauari, vt compareant, & subijciant se examini, nisi præcedente citatio ne personaliter facta, cum termino trium dierum ad comparendum, vel domi, in qua habitāt, cum termino quinque dierum, alias teneatur Vicarius ad damna, expensas, testibus grauatis.

14 Pro exequendis commissionibus, seù mandatis à Curia Firmana relaxatis, Vicarij accipiant tres quatrenos tantum pro quolibet floreno, vsq; ad baioc. 25. pro executione, verò mandati executiui, seù bracchij secularis Auditoris Cameræ, vsq; ad tres florenos tantum: pro exequutionibus ab ipsimet Vicarijs relaxatis, & factis: pariter vnū bononenum pro quolibet floreno, vsq; ad summam vnius floreni; quicquid vlterius receperint, duplicatum restituant.

De Cancellario Criminali, & eius Substitutis, & aliqua de exequutoribus, Baroncello, & Birruarijs. *Rubr.* 4.

1 QVERELAE pro rixis minorum decem annorum inter se absq; interuentu maiorū, etiam si aliqua inconsiderabilis effusio sanguinis ex collisione corporis ad Terram, ex naribus ob percussionem pugni, ex leui vnguium laceratione, & alia simili acciderit, & pro rixis, ac verbis contumeliosis mulierum à Vicarijs, & Cancellarijs non recipiantur; in cautè, vel temerè receptæ cassentur gratis quoad Iudicem, Cancellarium, & omnes alios.

2 Idem seruetur in quacumq; simplici rixa, & verborum altercatione inter alias viles personas, inter quas statim pax, & reconciliatio secuta fuerit, dummodò præsentiam Iudicis, locum sacrum, aut Palatium rixando non contempserint, quibus casibus Iudex pro modo excessus pœnam arbitretur.

3 Item quod Cancellarius, siue eius Notarij, vel Substituti, non possint recipere accusationes damnorum datorum, nec super eis processus formare, aut alias in dictis causis damnorum datorum se intromictere quoquò modo, & si secus fiat cassentur, & remictantur gratis absq; aliqua mercede, sub pœna contrafacienti arbitrio D. Gubernatoris, siue Locumtenentis.

4 Vbi causa per supplicationem, vel decretum expediri contigerit, & copia processus per informatione Curiæ fabricati à reo, vel eius Procuratore, seu Aduocato petita non fuerit, Cancellarius nihil omninò pro dicto processu petere possit.

5 Et generaliter reus astringi non possit ad soluendum copiam processus, vel inditiorum, nisi eam per se, vel eius Procuratorem, seù Aduocatum expresśè petierit, nec intelligatur petita vigore cuiusuis actus, seù protestationis ante datas defensiones pro parte ipsius rei factæ: petitæ quoq; copiæ, non tamen ceptæ, vel imperfectæ, si reus noluerit, teneatur ad solutionem confectæ tantum.

6 Copia inditiorum, vel processus petita detur à Cancellario in ea parte tantum, quæ concernit causam delicti, & ea integra, non mutilata, ad illiusq; solutionem tantummodò reus teneatur.

7 Et ideo si Cancellarius pro inuentario, requisitoriali, fideiussionum rogitu, & similibus mercedem taxatam fuerit consecutus, non possit idem Inuentarium, Requisitorialem, & alia prædicta in registro, seù copia processus describere, &, si describatur, nihil aliud pro illorum copia peti possit.

8 Inuentarium bonorum delinquentis confici non possit à Vicarijs, Cancellario, nec ab alijs, nisi cum decreto Iudicis in casibus, in quibus imponenda venerit pœna saltim confiscationis bonorum, sub pœna restitutionis mercedis, & refectionis damnorum, expensarum, & interesse parti passæ à conficiente, & mandante soluendorum.

9 Et qui semel prædictam processus, vel inditiorum copiam Cancellario soluisse docuerit, teneatur idem, vel nouus Canc. quandocunq; opus fecerit ipsum processum absq; vlteriori solutione accommodare, sub pœna decem scutorum pro qualibet vice, dummodò non exeat Cancellariam.

10 Pro scriptura supplicationum facta à Procuratore, vel Aduocato reus nihil soluere teneatur Cancellario, minusq; ipsi Procuratori, vel Aduocato, qui mercedem pro tota causa habet terminatam.

11 Nec Cancellarius, nec alius equitare possit absq; licentia V. Gubernatoris, vel Locumtenentis, qui non pro qualibet leui causa, & delicto equitarum commictere debeant, sed pro illis delictis tantum, pro quibus imponenda veniat pœna mortis naturalis, vel ciuilis, seù confiscationis bonorum.

12 Et illud præterea obseruent, vt commissio, seù literæ, patentes ab ipsis saltem subscriptæ contineat certum, & præcisum numerum birruariorum, qui Commissarium associare debeant, nè reus pro maiori numero executionem indebitè patiatur.

13 Cancellarij, Substituti, baroncellus, birruarij, & aliqui equitando plures causas sibi commissas vna, & eadem die expedinerint, viaticum vnius diei tantum ab omnibus pro rata exigere possint.

14 Si Cancellarius, Procurator Fiscalis, vel eorum Substitutus equitauerit emolumentis in infrascripta Taxa sibi ipsis constitutis contentus sit, nec Iudex aliusuè pro eo aliquid indè consequatur, nisi re ipsa equitauerit.

15 Pro Bullectino, seu licentia conseruandi granum in foueis per loca campestria existentibus nihil soluatur, nisi data sit fideiussio de non extrahendo illud contra formam bannimentorum, & tunc pro rogitu fideiussionis soluantur baiocchi quinque tantum.

16 Reos possit Cancellarius, vel executor semel tantum requisitoriali grauare, si pluries, pœnam decem scutorum pro qualibet vice, prima excepta, patiatur.

17 Caueant Cancellarij, & executores, ne in exequenda commissione sibi de mandata, etiam pro quauis causa criminali grauent parentes, fratres, sorores, vxorem, propinquos cohabitantes, & alias pro filijs, fratribus, sororibus, marito, propinquis, cohabitantibus, & alijs condemnatis, vel contumacibus, & contra nisi in casibus, in quibus vnus tenetur pro alio, vel alterius bona detinet, vel de contrario Iudicis mandato expresso, & subscripto appareat, alias executio nulla sit. Cancellarius, verò, vel executor parti grauatæ damnum resarceat, quicquid receperit restituat, & alias pœnas arbitrio V. Gubernatoris incurrat.

18 Querelæ à secreto denunciatore, seù istigatore porrectæ non recipiantur iuxta dispositionem statuti lib. 4. rubr. 6. & si aliquo casu Iudici ex iuxta causa contrarium videbitur obseruare, non possit ille secretus denunciator, tanquam testis examinari, sub pœna nullitatis examinis, & priuationis officij, & exercitij, quoad examinatorem, & examen recipientem.

19 Mandata, seù exequantur à Locũtenente, vel Cancellario relaxanda contra mulctatos, aut condemnatos continere debeant librum, & folium, in quo descripta est condemnatio, vel mulcta ad hoc, vt, si reus reportauerit, non grauetur vigore solutionis illius condemnationis in eodem libro, & folio contentæ possit se à præiudicio illius executionis liberare, alias Cancellarius ad omnia damna, & expensas parti passæ teneatur, & exequutio restituatur.

20 Qui contrauenerit inhibitioni à Iudice ciuili obtentæ non possit querelari, nec criminaliter molestari, sed ad pœnam contrauentionis, & damnum, ac interesse partis agatur ciuiliter coram Iudice, qui inhibuit, nisi eius authoritas, vel inhibitio re, aut verbis contempta fuerit, vel pars violenter oppressa ideo Cancellarius non recipiat querelas simplicis contrauentionis, & receptæ cassentur gratis vbiq; & remictantur ad suum Iudicem.

21 Fideiussiones de repræsentando, de non offendendo, de non discedendo, & similes aliæ non cassentur nisi de expresso mandato Gubernatoris, vel V. Gubernatoris, & tunc gratis quoad ipsum, & eius Iudices.

22 Pagina quælibet registrorum Criminalium in forma copiæ à Cancellario dandæ continere debeat lineas decem, & octo, quęlibet linea, syllabas vigintiquatuor, & pro vtraq; pagina, seù facie, idest pro triginta sex lineis, soluantur duo bononeui, si minus scriptum fuerit, Cancellarius incurrat pœnam Notarij impositam sub Rub. de Notarij vers. registra omnium numero 13.

23 Pagina verò, vt dicitur, plena processus originalis, quæ reo, seù eius Procuratori, vel Aduocato petenti loco copiæ solet aliquando dari, continere debeat sub eadem pœna lineas vigintiquatuor, linea vigintiquatuor syllabas, & pro vtraq; pagina, idest pro quadraginta octo lineis, soluantur baiochi septem cum dimidio.

24 Interrogatoria scribantur ad verbum, prout fiunt, reo, vel Testi, & suggestiua quorumdam consuetudo scribendi. Ad opportunam Domini interrogationem &c. int. resp. &c. sub deus inter. &c. aliauè similis penitus regeciatur: responsiones quoq; fideliter extendantur, prout ab ipso reo, & teste profetuntur, etiam si Fisci prætensionibus aduersentur.

De Notarijs Ciuilium causarum. *Rubr.* 5.

1 NOTARII comparere teneantur ad banchum iuris hora solita Audientiæ, & ibi permanere vsque ad finem Audientiæ, ac officium exercere per se, non per alios, & si legitimè impediti comparere non potuerint, vel à bancho, seù à Ciuitate discedendi necessitatem habuerint, cuius impedimenti, vel necessitatis declaratio ad Iudicem pertineat. Alium Notarium Curialem, & Collegiatum substituere, qui assistere, acta, & instrumenta recipere exceptiones, replicationes, & decreta annotare, copias tradere, originalia si opus fuerit exhibere, testes ad Ciuitatem vocatos examinare, & alia ad illius officij rectam administrationem pertinentia præstare debeant, sub pœna ammissionis causarum, refectionis damnorum expensarum, & interesse, & decem scutorum pro qualibet vice.

2 Eadem pœna puniatur Notarius non Collegiatus, qui aliqua acta, seu decreta ausus fuerit adnotare, ac etiã Collegiatus, qui decreta pro alio Notario, vel in causa alteris Notarij absq; licentia Iudicis expressa receperit, & si admissus fuerit à Iudice ad effectum referendi actuario eadem die, teneatur referre, & pro relatione nihil accipiat sub eadem pœna.

3 Notarius qui alias inscriptis redegerit,quàm inter partes dictum, conuendum, firmatumuè fuerit,qui personarũ acceptor extiterit,plus vni parti,quã alteri faciẽdo,secreta causę detegendo dicta testium antè publicationem propalando,illorumq; copiam,vel summarum tradendo,ipso Notariatus officio priuatus sit absq; vlla spe rehabilitationis, & eius causæ arbitrio Iudicis alijs Notarijs distribuãtur,nec ideò pœnas legales,& Iudicis arbitrarias effugiat.

4 Notarius teneatur exceptiones,replicationes,protestationes partium,& decreta quæcunq; Iudicis statim per extensum,& ad verbum scribere sub pœna ammissionis causarum,& mercedis, ac refectionis damnorum expensarum, & interesse.

5 Qui de aliquo procurationis mandato rogatus fuerit, teneatur de eo procuratori petenti fidem in scriptis facere cum die, mense, & anno, sub pœna refectionis damnorum expensarum,& interesse, quæ pars ob nullitatem defectu mandati quouis tempore pateretur, Notario qui non fecit fidem,vel ei, qui factam non descripserit infligendi.

6 Eisdem pœnis subijaceat procurator,qui cum ab aduersario fuerit oppositum de mandato, fidem publicam à Notario Curiali non petierit, vel ab extraneo rogatus non produxerit in scriptis.

7 Commissiones, & mandata exequutiua Notarius semel tantum expediat, & tunc, non nisi personali creditore,vel eius Procuratore,de cuius mandato constet,instante, & ab Auditore subscripta,exceptis tamen commissionibus expediendis vigore quarantigiæ,in quibus nõ requiratur subscriptio Iudicis,sed tantum instantia creditoris,quod si ex aliqua rationabili causa à Iudice approbanda duplicari debeant,bononenus tantum eidem Notario soluatur, contraueniens ad omnia damna expẽsas,& interesse partiũ,& ad restitutionẽ mercedis teneatur.

8 Dupplicata mandatorum, seù commissionum post tres menses à prima illorum expeditione non concedantur,etiam à Iudice,nisi parte iterum citata sub eisdem pœnis.

9 Tàm prædicti Notarij, quàm Cancellarij Criminales teneantur partibus petentibus simplicem copiam actuum, instrumentorum, scripturarum,seù decretorum tradere pro mercede simplicis copiæ constituta; nec quemquam ad reluendum in publicam formam compellere possint.

10 Qui competente mercede primæ extractionis alicuius Instrumenti semel ab aliquo consequutus fuerit, iuxta taxationem constitutionis Prou. Mar. lib. 2. cap. 49. non possit ab eodem,vel eius hæredibus,& successoribus pro secunda, vel vlteriori extractione accipere, nisi duos carlenos pro qualibet vice,secundum dispositionem dictæ Constitutionis,quàm in omnibus obseruari mandamus,sub pœna restitutionis dupli.

11 Generaliter,autem inhibitionem vigore appellationis non concedant Notarij, nisi cum insertione totius sententiæ,seù decreti,à quo appellatur, sub pœna scutorum decem pro qualibet vice.

12 Inhibitiones vigore appellationis interpositæ à sententia interlocutoria, seù decreto, ante diffinitiuam,nullatenus concedantur,cum nec partes ab huiusmodi sententijs appellare possint iuxta dispositionem Statuti lib. 5. rubr. 13. & concessas possit Iudex à quo lacerare,& Notarium concedentem pœna duorum florenorum punire.

13 Registra omnium causarum conficiantur iuxta formam Statuti lib. 3. rubr. 22. sub pœna in ea contenta, & quælibet pagina contineat vigintiquatuor lineas,linea vigintiquatuor syllabas claras, & intelligibiles, & pro vtraq; pagina, seù facie folij, videlicet pro quadraginta octo lineis soluantur quinque baiochi tantum, & si lineæ pauciores fuerint,vel breuiores,nè habeatur ratio scripturæ, sed pro rata soluatur, & mercede registri,& totius causæ Notarius omnino careat, consecutam restituat, & nihilhominus possit Iudex expensis partium consulere,causam cum huiusmodi registro expedire, vel Notarium, ad conficiendum aliud registrum secundum formam superius traditam eius arbitrio compellere.

14 Originalem verò processum etiam publicatum Notarius neutri parti consignare possit,quatenus mandatum sit,acta exhiberi,& si Iudex super aliquo emergenti, vel collatione registri, & similibus monuerit,exhibendus fuerit à Notario, differatur gratis ab ipsomet reportãdus, vt partium,& Procuratorum manus euadat: qui in aliquo præfatorum defecerit,pœna x. scutorum,& priuationis mercedis pro qualibet vice puniatur, & semper teneatur ad damna, expensas, & interesse partium, maximè si processus perdatur.

15 Postquam

15 Poſtquam à Iudice mandatum fuerit,acta exhiberi, teneatur Notarius infra triduum regiſtrum completum dare parti primo petenti,& vna quæq; pars illud pœnes ſe retinere poſſit, in prima inſtantia decem diebus tantum, in ſecunda,& vlteriori quinque niſi Iudex,tàm primæ, quàm ſecundæ inſtantiæ breuiorem terminum ex cauſa fuerit arbitratus : quibus elapſis ſtatim alteri parti teneatur conſignare, quæ eius termino pariter finito, illud reſtituat Notario,& Notarius Iudici,nec poſſit Notarius negare,ſeù differre traditionem regeſtri ob nō ſolutam ſibi mercedem,nec depoſitum petere,ſed facta ipſius regeſtri, & copiarū partibus traditarum taxatione, iuxta formam ſuperius traditam in Rubr. de Aduocatis, & Procuratoribus num.12. pro ſumma ſic taxata, & moderata eandem exequutionem Notarij habeant, quæ à Statuto lib.3. Rub.20. Aduocatis, & Procuratoribus pro eorum ſalarijs tribuitur,quis in aliquo prædictorum defecerit,pœna quindecim ſcutorum afficiatur, & ad damna, expenſas, & intereſſe partibus obligatus remaneat.

16 Teneantur etiam Notarij copia Inſtrumentorum,actorum, & ſententiarum à Iudice decretam partibus, vel eorum procuratoribus per totam diem ſequentem poſt decretum tradere, ſub pœna duorum florenorum vice qualibet; Iudex tamen ſtante prolixitate ſcripturæ exemplandæ,puta examinis teſtium,& ſimilium : poſſit longiorem terminum,non tamen maiorem trium dierum arbitrari,nec aliqua exceptio etiam non ſolutæ mercedis admictatur,cum notulam,ſeù liſtam omnium copiarum Notarij conficere debeant,vt finito proceſſu eius taxationem procurenr,& exequutionem conſequantur,ſicut in præcedenti Capitulo ſcriptum eſt.

17 Cauſa mercedis,ſeù ſalarij,annui,menſtrui, vel diuturnitatum, gaudeant priuilegio depoſiti,docto etiam ſummariæ de ſeruitio præſtito ; non aliter.

18 Pauperibus miſerabilibus teneantur Notarij copiam Inſtrumentorum,& ſententiarum,non tamen regiſtrorum gratis tradere,& originalia eorum Procuratoribus,& Aduocatis oſtendere, vt infra de carceratis num. 10.

19 Non concedant mandata ſuſpitionis fugæ, abſq; decreto Iudicis,coram quo doceatur ſummariè de puro, & liquido credito, & debitor iuretur à creditore de fuga ſuſpectus iuxta formam ſtatuti lib.3.Rub.13. Hoc addito,quod non habeat in ſtatu alios idoneos,pro eodē credito ſibi obligatos: poſtca ſubſcribatur mandatum à Iudice,nec aliter exequatur,ſub pœna nullitatis,& quinque florenorum, tàm à creditore, quàm à Notario perſoluen.

20 Pro lectura,ſeù publicatione ſententiæ graduatoriæ latæ in cauſa diſcuſſionis bonorum,ſeù concurſus creditorum, Notarius pro ſua mercede poſſit accipere ad ſummum florenos quinque ab omnibus graduatis ſoluendos; pro rata crediti, cuiuſq; quatenus tantam mercedem patiantur omnia nomina creditorum iuxta taxam; alias ſeruetur dicta taxa.

21 Quiſquis contra ſuum creditorem,vel aliam perſonam præceptum aliquod obtinuerit præſentari,eo poſtea reuocato, non poſſit, aliud præceptum ab eodem, vel diuerſo Norario accipere,ſub pœna decem aureorum qualibet vice,cum iuribus ſuis ſanis prouideri poſſit,reproducendo reuocatum loco peritionis.

22 Si commiſſiones erunt expediendæ contra plures debitores paruæ ſummæ:in qualibet commiſſione ponantur,& diſcribantur tot debirores,quorum debita in totum aſcendant ſaltē ad ſummam decem florenorum, & pro illa commiſſione ſoluantur à credirore, ſeù creditoribus pro rata duo bononeni tantum, qui ſecus fecerit pœnam quinque florenorum qualibet vice incurrat.

23 Quicunq; à Statu Firmano proficiſci voluerit diù abfuturus,teneatur omnia eius protocolla archiuiſtæ conſignare,& vſq; ad eius redditum dimictere,ſub pœna ammiſſionis ipſorum.

24 Quilibet Notarius Ciuis,& diſtrictualis teneatur infra menſem omnia Inſtrumenta per ipsū recepta, in eius protocollo per extenſum, & ſolemniter ſcribere, & hoc munus ſe diligenter exequuium fuiſſe apud Priorem Collegij,& Secretarium Ciuitatis in fine cuiuſlibet menſis, vel in principio ſubſequentis docere,ſub pœna priuationis exercitij:à concilio autem generali Ciuitatis quolibet anno deputandi totis viribus ſtudeāt,vt Secretarius habeat pœnes ſe librum,in quo deſcripta ſint nomina,cognomina,& patria omnium Notariorum, & qualibet menſe de adimplemento prædictorum propria manu fidem faciat in dicto libro, & in protocollo cuiuſq; Notarij,videlicet in calce vltimi Inſtrumenti,hoc modo N.N.Notarius Firmanus, vel de Molleano oſtendit omnia Inſtrumenta ab ipſo hoc menſe, vel menſe proximo

præterito recepta,in eius prothocollo descripta,& solẽniter extensa, & iurauit non recepisse alia,qui falsum iurasse deprehensus fuerit eandem pœnam,& alias arbitrio V.Gub. incurrat.

25 Archiuista teneatur,absq; aliqua diligentiæ,seù laboris mercede instrumenta Notariorum mortuorum in Archiuio existentia reperire,& eorum copiam tradere,ea sola mercede contentus,quæ sibi pro copia simplici,siue publica constituta est.

26 In audientia summaria V. Gubernatoris teneantur comparere duo Notarij, quorum alter sit hebdomadarius,& scribat decreta,& contradictiones in actis procuratorum, alter, qui sequenti hebdomada inseruire debet, in libro decretorum Audientiæ summariæ ad hũc finem à collegio retinendo,sub pœna decem scutorum,& omnium damnorum, & expensarũ,quas ob ommissionem decretorum quisq; pateretur ab hebdomadario persoluen.

27 Quod mercedes Notariorum præscribantur spatio trium annorum,quemadmodum præscribuntur patrocinia, & salaria Aduocatorum, & Procuratorum vigore Statuti &c.

De Baroncello, & Exequutoribus, & quædam de Cancellario. *Rubr. 6.*

1 NEMO in Exequutorem, seù Birruarium assumatur, qui Iurisdictioni huius Ciuitatis Firmi subditus sit.

2 Exequutores nõ possint aliquam exequutionem facere pro debito Ciuili,vel pœna pecuniaria,absq; mandato,vel commissione à Iudice, Cancellario, vel Notario subscriptis; exceptis commissionibus relaxatis vigore quarantigiæ,quæ non subscribantur, vt supra dictum est.

3 Et pro vno eodemq; mandato,bracchio seculari,seù commissione,vnam tantum mercedem, nec aliquid præterea,quamuis sponte oblatum,accipere eis liceat, etiam si iterato, & pluries ab eodem, vel nouo exequutore, seù baroncello, idem mandatum, bracchium seculare, vel commissionem,pro integrali satisfactione creditoris exequi opporteret,ad quam exequutionem gratis iterandum omninò teneantur; qui culpabiles in aliquo prædictorum reperti fuerint,pœnam restitutionis,trium ictuum funis,& priuationis officij incurrisse declarantur.

4 Ideo exequutor,qui cum potuerit,commissionem,seù mandatum pro tota summa non exequutus fuerit,mercede sibi debita careat,consequutã in duplum restituat, & secũda vice,etiã offitio priuatus intelligatur,nec sibi dicenti integraliter exequi non potuisse,vel ab inhibitione,carta dotali,non grauetur,aut saluoconducto impeditum fuisse credatur,nisi fidẽ Vicarij loci impedimenti causam attestantis scriptam reportauerit, & interim exequutor non possit consequi mercedem pro tota summa,sed pro rata exequutionis à se factæ tantum;eam quoq; restitutus,& alias pœnas daturus si postea prædictis contrauenisse, deprehensus fuerit.

5 Eadem die,qua exequutores commissiones,seù mandata exequuti fuerint,pignora intra Ciuitatem capta,depositario pignorum consignare debeant; extra Ciuitatem verò infra quinque dies, sub pœna quinque scutorum,& alijs arbitrio Iudicis.

6 Depositarij cura sit præcipuè describendi in suis libris,& in præsentia exequutoris quantitatem,& qualitatem pignorum,cum die,mense,& anno,exequutoris nomine, & creditoris.

7 Birruarij, qui Cancellarium ad conficiendum aliquod inuentarium associati fuerint intra Ciuitatẽ,nihil recipiant;extra vero contenti sint mercede,sibi in taxa pro equitaru assignata.

8 Exequutio facta post ostensionem saluiconductus, cartæ dotalis, non grauetur, vel inhibitionis,vti nulla gratis restituatur cum mercede, si quam exequutor acceperit.

9 Nullus exequutor occasione cuiusuis exequutionis pro debito ciuili facien. hostium clausum vi aperire audeat nemine in eo existente,sine expressa Iudicis licentia, sub pœna decem scutorum pro qualibet vice.

10 Birruarius priuatus,priuati tantum mercedem recipiat,& personam alterius non gerat,nec etiam Baroncelli,vel Locumtenentes,cum ipse Baroncellus,vel Locumtenens non equitauerit pedesue associatus fuerit.

11 Cãcellarius,eius Substituti,Baroncellos,Bayuli,& exequutores omnes,tàm Ciuiles, quàm Criminales,teneantur veram,& claram confessionem mercedis,viatici,alienæ pecuniæ,mandati exequutiui,siue bracchij secularis,bestiarũ,& cuiuslibet alterius pignoris,& rei receptę, seù captæ,propria,vel Vicarij,Massariorum,Cancellarijuè loci,manu scriptam,cum die,mense,& anno,etiam inreqnisiti,persoluentem,consignantem,vel pignoratum dimittere,sub pœna restitutionis, & decem scutorum qualibet vice, & alijs arbitrio V. Guber.

12 Et

12 Et ne aliqua difficultas allegari possit, imprimendæ erunt formulæ huius confessionis, quas exequurores, & alij prænominati secum deferre poterunt, interscripturi statim in albo relicto per se, vel Vicarium, Massarium, aut Cancellarium, vt supra dictum est quantitatem pecuniarum, nomen soluentis, & qualitatem, diem, mensem, & annum.

13 Quilibet exequutor teneatur commissiones, seù mandata sibi tradita infra triduum, & infra decem dies in comitatu exequi; eis, à quibus acceperit, petentibus restituere, & de perditorum duplicatum soluere, sub pœna decem scutorum, & refectionis damnorum, expensarum, & interesse partibus damnum passis.

14 Quandocunq; debitor vigore commissionis, seù mandati capien. obtulerit incontinenti summam in commissione, vel mandato contentam, Baroncellus, vel alius Birruarius, & exequutor, facto integrali, & actuali deposito pœnes idoneam personam, teneatur gratis ipsum relaxare, alias de damno expensis, & interesse per eundem passis: idem seruetur quando debitor statim docuerit satisfecisse creditori ante, vel post relaxationem, & consignationem commissionis, vel mandati.

15 Exequutor, qui facta exequutione personali captum relaxauerit, cum fideiussione de ipso repræsentando in carceribus, teneatur Instrumentum fideiussionis reportare expensis ipsius debitoris, & Notario causæ, vel creditori consignare, sub pœna restitutionis mercedis, & refectionis damnorum, expensatum partibus passis.

16 Pro parua summa non liceat exequutoribus, nec Vicarijs commissionem, mandatum, vel instrumentum exequi, in aliquo grege, seù armento magni valoris, sed in parte tantum pro rata summæ exequen. vel etiam tertio pluri, & teneatur consignare cauponi, seù hospiti, loci vbi est facta exequutio, & non alibi, & si in loco non adsit hospes, vel caupo, teneantur conducere in locum magis vicinum, & reportare fidem de dicta consignatione creditori, qui cõtra fecerit teneatur ad damna, expensas, & interesse partium.

17 Et quotiescunque facultas eius fuerit capiendi pignora mortua equiualentia exequutioni faciendæ, nunquam capiant viua sub eadem pœna.

De Carceratis, eorum Iudicibus, & Custode. *Rubr.* 7.

1 Studeant in primis Iudices carceratorum omnium causas quantocitius expedire, & in secretis detentos infra triduum examinare, nisi longius, ex aliqua iusta causa, ipsorum examen protrahere opporteat.

2 Nemo carcerari, vel arrestari possit pro minore summa, quam octo florenorum; in qua, nec expensæ, nec aliqua credita post capturam mendicata computari debeant, aliter carceratus relaxetur gratis, quoad omnes, & seruetur etiam à Vicarijs.

3 Non possit quis capi, carcerari, vel arrestari in vim cuiusuis cõmissionis, seù mandati exequutiui non continentis certam, & liquidam summam, & seruatis seruandis non relaxati, excepta quarantigia, in qua sufficiat contineri summam liquidam, & purã, & mandatis suspicionis fugæ, relaxatis vt supra de Notarijs nu. 19. Ideo caueant Iudices, & Notarij, ne commissiones, seù mandata concedant, & relaxent, etiam vigore instrumẽti, obligatione Camerali, vel quarantigiæ præcepto vallati, nisi pro quantitate certa, vel liquida in ipsis cõmissionibus, & mandatis exprimenda, sub pœna nullitatis, & refectionis damnorum, expensarum, & interesse.

4 Secuta carceratione alicuius personæ, liceat cuiq; Procuratori, etiam sine mandato comparere coram Iudice, & protestari ad fauorem carcerati, pluribus autem protestan. ille tantum intelligatur procurator causæ, & mercedem patrocinij consequatur, quem reus postquam positus fuerit in publicis carceribus, vel vt dicitur ad largam, approbauerit, & confirmauerit.

5 Captus vigore mandati suspicionis fugæ, nunquam teneatur ad expensas mandati, & capturæ, sed solus creditor.

6 Vnicuiq; carcerato, ẽt in secretis existẽti, liceat nisi Iudex ex iusta cã prohibuerit, alimenta sibi aliunde prouidere, q̃ à custode, qui de præstitis à se tãtummodò rõnem subducere possit.

7 Vbi non agatur de pœna corporis afflictiua, vel personali, vel alia loco pecuniariæ, non possit querelatus, vel inquisitus carcerari, nisi Iudex suspicetur de subornatione, & tunc processu completo, & datis defensionibus excarceretur, cum cautione de stando iuri, & iudicatum soluendo, hæc tamen arbitrio Iudicis omnino relinquantur.

8 Testes vbi propter grauitatem causæ carcerandi erunt,quamprimum expediri potuerint i omnibus gratis relaxentur, nec quicquam ab eis Iudex, Cancell. vel custos carcerum peter possit,etiam pro alimenris necessarijs, pro quibus retineri nequeant, sed ea repetantur ab in stigatore, vel eo deficiente, à fisco.

9 Excarcerandus vigore decreti, vel mandati, non possit retineri pro debito contracto cum carcerario, ratione bononeni eidem debiti, iuxtà capitula soluen.

10 A pauperibus,& actu miserabilibus personis, etiam sponte dare volētibus nihil penitus pro quacunque caula ciuili,vel criminali Iudices,Aduocati, Procuratores, Notarij, Cancellarij, & custos etiam pro bononeno accipiant,& eorum Procuratoribus, & Aduocatis dentur gratis copiæ inditiorum,seù actorum,& sententiarum, vel originalia ostendantur, sub pœna restitutionis omnium damnorum expensarum, & interesse.

11 Quis autem pauper dici debeat,his,& alijs casibus,Iudex visis actibus, & considerata personarum qualitate arbitrabitur, & ideo mandata de excarcerando subscribi debeant à Iudice, qui sibi constiterit de paupertate, adijciet, relaxetur gratis, in forma pauperum.

12 Auditor,qui erit pro tempore,teneatur quolibet die veneris carceres visitare,& quemq; pro debito ciuili carceratum diligenter interrogare de tempore carcerationis,de causa suæ obligationis,Notario,& conditione creditorum,quātitate ętis alieni,& bonorum ipsius,etate,& exercitio eius,& cuius Iudicis mandato fuerit carceratus,quibus,& alijs sibi benè visis,maturè consideratis,auditisq; Aduocato,& Procuratore pauperum,& alijs pro ipso,vel adiutorio patrocinantibus; possit quodcunq; decretum necessarium, & opportunum interponere, per quod indemnitati creditorum, quoad fieri possit, & expeditioni causæ carcerati consulatur, nec non creditores si opus fuerit citare,dilationes qualcunq; ex iusta causa abbreuiare summariè, & absq; tela iudiciaria procedere vsque ad realem excarcerationem.

13 Aduocatus, & Procurator pauperum instructi de meritis causarum visitationi interuenire teneantur, sub pœna duorum florenorum pro quolibet, & qualibet vice, capsule carceratorum applicandorum.

14 Curet insuper Prior Collegij, vt quarto quoque mense, præter Aduocatum, & Procuratorem, extrahatur etiam Notarius pauperum,qui sub eadem pœna teneatur in qualibet visitatione, decreta omnia in libro ad hunc finem iam facto scribere gratis quoad pauperes,& miserabiles vt supra.

15 Finita visitatione Auditor se subscribat in calce omnium decretorum illius diei, & librum pœnes se retineat.

16 Carcerarius habeat duos libros,in quorum altero scribat nomina, cognomina, & patriam captorum pro debito ciuili,& creditorum ad quorum instantiā fuerint capti;necnon causam, & quantitatem pro qua,& cuius Iudicis mandato; in altero, simili modo, describat carceratos pro causa criminali, sub pœna quinque florenorum pro qualibet vice, & ammissionis victus,& mercedis à carcerato non ita descripto debitè; quos libros finito ipso officio Cancellario consignare teneatur.

De Bayulis, & Citationibus. Rubr. 8.

1 NON eligantur ad hoc officium, nec illud exerceant minores 25. annis, maiores sexaginta,surdi,muti,claudi,minusq; de falsitate suspecti.

2 Deferre teneantur pileum, siue birretum coloris rubei cum cruce alba, sub pœna priuationis officij.

3 Bayuli diligenter,& personaliter,quo ab ipsis fieri possit,exequantur Citationes,intimationes,præcepta,& alia ad eorum officia spectantia,& exequutas fideliter,& debito tempore referant,qui in culpa; negligentia dolosa, vel falsitate reperti fuerint: pœnam priuationis officij, & trium ictuum funis incurrant.

4 Teneantur singuli inseruire per hebdomadam in audientia ordinaria Auditoris,Capitanij, & hebdomadarius qui non cōparuerit hora solitæ audientiæ,antequam Iudex tribunal ascendat; mulctetur qualibet vice in duobus carlenis, alicui pio loco Iudicis arbitrio applican.

5 Secretarius autem,seù Cancellarius Collegij qualibet hebdomada ab Auditore suscitatus

affixa iuxta tribunal cedula, non solum bayulos, sed etiam Procuratores interpellabit, sub eadem pœna.

6 Subditus iurisdictioni Firmanæ habens domicilium in statu, non possit à Iudicibus Firmanis citari ad valuas more forensium, sed personaliter, vel Domi, in qua tunc temporis inhabitat, sub pœna nullitatis, & refectionis damnorum, & interesse à Iudice, & parte citante luenda, quod si habeat quidem domicilium, sed non inhabitet, factis tribus diligentijs de ipsum reperiendo in tribus diuersis diebus, nec non relationibus, quod repertus non fuit in Ciuitate per duos Bayulos, per vnum Iudex impartiatur licentiam citandi ad valuas, prout citantur forenses seruata forma Statuti lib. 3. rubr. 2.

Pœna Generalis.

1 IVDICES, Procurator Fiscalis, Vicarij, Cancellarij, Baroncellus, & Exequutor scindicari debeant, & in scindicatu teneantur etiam de pecunijs, & rebus acceptis, alijsq; commissis per ipsos, vel eorum substitutos, ac familiares contra formam præsentium reformationum, tanquam de male ablatis, nec ipsi, nec Aduocati, Procuratores, Notarij, & alij prænominati pœnas in his reformationibus, & taxis præscriptas, aliasq; à Gubernatore, vel V. Gubernatore arbitrari. aliquo casu euadant, sub cuiusuis excusationis colore, maxime eo prætextu, quod querelati, inquisiti, litigantes, pignorati, & quicunque alij grauati voluerint omnino dare, soluere, vel etiam donare quod ipsis harum seriè prohibetur expetere, vel recipere.

2 Caueant Aduocati, Procuratores, & alij, ne eorum facto, concilio, vel suasu Cliens, vel alius quilibet soluat, aut donet alicui officiali Curiæ Firmanæ, aliquid vltra quàm præsentibus reformationibus, & taxis præscriptum, & permissum sit, sub pœna restitutionis indebitè soluti, priuationis exercitij, & alijs arbitrio Gubernatoris, vel V. Guber.

3 Omnes prædicti, sub eisdem pœnis teneantur seruare taxas, hic impressas, iam à multis Summis Pontificibus, & nouissimè à Sanctissimo D. N. Paulo Papa Quinto, per Breue, sub die 7. Iulij Anni 1605. confirmatas.

4 Præsentes reformationes, & Taxæ locum habeant, & seruentur, inter subditos huic Firmanæ Iurisdictioni tantum, inter forenses verò, & cum forensibus circa sportulas, salaria, patrocinia, mercede, & similia seruentur Constitutiones, & reformationes generales Prouinciæ Marchiæ.

CORAM Illustrissimo, & Reuerendiss. D. Francisco Nappio, Nob. Anconitano, S. D. N. vtriusq; Signat. Referend. Illust. Ciuitatis Firmi, eiusq; Status V. Gub. Comparet personaliter in Iudicio Vincentius Raccamadorus Procurator Illust. Ciuitatis Firmi, & in termino producit literas Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Burghesij Gubernatoris, vnà cum reformationibus, alias per D. V. Illustriss. compilatis, quas dicto nomine petit recipi, & admicti, seruari, fieri, & essequi, prout in eis, necnon mandari in lucem edi, ad effectum, vt omnibus innotescant, & ab omnibus obseruentur ad publicam, & priuatam omnium vtilitatem &c. omni meliori modo &c.

Die 15. Iunij 1615.

ILlustrissimus, & Reuerendissimus D. Franciscus Nappius, Nob. Anconitanus, S. D. N. vtriusq; Signaturæ Refer. Illust. Ciuitatis Firmi, eiusq; Status V. Gub. visis literis Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Burghesij Gubernatoris, reformationes, ordinationes, & taxas, per eandem D. S. Illustriss. compilatas, & omnia, & singula in eis contempta publicari, imprimi, ac perpetuo, & inuiolabiliter ab omnibus in futurum obseruari mandauit, omni meliori modo &c.

Ita &c. Franciscus Nappius V. Guber.

Ludouicus Guarnerius Not. Cur. Firm. Rog.

TENOR LITERARVM.

Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Burghesij.

Intus.

Illustre, & Molto Reuerendo Sig. come Fratello.

ESsendosi vista, & considerata la riforma inuiata quà da V. S. in materia de i Giudicâ Criminali, & Ciuili di cotesta Corte, come è stata reputata buona, & da douersi ammettere; così si è voluto dirle, che ella la faccia osseruare, che à tale effetto se le rimanda con questa. Et tanto esseguendo, ne dia auiso, che Dio la feliciti. Di Roma alli 23. di Maggio 1615.

Di V. S. come Fratello

Il Cardinal Borghese.

V. Gouernatore di Fermo.

Coram vobis &c.

Pro Illustri Ciuitate Firmi.

COmparet personaliter in Iudicio D. Vincentius Raccamadorus Procurator &c. & in termino reproducit literas Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinalis Burghesij, sub Dat. die 23. Maij 1615. vna cum reformationibus compilatis in materia obseruationum in hoc Tribunali, protestatur quatenus opus sit, mandari, imprimi, publicari, & inuiolabiliter obseruari, & sibi ius &c. omni &c.

Die 12. Iunij 1618.

ILLVSTRISSIMVS, & Reuerendissimus D. Prosper Caffarellus S. D. N. Papæ vtriusque Signat. Refer. & Illustris Ciuitatis Firmi, & eius Status V. Guber. sedens &c. prædicta &c. mandauit seruari literas Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinalis Burghesij omni meliori modo &c.

Prosper Caffarellus V. Gubernator.

REformatio, ac taxæ suprascriptæ, præsentatæ fuerunt in Perillustri Adunantia Ciuium causis præpositorum. Die 11. Iunij anni 1618. celebrata, & inter cætera mandatum imprimi, præsentibus Perillustribus D. D. residentibus Prioribus, & Regulatoribus.

Francesco Ottrinello,
Vincentio Adamo,
Virgilio Gaggio, &
Marc'Antonio Martello. } Prioribus, &

Petro Laurentio Raccamadoro, &
Marchione Orlando. } Regulatoribus.

Lucas Corradus Cancellarius, & pro Secretario &c.

Coram vobis &c.

Pro Illustri Ciuitate Firmana.

COmparet personaliter in Iudicio Matthæus Vulpecta Procurator, & in termino producit binas literas Illustrissimi,& Reuerendissimi Cardinalis Ludouisij sub Dat. Romæ die 2. Iunij 1621. super confirmatione taxarum mercedum officialium, petit, admitti, registrari, & quatenus opus sit, imprimi, & restitui &c. & seruari perpetuis temporibus, & publicari, & fieri, & exequi, prout in eis, & Ius fieri &c. omni &c. Die xxiij. Iunij 1621.

NOs Octauius Rodulfius Dei,& Apostolicæ Sedis gratia Ariani Episcopus, Illust. Ciuitatis Firmi,eiusq; Status V. Gubernator,visis supra scriptis literis Illustrissimi,& Reuerendiss. D. Cardinalis Ludouisij Gubernatoris in vim earum,& auctoritate eiusdem nobis delegata dictam Taxam, & omnia contenta in ea approbamus, & confirmamus; necnon in posterum ab omnibus inuiolabiliter obseruari volumus,& mandamus. Insuper ne de facultate prædicta vnquam dubitari contingat, supra scriptas literas in calce dictarum Taxarum, & in libris expeditionum Cancellariæ Ciuitatis registrari decernimus, & iubemus; & ità &c. non solum &c. sed & omni &c.

O. EPISCOPVS A. V. GVB. &c.

Dominicus Falconus de Firmo Not. rogatus.

Sequitur tenor dictarum literarum vid. foris: Al molto Illust. & molto Reu. Sig. Monsignor Vice Gouernatore di Fermo.

Locus ✠ sigilli. Intus autem.

MOlto Illust. & molto Reu. Sig. come fratello. Secondo l'instantia fattami dalla Città di Fermo, & Ambasciatori d'essa per l'inclusa confirmatione della Tassa delle mercedi de i Ministri di cotesto Tribunale,per esser' ella conforme allo statuto,ordinationi antiche della medesima Città,& approuata altre volte dalli miei antecessori: Mi sono resoluto (per compiacerli) in virtù della presente dare à V. S. ogni facultà necessaria di poter confirmare la sudetta Tassa in mio nome. Et acciò di tal facoltà non si possa per alcun tempo futuro dubitare, sarà cura di V. S. far registrare la presente in cotesta Cancellaria di Fermo; Et N. Sig. la prosperi lungo tempo: Roma 2. Giugno 1621.

Di V. S.

Come Fratello
Il Cardinal Ludouisi.

M. V. Gou. di Fermo.

MOlto Illust. e molto Reu. Sig. come fratello. Secondo l'instanza fattami dalla Città di Fermo, & Ambasciatori d'essa per l'inclusa confirmatione della Tassa delle mercedi de i Ministri di coresto Tribunale,per esser' ella conforme allo statuto,ordinationi antiche della medesima Città,& approuare altre volte dalli miei Antecessori; Mi sono resoluto per compiacerli,in virtù della presente dar' à V. S. ogni facoltà necessaria di poter confirmare la sudetta Tassa in mio nome: Et acciò di tal facoltà non si possa per alcun tempo futuro dubitare sarà cura di V. S. far registrar la presente in cotesta Cancellaria di Fermo. E N. Sig. la prosperi longo tempo: Roma 2. Giugno 1621.

D. V. S.

Come fratello
Il Cardinal Ludouisi.

M. V. Gou. di Fermo. Duplicata.

REformatio, ac Taxa ſupraſcripta præſentata fuit in Concilio generali Ciuitatis, & Status Firmi celebrato ſub die 8. Iunij 1621. & mandatum publicari, & imprimi ad effectum vt ad notitiam omnium deueniat, & ad omnem alium bonum finem &c. Præſentibus per Illuſt. DD. Prioribus, & Regulatoribus, vid.

D. Gaſpare Tibaldo,
D. Cap. Oratio Adamo,
D. Montano de Montanis,
D. Pirro Roſato, &
D. Marco Antonio Martello.
} Prioribus reſidentibus &c.

D. Dominico Mancino, &
Ex. D. Vincentio Francolino.
} Regulatoribus &c.

Franciſcus Flaſchettus de Viſſo Secret. &c.

FIRMI, Apud Io: Franciſcum de Montibus. 1621.



